habent hanc difficultatem : *Vt exiſtentia, Sapientia, & Potentia Dei* : & omnia fide credenda ſunt moralitèr ; evidentia ; & ſaltem æque evidentia, quam exiſtentia *Romæ* ideòque non requiritur poſitiva obſcuritas in fide, nec in obiecto fidei: etſi aliquando reperi[illegible] attendamus ſenſibus, [illegible] ſeorſim à medio fidei, [illegible] credibilitatis.

SECTI[illegible]

An circà idem obiectum [illegible] *ſimul in eodem intelle*[illegible] *& actus* [illegible]

I N noſtra ſer[illegible] dem eſſe pe[illegible] eſſet diffic[illegible] coniungi cum actu [illegible] fidei non impediret [illegible] ſcientiæ : ideò quæſtio procedit caſu quo fides ſit poſitivè obſcura. Ad quam Sup. 1. Circà idem obiectum materiale formalitèr idem. Poſſe coniungi in eodem intellectu actum confuſum, & actum diſcretivum. V.g. cognitio vniverſalis *omnis homo* ; & cognitio ſingularis *hic homo*: cogni-

ingred[illegible] lux intenſa. Sed ad minus fides eſt lux remiſſa, & per eam habet obiectum lucem remiſſam ex illo Petri *lucerna lucens in caliginoſo loco* : ergo fides non faciet, quod obiectum non habeat maiorem lucem per actum ſcientiæ.

22 Probatur 3. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. explicans illud ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quià eſt, & quod inquirentibus ſe Remunerator ſit*: Et ibi addit. *Fide intelligimus formata eſſe ſæcula verbo Dei.* Dicit, fidem de exiſtentia Dei eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem. *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt accedentem ad Deum oportet credere, quià eſt, & quod inquirentibus ſe Remunerator ſit.* Vbi non ſolùm loquitur de fide exiſtentiæ Dei, vt Authoris ſupernaturalis, quod explicatur per ly, *quod Remunerator ſit*; ſed etiam de fide exiſtentiæ Dei, vt Authoris naturalis, quod explicatur per ly, *oportet credere quià eſt* ; imò hæc fides eſt neceſſaria neceſſitate medij. Similitèr in ſymbolo frequentèr. *Credo in vnum Deum Omnipotentem.* Sed Philoſophus [illegible] Chriſtianus evidentèr cognoſcit [illegible] Dei, vt Authoris naturalis, vn[illegible], & Omnipotentiam Dei, & ſæcula formata eſſe Verbo

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 G
9

14 — 13 . 9 . 25 .
48 4B 29
6
38
48.6.38

homo videtur habuiſſe oculum contemplationis appertum.

21 2. Non magis repugnant intèr ſe actus obſcurus, & clarus, quam certus, & incertus; clarus, & confuſus; liber, & neceſſarius, & reliqua dicta in notabilibus. Sivè alter ſit prior, ſivè poſterior: quià ſicut eidem actui repugnat claritas, & obſcuritas, ità repugnat claritas, & confuſio. Sed circà idem obiectum poteſt coniungi in eodem intellectu actus clarus, & confuſus, & reliqua, vt dictum eſt in notabilibus: ergo, etſi de ratione fidei eſſet obſcuritas per medium fidei poſſet coniungi actus ſcientiæ cum actu fidei. Confirmatur. Incertitudo vnius actus non dicit carentiam omnis certitudinis in obiecto; nec confuſio vnius actus carentiam omnis claritatis, nec intuitio carentiam omnis abſtractionis; nec libertas ad vnum actum carentiam dicit neceſsitatis ad alium: ergo obſcuritas vnius actus non dicet carentiam omnis claritatis in obiecto, & conſequentèr nón dicet carentiam actus clari. 2. Quod ingrediatur lux remiſſa per vnam feneſtram non reddit cubile obſcurum, ſi per aliam ingrediatur lux intenſa: nec lux remiſſa ingrediens per vnam feneſtram facit ne ingre-

cognitio, quæ eſt definitio, & cognitio, quæ eſt definitum formale: v.g. hæ. *Homo, rationale.* 2. Coniungi poſſe cognitionem intuitivam, & abſtractivam: quià Angeli vident intuitivè Deum in ſe, & abſtractivè in creaturis. 3. Aſſenſum certum, & incertum: ſic aſſenſus fidei Divinæ cõiungi poteſt cum aſſenſu fidei humanæ circà idem obiectum; imò plures exiſtimant aſſenſum fidei humanæ commitari ſemper aſſenſum fidei Divinæ. 4. Coniungi poteſt aſſenſus evidens cum aſſenſu probabili, vt docet Div. Thom. 1. 2. quæſt. 67. artic. 3. *Poteſt vnus homo cognoſcere eandem concluſionem per medium probabile, & demonſtrativum.* Et in 3. diſt. 31. quæſt. 2. artic. 1. ad 4. *Opinio, & ſcientia, quamvis ſint de eodem; non tamen ſecundum idem medium, & idèò poſſunt eſſe ſimul.* Idem habet 3. part. quæſt. 9. artic. 3. ad 2. Et ratio id ſuadet, quià Philoſophus poteſt demonſtrativè cognoſcere exiſtentiam Dei, & ſimul eam cognoſcere, quià Authores graviſsimi eam affirmant, vèl ex alia ratione probabili. Tunc tamèn ſolùm daretur formido radicalis de exiſtentia Dei, ſiſtens in cognitione probabili; non verò formido actualis, nec formalis, ſiſtens in cognitione reflexa dicente.

Fortè non exiſtet obiectum cognitionis directæ; quæ cognitio non poſſet dari in eo caſu. Hæc vera ſunt, licèt Hurt. diſp. 30. ſect. 1. dicat formidinem actualem eſſe inſeparabilem à cognitione probabili. Idem tenet Ripal. ſect. 3. Sed dicens formidinem actualem poſſe coniungi cum evidentia; ſed formidinem, quæ limitatè cadat ſupra cognitionem probabilem, ideſt quod ſolùm ſpectata hac notitia obiectum poteſt eſſe falſum: ſed de hoc nullus dubitat.

16 Sup. 2. Rectè coniungi poſſe in eadem voluntate circa idem obiectum amorem neceſſarium; & liberum, ſic Chriſtus ſimul amabat Deum amore neceſſariò orto ex ſcientia viſionis, & amore libero orto ex ſcientia infuſa, quo merabatur nobis: & in Beatis, qui amant Deum amore neceſſariò, & poſſunt ſimul amare amore libero terminato ad Deum, & creaturas. 2. Coniungi poteſt amor efficax, & inefficax circa idem obiectum ſic Deus inefficacitèr amat ſalutem omnium ex illo, *qui vult omnes homines ſalvos fieri*; & efficacitèr amat ſalutem prædeſtinatorum. 3. Coniungi poteſt amor ex motivo charitatis cum amore ex motivo miſericordiæ non

petente

Dei, ſaltem, vt authoris ſupernaturalis. Sed hæc fides coniungebatur cum ſcientia Dei, vt authoris ſupernaturalis: ergo fides coniungi poteſt cum ſcientia. Mai. eſt D. Thom. hìc quæſt. 5. artic. 1. *Neceſſe eſt dicere, quod Angelus ante confirmationem habuit fidem, & ſimilitèr homo ante peccatum.* Et adeò certa vt Suarez, de Angelis, cap. 5. num. 16. oppoſitam. *Omninò falſam, & improbandam cenſeat.* Et ad Angelos etiam pertinere illud ad Hæbr. 11. *Accedentem ad eum oportet credere quià eſt.* Hoc teſtatur Div. Thom. ibi argumento *ſed contra.* Min. probatur ex verbis relatis, Hugo dicentis, tunc Angelos cognoviſſe Deum, *neceſſaria cognitione*: qua Deus modo à credentibus abſens fide creditur. Sed modo à viris doctis, *non creditur abſens fide*, vt author naturalis iuxtà communem ſententiam Thomiſtarum dicentium in viris doctis non dari fidem Dei, vt authoris naturalis: ergo ea ſcientia fuit Dei, vt authoris ſupernaturalis. Et ex Aug. relato à Div. Thom. initio huius quæſt. 5. *Angelus in ſtatu ſuæ primæ conditionis ante confirmationem, vel lapſum habuit oculum contemplationis: videbat enim res in verbo, vt Aug. dicit in 2. ſuper Gen. ad litteram, & ſimilitèr primus*

homo

DISPUTATIONES
In duos Ariſtotelis Libros,
DE GENERATIONE,
& Corruptione.
OPVS POSTHVMVM.

AVTHORE,

Rmo. P. DOCT. IGNATIO FRANCISCO PEYnado, à Societate Ieſu, & Academiæ Complutenſis Primario Profeſſore. Examinatore Synodali, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatore, & Regiæ Maieſtati, Marianæ Auſtriacæ Reginæ Matri à Confeſſionibus, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Anno IHS 1698.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti: In Officina Franciſci Garcia Fernandez, Typographi Vniverſitatis.

APPROBATIO COLLEGII SS. TRINITATIS REDEMPTIONIS Captivorum, Religioſorum Calceatorum huius Univerſitatis.

EX Commiſsione D. Doctoris D. Ioannis Caldera huius Archiepiſcopalis Complutenſis Curiæ, & totius Toletanæ Diœceſis Vicarj Generalis, & in Inſigni Magiſtrali Eccleſia SS. Iuſti, & Paſtoris Dignitatis, & Canonici: tractatus hoſce de Generatione, & Anima à RR. & Sap. P. M. Ignatio Franciſco Peynado, huius noſtræ Academiæ Primatis laureato Doctore, & primario Magiſtro, & poſtmodum Sereniſsimæ Marianæ Auſtriacæ Reginę Matris à Confeſsionibus, elaboratos; expedendos, & examinandos ſuſcepimus, opus poſtumum, perenni tamen ſui Authoris vita dignum, ſed quæ nomine indulgens nulli parcit, aliena commoda deſpicit, tantum virum (proh dolor) de terra viventium abſcidit, communi vtilitati ſubſtraxit, vt par ſuperis, & inter Cœleſtis Regiæ collocatus principes (hoc vnicum mæſtis ſolatium) requiem, & mercedem pro laboribus non perituram acciperet. Nobis cenſorium munus iniunctum eſt; opus laudatorem potius, & gratulatorem expoſtulat. Quid ergo faciemus? Critico ne vtemur eloquio, aut in panegyrim verſo gratulabimur calamo? Sed revera audito Authoris nomine ſatius erat finem ſermoni imponere; neque enim tanti viri opus queit eſſe obnoxium cenſoriæ virgæ, nec quavis gratulatione, aut laude ęquari. Ipſum nomen opus ab omni cenſura liberat omni laude maius ſtatim oſtendit, communemque vtilitatem vniverſali operis expectationi parem, proindeque omnium lęticiam gratulationis cauſam pandit. Opus eſt maximæ, & vndequaque mirabilis Societatis Ieſu Authoris, ſuper quam Deus affluentiſsime ſcienciarum omnium dona, aperta manû diffudit, & quam ſpiritu intelligentiæ replevit, vt tanquam imbres eloquia ſapientiæ ſuæ in omnem terram mitteret. Opus eſt Rev. & Sap. P.M.Peynado, quem omnes novimus, à quo omnes didicimus communem Magiſtrum teſtamur, & mirati ſumus, quo nullus hoc tempore noſtro doctior, nullus æquo iure Magiſtri nomine dignus. Alij enim quaſi talentum in ſudario ſervantes, vel ſibi quod ſciunt recondunt, alienæ vtilitati non proſpicium, docendi laborem averſantur, vel auditorum, legentium, & incipientium captui verba, & ſcripta accomodare, & coaptare neſciunt (ſteriles ſanè Magiſtri, vel vt proprius loquar, Sapientes) Noſter vero Sap. Author quot ſuis nunquam ſatis laudatis in Logicam, & Phyſicam elucubrationibus Philoſophos Hiſpaniæ genuit? Quot Theologos ſuis ſcriptis creavit? Quot adoleſcentes, & iuvenes viros in Theologia, & Philoſophia fe-

cit? Quot iam Magiſtros perfecit? Quot verbo, nulli parcens labori, inſtruxit? O Vir vere ad erudiendam iuventutem natus! O vere factum omnibus omnia ingenium! Omnibus ſcripſit, omnium genio & captui ſe accomodavit: claritatem, ſubtilitatem, ſoliditatem, brevitatem facilitatem, ſuavitatem, & integritatem ſua ſcribendi methodo maritavit, quod alios Philoſophici inſtituti, vel grandioris molis libros, vel æquales, aut minores legas vix, aut in nullo reperies. Merito hic verbis Nazianzeni, quibus ſimul, & Authorem, & opus laudamus utemur, *Elaboratum naturæ opus Doctrinæ principatus, tam philoſophicæ, quam cuiuſuis alterius generis diſciplinæ, idque quacumque cum parte cenſere volueris, adeò ut in eo, & variarum artium cognitio mirabilior eſſet, quam ſingularum exacta, & perfecta ſcientia, & rurſus ſingularium exquiſita, & modis omnibus abſoluta perceptio plus admirationis haberet, quam variarum artium collecta ſcientia, vel ut apertiori diſtinctione hæc explicem, alios multiplici rerum cognitione, alios quod ſummum ſcientiæ gradum attigiſſet, alios utraque laude, omnes autem omnibus nominibus ſuperaret. Orat. de S. Cipria.* Sed iam impleamus munus. Dicti Tractatus nihil continent Fidei puritati, aut morum rectitudini adverſum quodve Doctum Virum, Catholicum, ac Religioſum dedeceat; ſed omnia ſunt publicæ utilitati maxime neceſſaria, & prælo digniſsima: Sic ſentimus, ſalvo ſemper meliori, &c. In hoc Complutenſi Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Collegio Die 19. Iunij Anno 1698.

Fr. Didacus Camacho
Min. & Lect. Theologiæ.

Fr. Iſidorus de Torres
Lect. Theologiæ, & Studiorum regens.

Fr. Ioſeph Antonius Delgado
Lect. Theologiæ.

LICENTIA RELIGIONIS.

FRanciſcus Holgado de Herrera, Societatis Ieſu, in hac Prouincia Toletana præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Rev. P. N. P. Tyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tractatus iſti de *Generatione*, & *Anima*, duobus tomis diſtincti, & à P. Doct. Ignatio Franciſco Peynado eiuſdem Societatis Theologo, & primario Complutenſi, olim conſcripti, quia Grauium eiuſdem Societatis, Doctorumque hominum iudicio approbati, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſygillo noſtro munitas dedimus. In hoc noſtro Complutenſi Collegio die 29. Martij anno 1698.

Franciſcus Holgado de Herrera.
Præpoſitus Prouincialis.

LICENTIA ORDINARIJ.

NOs el Doct. D. Iuam Antonio Caldera, Dignidad de Maeſtre Eſcuela de la Sancta Igleſia Magiſtral de S. Juſto, y Paſtor, de eſta Ciudad de Alcalà de Henares, Proto-Notario Apoſtolico, y Vicario General en la Audiencia, y Corte Arçobiſpal de eſta dicha Ciudad, y en todo el Arçobiſpado de Toledo, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe puedan imprimir, è impriman los tratados de *Generatione*, & *Anima*, que dejò manu eſcritos, el R.P.M. Doct. Ignacio Franciſco Peynado de la Compañia de Ieſus: atento, à que por nueſtro mandado han ſido viſtos, y examinados, y conſtarnos de ſu cenſura, no aver en ellos coſa que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y loables coſtumbres. Fecha en Alcalà en 21. dias del mes de Iunio de 1691.

Doct. D. Iuan Antonio Caldera.

Por ſu mandado

Cuſtodio Valentin
Notario.

APRO

CENSVRA D. Doct. D. IOSEPHI RVIZ DELGADO; OLIM Matris Dei Theologorum Muſæi Alumni, & complutenſis Academiæ Philoſophiæ Catedratici. Modo S. Magiſtralis Eccleſiæ SS. Iuſti, & Paſtoris Canonici: atque eiuſdem Academiæ Cathedratici Theologiæ, Profeſſoriſque Philoſophiæ Moralis, &c.

SVpremi Ciſtellæ ſenatus iuſſu aggreſſus perlegere Tractatus de *Generatione, & Anima*, quos elaboratos reliquit Sapientiſsimus, ac Reverendiſsimus P. D. Ignatius Franciſcus Peynado, olim noſtræ Vniverſitatis, pro Societate Primarius, & Sereniſſimæ Reginæ Matris Confeſſarius Meritiſsimus: vix nomen Authoris mihi chariſsimi, legi, quando animus hærebat dubius, vt in cenſuram properaret, Ciceronis ſententiæ memor, qui lib. de amicit: aiebat: *etiam ſæpius cum iudicaveris diligere oportet; non cum dilexeris iudicare.* Ceterum cum obtemperare iudicavi neceſſe, neceſſe iudicare putavi, ſi cenſura eget opus, & alijs operibus, & ſola Authoris fama probatum ſatis. Tota enim noſtra. Complutenſis Schola de vtilitate tractatuũ Logicæ, & Phyſicæ communi plauſu firmata dignus teſtis exiſtit. Coniunxit etenim Doctiſsimus hic Magiſter tam in ſua Philoſophia, quam in Theologiæ tractatibus, quos fœliciter dictavit, & miram claritatem, & fundatiſſimam profunditatem. Nihil ſcripſit, quod licet ſubtile, perceptibile tamen iuventuti non redderet. Merito de eo poſſumus exclamare, quod M. P. Auguſtinus de Platone aiebat: *Plato temporum ſuorum vir Eruditiſsimus, qui ſic omnia loquutus eſt, quecumque dixit, vt magna, & quocumque modo parva dixit modo loquendi manifeſtaveris. Vnde dici poteſt quidem Tulij linguam omnes mirantur: pectus non æquè Ariſtotelis pectus omnes, linguam non æquè, Platonis pectus, & linguam æquè.* Sed quid mirum ſi noſter Doctor in viridario ameniſsimo Eccleſiæ (in Societate; inquam, Ieſu) tot Sapientiſsimis viris ornata nomen Magiſtri meruit: quo meo iudicio nihil maius, ſi de Societate debitus formetur conceptus: Non meum, ſed quem explicavit eruditiſsimus graviſsimæ Ciſtercienſis Familiæ vir eiuſque Abbas meritiſsimus R. P. Frat. Laurentius de Zamora, in medium proferam. In ſeptima ergo parte ſuæ Monarchiæ Miſticæ fol. 597. noſtro hiſpano idiomate in hæc verba prorrumpit. *Tengo para mi, que echa vna eſquadra de todos los ſabios de la tierra, de Theologos, de Methaphiſicos, de Phiſicos, de Matematicos, de Ariſmeticos, de Geometras, de Griegos de Latinos, de Hebreos, y de todas las demas Sciencias, y otra de los Padres, de la Compañia ſon vna equivalencia de todos ellos. Y que ſi las eminencias, y ventajas repartidas en los del mundo ſe echaran en infuſion, y ſe hubiera de ſacar quinta eſſentia de todos, que ſaliera vna Compañia de Ieſus, como la que aora tenemos.* Prodeant

deant igitur in lucem tractatus de *Generatione*, & *Anima* huius Doctoris in tali Societate Magiſtri, in quibus nihil diſſonum; ſed omne noſtræ Fidei dogmatibus conſentaneum reperio, ſic cenſeo, ſalvo meliori iudicio, die 12. Iunij anno 1698.

Doct. D. Ioſeph Ruiz Delgado.

SVMMA PRIVILEGIJ REGIJ, ET LICENTIA Supremi Senatus.

CArolus Secundus Hiſpaniarum Rex, Privilegium conceſſit Collegio Complutenſi Societatis Ieſu, vt per decennium typis excudat, & nullus alius, niſi de ipſius facultate ipſum imprimere audeat hunc librum continentem diſputationes de *Generatione &c.* quem manuſcriptum reliquit eius Author P. Dr. Ignatius Franciſcus Peynado eiuſdem Societatis, & Confeſſarius Regiæ Maieſtatis Marianæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ Matris, &c. Prout fuſius conſtat ex Regio Decreto, & Licentia Supræmi Senatus, litteris, ac teſtimonio Matriti datis per Emmanuellem de Badillo, & Velaſco, &c. Die 4. Menſis Iulij anno 1698.

SVM-

SVMMA TAXÆ.

D. D. Senatores Regij Senatus decreverunt, vt hic liber de *Generatione, &c.* compoſitus per RR. P. D. Ignatium Franciſcum Peynado Societatis Ieſu, octo marapetinis, pro ſingulis plicis devendatur. Dat. Matriti die 8. Menſis Iulij anno 1698.

D. Bernardus de Solis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

DISPVTATIONES IN LIBRVM ARISTOTELIS DE ORTV & Interitu, ſeu de Generatione, & Corruptione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO.

EGIT Phyloſophus in octo Libris Phyſicorum de principijs intrinſecis entis naturalis, & de illius proprietatibus. Nunc verò agit de eodem ente, prout generabili, & corruptibili, ſeu prout ſubeſt generationi, & corruptioni. In hoc autem libro explicatâ natura; & diſtinctione alterationis à generatione, diſputat de generatione, & corruptione ſubſtantiali, atque de nutritione, & augmentatione quantitativa, quę etiam appellatur accreſtio.

LIBER
DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

VT huius libri materia expeditius tradatur, placet eum in duos tractatus diuidere, alterum de Generatione, & Corruptione ſubſtantiali: alterum de alteratione. Sed quia alteratio, quæ, medijs qualitatibus in ſubiecto productis, diſponit ad generationem vnius ſubſtantiæ, & corruptionem alterius, præcedit ordine naturæ ad generationem, & corruptionem: ideò tractatus de alteratione præcedit ordine doctrinæ tractatum de generatione, & corruptione.

TRACTATVS PRIMVS.

De Alteratione.

SPectant ad hunc tractatum plures ſatis graves difficultates; tum circa intenſionem, & remiſsionem qualitatis, quæ per alterationem producitur; tum circa actiuitatem qualitatum; tum circa ſucceſsionem, & continuationem alterationis; de quibus ſuo ordine agendum eſt.

DISPVTATIO PRIMA.

De Intenſione, & remiſsione qualitatis.

SECTIO I.

Nonnulla ſupponuntur.

1 SVppono 1. Alterationem accipi poſſe latè, & ſtrictè. Latè accepta eſt productio

tio qualitatis in ſubiecto, ſivè hoc præceſſerit in aliquo inſtanti cum omnimoda privatione qualitatis, ſivè non. Strictè autem ſumpta eſt productio qualitatis in ſubiecto, quod per aliquod ſaltem inſtans præceſſerit cum privatione qualitatis, ideoque per illius receptionem aliter ſe habet ſubiectum, quam prius, & fit alterum. Sicut enim ſubiectum recipiens formam ſubſtantialem, qua prius carebat, per eius receptionem fit aliud, ita ſubiectum recipiens qualitatem, quam non habebat antea, per illius receptionem dicitur alterari, & fieri alterum.

2 Igitur alteratio ſtrictè ſumpta, de qua ſermo eſt in præſenti definitur ſic: *Motus ad qualitatem.* Dicitur *motus*; quia per ipſam ſubiectum mutatur activè, & tranſit à privatione eius qualitis, quam recipit, ad eam habendam. Per hanc particulam convenit alteratio cum generatione ſubſtantiali, quæ de facto datur, cum nutritione ſubſtantiali, & cum augmentatione quantitativa, ſeu accrectione: quia omnes hæ actiones non exercentur abſque mutatione ſubiecti, vt in proprijs locis exponetur tract. 2. Sed differt ab eis per ly *ad qualitatem*: quia actiones illæ non terminantur ad qualitatem, ſed ad ſubſtantiam, vel quantitatem.

3 Suppono 2. Alterationem dividi in alterationem ſimplicitèr, intenſionem, & extenſionem. Alteratio ſimplicitèr talis, eſt *motus, quo qualitas primo producitur in ſubiecto præcedente cum omnimoda illius privatione.* Hic enim motus, quia ſpeciali nomine caret, & quia per eius terminum conſtituitur ſubiectum ſimpliciter alterum, appellatur alteratio ſimpliciter. Intenſio, quæ etiam dicitur alteratio intenſiva, eſt *motus, quo qualitas iam producta augetur, perficitur, & maior fit in eadem parte ſubiecti.* Extenſio, quæ etiam dicitur alteratio extenſiva, eſt *motus, quo qualitas producitur in nova parte ſubiecti.* Exempli cauſa. Dum primo producitur calor in manu antea frigida, ea actio dicitur alteratio ſimplicitèr, quia per illam manus fit calida, & aliter ſe habet, quam prius. Dum verò poſteà per novam actionem manus creſcit in calore, & reditur magis calida, calor augetur, & perficitur in manu, eaque actio dicitur intenſio. Dum autem calor tranſit ad informandam novam partem manus, calor extendi dicitur ad novam partem ſubiecti, & hac de cauſa illa actio vocatur extenſio.

4 Advertendum tamen eſt, extenſionem non eſſe ſpeciem alterationis diſtinctam à præcedentibus. Nam, vel qualitas producitur in nova parte ſubiecti præcedēte cum omnimoda privatione qualitatis; & ſic motus ille erit alteratio ſimplicitèr illius novæ partis. Vel in ea parte augetur, & perficitur qualitas,

quæ in ipſa præceſſerit iam producta, & ſic motus ille erit intenſio, vt conſtat ex dictis.

5 Alteratio, tàm ſimpliciter talis, quàm intenſiva, alia eſt *corruptiva*, & alia *perfectiva*. Corruptiva (de qua præcipuè egit Ariſt. in hoc lib. text. 25.) eſt illa, per quam producitur qualitas expellens à ſubiecto, ab eoque corrumpens qualitatem oppoſitam, per quam videlicèt producitur calor expellens à ſubiecto frigiditatem; & per alterationem huius generis ſubiectum dicitur, *tranſmutari in contrarijs*, vt cum ex frigido fit calidum, aut *in medijs*, vt cum ex albo fit fuſcum, aut ex fuſco nigrum. Alteratio perfectiva eſt illa, per quam producitur qualitas afficiens, & perficiens ſubiectum citra expulſionem cõtrarij; talis eſt illuminatio aèris, per quam, & producitur lux perficiens aèrem, & nullum contrarium expellitur, quia lux caret contrario.

6 Suppono 3. Intenſioni opponi remiſsionem, quæ nihil aliud eſt, quam diminutio augmenti, & perfectionis, quam qualitas habuerat in ſubiecto. Dum enim aqua prius calida paulatim tepeſcit, & amittit intenſionem caloris, tunc calor dicitur remitti. Remiſsio alia eſt quoad intenſionem, alia quoad extenſionem. Datur remiſsio quoad intenſionem, quando qualitas prius exiſtens in aliqua parte ſubiecti deficit, ſeu decrescit in perfectione, & augmento, quod prius habebat: Datur verò remiſsio quoad extenſionem, quando qualitas exiſtens in pluribus partibus ſubiecti deficit ab aliqua, vel aliquibus ipſarum.

7 Sed obſerva, remiſsionem non eſſe ſpeciem alterationis. Nam omnis ſpecies alterationis eſt vera actio, veruſque motus ad qualitatem, ſicut dictum eſt; ſed remiſsio, neque eſt vera actio, neque verus motus ad qualitatem: ergo remiſsio non eſt ſpecies alterationis. Minor probatur: quia in noſtra ſententia, de qua poſtea, ſtatuente intenſionem per additionem gradus ad gradum qualitatis in eadem parte ſubiecti, remiſsio non contingit per actionem terminatam ad aliquem terminum poſitivum; ſed præcisè per defectum, & corruptionem alicuius, vel aliquorum graduum qualitatis præcedẽtis; at ad defectum illum, & corruptionem non datur vera actio, aut motus: ſiquidem nulla vera actio terminatur ad corruptionem, quæ potius eſt ceſſatio actionis prius productivæ, aut conſervativæ: ergo remiſsio neque eſt vera actio, neque verus motus. Oppoſitum docent Thomiſtæ, ſed eorum opinio procedit ex ſententia nobis falſa circa cõpoſitionem intenſionis, de qua ſect. 2.

8 Tandem ſuppono, intenſionem, & extenſionem qualitatis, ſi propriè loquendum ſit, con-

conſiſtere in actione producente, vel augente qualitatem in eadem, aut in diverſa parte ſubiecti: nam intenſio, & extenſio participant rationem motus, qui in actione conſiſtit, vt conſtat ex Phyſicis lib. 3. Cæterum vſus iam obtinuit, vt nomine intenſionis, & extenſionis accipiatur qualitas ipſa, quæ augetur, & perficitur in eadem parte ſubiecti, aut producitur in diverſa; & iuxta hanc communem acceptionem vocum intenſionem, & extenſionem frequenter accipiemus in ſequentibus.

SECTIO II.

Quomodo fiat intenſio qualitatis?

DAri de facto intenſionem & remiſſionem qualitatis conſtat experientia. Nam manus, quæ applicata igni redditur calida per calorem, ſi non amoveatur, magis, & magis calida fit, ſi autem ab igne ſeparetur, paulatim tepeſcit, & fit minus calida. Quomodo autem id contingat non conſtat; ſunt enim in hac difficultate plures dicendi modi, quos examinare opus eſt ante expoſitionem noſtræ ſententiæ, quæ potiorem probationem ſumit ex aliarum ſententiam impugnatione.

§. I.

Duplex ſententia refertur, & refellitur.

PRima eſt Durandi in 1. diſt. 17. quæſt. 7. quem ſequuntur alij ex antiquis cum ipſo aſſerentes, qualitatem non intendi in ſubiecto per ſimultaneam exiſtentiam plurium partium eiuſdem in eadem parte ſubiecti; ſed per adventum qualitatis eſſentialiter perfectioris præcedenti, & deſtructionem præcedentis imperfectioris. Iraque iuxta hanc ſententiam tunc calor intenditur in manu prius calida, quando in ea producitur calor qui iam perfectior eam reddens magis calidam, & per illius adventum deſtruitur calor præcedens, à quo minus calida reddebatur.

[illegible]tio Hæc ſententia falſa eſt. Primò, quia vt conſtat ex definitione intenſionis, tunc calor v. g. intenditur, quando perficitur, & augetur in eadem parte ſubiecti; ſed calor non augetur neque perficitur in eadem parte ſubiecti, ſi adveniente calore perfectiori deſtruitur imperfectior; ergo intenſio caloris non fit per adventū perfectioris, & deſtructionem imperfectioris. Maior probatur; quia augeri, & perfici aliquid, in ſuo conceptu videtur involvere, id, quod augetur, & perficitur permanere ſimul cum augmento, & perfectione ſupervenientem: nam ſi oppoſitum accidat, non tam dicetur perfici, quā transmutari, & converti in maiorem perfectionem ſupervenientem, vt notavit S. Vincentius Lirenen. adverſus hæreſes cap. 28. per hæc verba: *ad profectum pertinet,*

tinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in illud tranſvertatur. Ergo calor non augetur, neque perficitur, ſi adveniente calore perfectiori deſtruitur imperfectior.

11 Secundò impugnatur prædicta ſententia: quia remiſsio, quæ eſt motus oppoſitus intenſioni non fit per deſtructionem caloris perfectioris, & productionem imperfectioris; ergo intenſio non fit per productionem caloris perfectioris, & deſtructionem imperfectioris. Antecedens probatur: in remiſsione caloris exiſtentis in aqua nimis calefacta ab agente extrinſeco, non eſt agens, à quo producatur calor imperfectior, dum perfectior deſtruitur: ergo ea remiſsio non fit per productionem caloris imperfectiori, & deſtructionem perfectioris. Antecedens probatur. Agens illud non eſt aqua, ſeu potè, quæ non eſt productiva caloris. Non ambiens: quia aliquando valde frigidum eſt, tunc videlicèt quãdo, aqua prius calida multa nive circundatur. Non ignis: nam ſæpè omninò ſeparatur, dum calor aquæ remittitur. Non Deus, qui ſolum operatur imp genti ad exigentiam naturæ, & ex parte naturę nihil datur exigens productionem eius caloris; vel aſſigna quodnam illud ſit: ergo in remiſsione caloris in aqua non eſt agens, à quo producatur calor imperfectior; dum perfectior deſtruitur.

12 Tertio argumentor rationi Scoti. Dum habitus acquiſitus augetur per actus ab eo procedentes, qualitas remiſſa precedens coexiſtit cum augmento acquiſito per actum: ergo hæc intenſio (ac per conſequens nulla alia) non fit per productionem qualitatis perfectioris, & deſtructionem imperfectioris. Antecedens probatur: qualitas remiſſa præcedens cauſat actum augentem habitum: ergo coexiſtit actui: ſiquidem omnis cauſa in eo inſtanti, in quo cauſat, coexiſtit realitèr, ſimulque exiſtit cum effectu, cui actu dat eſſe: ergo coexiſtit etiam augmento habitus producto in eodem inſtanti per actum; ſi enim actus in eo inſtanti coexiſtit cum augmento habitus, quod producit, & qualitas remiſſa præcedens coexiſtit in eodem inſtanti cum actu, neceſſe quoque eſt coexiſtere cum augmento habitus.

13 Sed objicies. Intenſio eſt motus à qualitate remiſſa ad qualitatem intenſam; ſed terminus *à quo* motus deſtruitur per motum ex vi termini *ad quem* denuo acquiſiti: ergo qualitas remiſſa deſtruitur per qualitatem intenſam. Reſpondeo quod qualitas remiſſa duo dicit, aliud poſitivum, videlicet, qualitatem eſſe, vt dixi; aliud negativum, videlicet, carentiam maioris perfectionis. Hoc negativum eſt terminus *à quo* motus intenſionis, &

deſt-

deſtruitur ex vi perfectionis, & qualitatis de novo productæ, cuius eſt carentia; ſecus illud poſitivum, quod, quia non eſt terminus *à quo* motus intenſionis, non deſtruitur per qualitatem de novo productam. In forma diſtinguo maiorem: intenſio eſt motus à qualitate remiſſa ad intenſam ſecundum poſitivum, & negativum qualitatis remiſſæ, nego, ſecundum negativum præcisè, concedo maiorem; & conceſſa minore, nego conſequentiam. Vel ſub alijs terminis, diſtinguo maiorem: eſt motus à qualitate remiſſa, ſpecificativè ſumpta ad intenſam, nego, à qualitate remiſſa reduplicativè prout tali, concedo maiorem: quia reduplicativè, vt remiſſa dicit carentiam augmenti producti; & conceſſa minore, nego conſequentiam.

14 Secunda ſententia, quæ tribuitur Ægidio 1. de Generat. quæſt. 18. & quodlib. 2. q. 14. aſſerit qualitatem intendi, & perfici in eadem parte ſubiecti, non quia nova pars qualitatis addatur præcedenti, ſed quia præcedens qualitas, quæ non habet latitudinem graduum, aut partium diſtinctarum, magis, & magis removet à ſubiecto impedimenta, & qualitates contrarias; quo enim magis, & magis expellit contrarium, perfectius participatur ipſa de ſubiecto, & magis ſe communicat, & maiorem effectum formalem tribuit.

15 Hæc ſententia plus diſplicet, quàm præcedens. Primo, quia lux, impulſus, & aliæ qualitates contrarium non habent, & tamen in ſubiecto intenduntur, vt conſtat experientia: ergo in vniverſum non poteſt explicari intenſio per maiorem, & maiorem abiectionem contrarij: ſi autem qualitates carentes contrario alio modo intendendæ ſunt eodem modo intendentur reliquæ habentes contrarium. Secundo; quia gratia habitualis verè creſcit, & augetur in iuſtis per actus meritorios; ſed gratia habitualis quantumvis remiſſa in prima animę informatione omnino expellit ſuum contrarium, nempe peccatum lethale: ergo intenſio, quæ poſtea ſuſcipit per actus meritorios, aliter fit, quàm per expulſionem contrarij.

16 Tertio: quia, vt obſervat P. Suar. diſp. 46. met. ſect. 1. num. 27. erroneum eſt dicere gratiam, & charitatem, verè, & realiter non augeri in nobis; ſed ſi earum intenſio fit per ſolam expulſionem contrarij non apparet quomodo verè, & realitèr augeantur; nam vt ſuprà dicebamus in prima ſui infuſione omninò expellunt contrarium; & conſequenter nihil iam ſupereſt, vi cuius augeantur poſtea, quantumvis exerceamur in operibus virtuoſis. Quarto: nam quando frigiditas expulſa eſt ab aqua per calorem, vt quatuor, & poſtea intenditur calor, rogo an expellatur alia frigiditas, an non? Si non ex-

pellitur: ergo intenſio caloris non fit per maiorem expulſionem contrarij. Si expellitur: ergo antecedenter ad calorem dabatur in aqua alia, & alia pars frigiditatis, quarum vna prius, & alia poſtea expellatur; ac proinde frigiditas non eſt qualitas indiviſibilis carens latitudine partium intentionis, ſed potius dum intenſa eſt conſtat diverſis partibus, quod negabat prædicta ſententia.

§. II.

Sententia Thomiſtarum rejicitur.

17 SEntentia omnium Thomiſtarum eſt, intenſionem non fieri per agregationem plurium partium, & graduum qualitatis in eadem parte ſubiecti; ſed qualitatem eſſe prorſus indiviſibililem realiter ſecundum intentionem; tunc tamẽ intendi, quando eſt magis radicata in ſubiecto; vi cuius maioris radicationis magis actuat, & informat ſubiectum, magis dominatur ſubiecto, illudque ſibi ſubjicit, & conſequenter maiorem illi tribuit effectum formalem. Si autem inquiramus, quid ſit hæc maior radicatio, ſeu in quo phyſicè conſiſtat, & cum quo realiter identificetur, magna eſt opinionum diverſitas.

18 Alij enim cum Aſtudillo 1. de Gener. quæſt. 8. afferente pro ſe Capreolum, dicunt, maiorem radicationem conſiſtere in perfectiori exiſtentiâ eiuſdem indiviſibilis qualitatis; iuxta quem modum dicendi, tunc qualitas intenditur, quando perfectiorem exiſtentiam acquirit; tunc verò remittitur; quando perfectoirem exiſtentiam amittit, & acquirit imperfectiorem. Alij, quibus favet Caiet. 1. 2. q. 62. art. 2. in fine, conſtituunt radicationem qualitatis in meliori eductione ipſius à ſubiecto; quo enim qualitas magis, & magis, educitur de potentia ſubiecti, magis in eo radicatur, & per conſequens magis, & magis in eo intenditur. Ad quem dicendi modum accedunt dicentes maiorem radicationem conſiſtere in eo, quod qualitas magis inſit, & inhæreat ſubiecto, ſivè ea maor inhæſio conſiſtat in meliori eductione, ſivè etiam ſuperaddat meliorem vnionem, quæ ab inhæſione non diſtinguitur à Thomiſtis.

19 Alij cum PP. Carmelit. hic diſp. 4. q. 9. dicunt radicationem addere ſupprà eſſentiam, exiſtentiam, & vnionem, ſeu inhærentiam qualitatis modum quendam realiter diſtinctum ab his omnibus, quem modum appellant modum maioris radicationis, vi cuius qualitas perfectiori modo ſe habet, & magis, ac magis præſtat ſubiecto ſuum effectum formalem. Hic enim modus, eſt *ipſum magis* qualitatis, ideoque qualitas vt coniuncta cum ipſo magis afficit ſubiectum; & vt coniuncta cum alio

alio modo perfectiori magis adhuc ſubiectum afficit, maioremque præſtat effectum formalem.

20 Convenit cum hoc dicendi mod. Magiſt. Prado. lib. 1. de Generat. quæſt. 16. quatenus docet radicationem diſtingui realiter modaliter à qualitate, ab eiuſque exiſtentia, vnione, & inhærentia, identificariq; cum terminatione quadam, vi cuius qualitas, & perfectiori modo ſe habet ad ſubiectum ipſum magis actuando, & informando, & maiorem ipſi tribuit effectum formalem. Differt tamen à Carmelit. quia hi radicationem maiorem, & minorem conſtituunt in modis plaſquàm numero diſtinctis, & inequalibus in perfectione; ipſe verò §. 5. n. 46. ſentit, modos terminationis ſolo numero diſtingui inter ſe.

21 Alij cum Magiſt. Lerma lib. 1. quæſt. 28. fatentur radicationem conſiſtere quidem in terminatione maiori, & maiori qualitatis in ſubiecto; addunt tamen, prædictam terminationem non diſtingui realiter adhuc modaliter à qualitate; ſed ipſam entitatem qualitatis per connotationem ad novam, & diverſam actionem agentis intenſionem conantis per ſe ipſam terminare magis potentialitatem ſubiecti; quatenus videlicet per connotationem ad novam actionem magis actuat ſubiectum, ſe magis illi communicando. Quare hæc ſententia in eo differt à præcedenti, bus, quod motui intenſionis, & actioni intenſivæ non aſsignat terminum aliquem realem, aut modalem de novo productum, qui ſit maior radicatio; in alijs verò ſententijs novus terminus producitur per talem actionem, qui, & qualitatem radicat magis, & per quem deſtruitur, & expellitur à ſubiecto minor radicatio præcedens.

22 Hæc ſententia de intenſione qualitatis per maiorem radicationem illius in ſubiecto, quocumque ex aſsignatis modo explicetur falſa nobis videtur. Et quidem contra radicationem conſiſtentem in modis perfectioribus ſuperadditis qualitati, ſivè illi modi ſint exiſtentia (admiſſo, quod eſſentia diſtinguatur realiter ab exiſtentia) ſivè eductio, ſivè vnio, ſive terminatio modalis, ſivè ſpecialis modus, qui non aliter explicetur, quam dicendo eſſe modum radicationis qualitatis, ſic argumentor. Primò; quia non eſt caput, vnde alij eorum modorum poſsint eſſe minus perfecti, & alij perfectiores. Nam omnes entitates modales ſpecificantur ab extremis, quæ natura ſua reſpiciunt, vt non ſemel diximus in Phyſicis, & per ordinem ad ea extrema debemus metiri illarum perfectionem, adeò, vt modi extremorum perfectiorum perfectiores ſint, & modi imperfectiorum imperfectiores; ſed ſubiectum, in quo intenditur qualitas, & qualitas in ipſo intenſibi-

lis, & agens intenſionem cauſans, ſunt ex vna parte extrema, quæ natura ſua reſpiciunt prędicti modi; & ex alia omnia hæc extrema eandem retinent ſemper perfectionem, ſivè qualitas ſit intenſa, ſivè remiſſa, vt inficiari non poſſunt adverſarij: ergo non eſt caput, vnde alij eorum modorum poſſint eſſe minus perfecti, & alij perfectiores.

23 Secundo, admiſſo, quod alij modi ſint perfectiores, & alij imperfectiores, id videtur omnino impertinens, vt qualitas nunc tribuat ſubiecto minorem effectum formalem, & poſtea maiorem. Probatur aſſumptum 1. Quia modi qualitatis non tribunt ſubiecto effectum formalem, ſed ſola qualitas, quę eis modis indiget præciſſe tanquam exercitio, & cauſalitate, vt ſe cōmunicet ſubiecto, eique præſtet effectum formalem proprium: ergo ſi qualitas ſemper ſit eadem, quoad munus præſtandi maiorem effectum formalem, impertinens omnino erit maior perfectio modorum quibus communicatur ſubiecto: idem enim manens idem ſemper eſt natum facere idem. Explicatur. Pone calorem miraculosè vniri ſubiecto per vnionem natura ſua educabilem, aut ſupernaturalem; ſanè in eo caſu calor perfectiori modo ſe communicabit ſubiecto, quam per communicationem, & vnionem naturalem, & natura ſua educibilem; & tamen non conſtituet ſubiectum magis calidum in vno caſu, quam in alio. Licèt enim maior vnionis perfectio præſtaret, quod effectus formalis calidi includens ipſam eſſet perfectior, quàm effectus formalis calidi includens vnionem imperfectiorem, tamen nondum video quomodo præſtare poſſet, quod alter effectus formalis eſſet maior alio, & alterū calidum, magis calidū, quàm aliud: ergo ſimilitèr maior perfectio modorum, quibus eadem qualitas indiviſibilis caloris nunc communicatur ſubiecto pręſtare poterit, quod calidum nunc ſit perfectius, quam antea, quando per modos imperfectiores cōmunicabatur calor ſubiecto; non tamen præſtare poterit, quod calidum nunc ſit magis calidum, quam antea.

24 2 Probatur idem aſſumptum. Quia quævis forma dum ſemel communicatur ſubiecto ei tribuit totum effectum formalē, quem poteſt, & cuius ſubiectum eſt capax, pręſertim ſi in ſubiecto non detur forma contraria præſtans effectum formalem oppoſitum. Id certum videtur: nam forma non alitèr præſtat effectum formalem, quam per ſui cōmunicationem ad ſubiectum: ergo ſi lux indiviſibilis, & carens contrario debet conſtituere aèrem lucidum, & magis lucidem, dum primo communicatur aèri, ante advētum modorum perfectiorum, præſtabit ipſi totum effectum formalem, quem poteſt,

&

& cuius aër eſt capax ; proindeque ad id munus impertinens erit maior modorum perfectio.

25 Dices : non eſſe impertinentem, ſed neceſſarium : quia lux non communicat aëri totum effectum formalem, quem poteſt, quouſque ſe illi communicet, & ipſum actuet quantum poteſt ; vt autem ſe communicet ſe, & actuet, neceſſarij ſunt illi modi, quibus magis, & magis aëri communicatur, & aërem actuat. Sed contra : quia adhuc non apparet, quomodo indiviſibilis lux magis, & magis actuet, & ſe communicet, licet ſatis appareat perfectius actuare, & ſe communicare, vt ſuprà dicebamus. Satis, inquiam, apparet hoc ſecundum, quia perfectius actuare, & ſe communicare dicit exercitium actuandi, & ſe communicandi eſſe perfectius, & hoc accideret data maiori perfectione modorum, qui eſſent actuale exercitium actuandi, & ſe communicandi lucem aëri. Sed nondum apparet primum, ſcilicèt lucem per eos modos magis actuare, & magis ſe communicare : nam ſi lux eſt indiviſibilis realitèr, & entitatiuè, eo ipſo quod ſemel communicetur aëri, tota quanta eſt communicatur, & in quantum poteſt ; quæ enim maior communicatio vltra hanc excogitari poteſt? Ergo, vt lux præbeat aëri effectum formalē magis lucidi, impertinens eſt maior perfectio eorum modorum, quibus perfectius, & perfectius poteſt ipſum actuare, & afficere.

26 Dices adhuc, ad hoc munus multum conducere, & eſſe neceſſarios eos modos perfectiores, & perfectiores : quia licet qualitas intenſibilis ſit entitatiuè, & realitèr indiviſibilis, eſt tamen virtualitèr diviſibilis ; videlicèt, qua indiviſibilis cū ſit, habet virtualem latitudinem gradū, vt pro perfectiori, aut minus perfecta communicatione ſui conſtituere poſſit ſubiectum lucidum, aut calidum, vt vnum, vt duo, vt quatuor, &c. Proindeque inæqualis perfectio modorum conducit, & neceſſaria eſt, vt eadem indiviſibilis qualitas iam minus, iam magis actuet ſubiectum, iam minorem, iam maiorem effectum formalem illi tribuat. Id explicatur exemplis : etenim perfectior vnio animæ in carne, quam in oſſe eſt in cauſa, vt perfectiores operationes eliciat in carne, quā in oſſe, & perfectior vnio ſpeciei impreſſæ in oculo, quā in aëre ; eſt in cauſa, vt ſpecies informet intentionalitèr oculum, & non aërem : ergo ſimilitèr perfectior modus communicationis qualitatis indiviſibilis ad ſubiectum in cauſa erit, vt qualitas plus operetur in ſubiecto in genere cauſæ formalis, id eſt, in cauſa erit, vt tribuat ſubiecto effectum formalem maiorem eo, quem præſtabat ſub imperfectiori modo.

26 Sed hæc ſolutio non im-

infringit vim noſtræ rationis. Quia ſemper manet inexplicatum, quomodo perfectior communicationis modus facit, quod qualitas antea conſtituens ſubiectum calidum, vt duo, nunc conſtituat illud calidum, vt quatuor? Contendimus enim eum perfectiorem modum communicationis præſtare effectum formalem perfectivum, & ſubiectum conſtituere perfectius calidum; non autem præſtare effectum formalem maiorem, neque conſtituere ſubiectum magis calidum, quia qualitas ü indiviſibilis eſt, dum ſemel vnitur ſubiecto ei ſe communicat quantum poteſt. Quomodo ergo magis ſe communicat per perfectiorem modum?

28 Si dicas, ideò magis ſe communicare per perfectiorem modum, quia per ipſum explicatur latitudo virtualis qualitatis in ordine ad præſtandum effectum formalem, quem poteſt. Si, inquam, hoc dicas, ægrè ad modum percipitur hæc explicatio. Etenim iuxta communem, & veram Philoſophiam effectus formalis formæ, ſivè ſubſtantialis, ſivè accidentalis, nihil aliud eſt, quam totum reſultans ex ſubiecto, forma, & communicatione formæ ad ſubiectum: ſi ergo in prima communicatione qualitatis ſecundum ſe totam (indiviſibilis quippè eſt apud vos) communicatur ſubiecto, neque poſt communicari poteſt aliquid antea non communicatum, quid ergo eſt qualitas per perfectiorem modum explicari ad intenſiorem effectum formalem? Quid eſt qualitatem ante eſſe confuſam in ſubiecto, ſi ante perfectiorem modum tota quanta eſt præceſsit communicata ſubiecto?

29 Nec exempla, quibus ſe protegit ſolutio ex n. 26. vim habent. Tùm, quia admiſſa perfectiori vnione animæ in carne, quam in oſſe, dicere poſſemus iuxta doctrinam adverſariorum, animam intenſiorem eſſe in carne, quam in oſſe, quia per illam perfectiorem vnionem determinari poterit, vt magis informet carnem, quam os, ſicut apud ipſos qualitas per perfectiorem communicationem ad ſubiectum magis informat nunc ipſum, quam antea. Deinde exempla nō vrgent: non primum, quod potius ſupponit falſum; anima enim omnibus partibus corporis vnitur vnione æqualis perfectionis ſed quia in vna parte coniungitur cum diſpoſitionibus melioribus ad agendum, quàm in alia, ideo perfectius operatur phyſicè in vna parte, quàm in alia, non autem perfectius informat vnam, quàm aliam. Non ſecundum: tùm, quia potentia non informatur intentionaliter per ſpeciem; ſed per viſionem. Tùm quia admiſſo, quod potentia informetur intentionaliter ſpecie, ideo ipſa potius, quàm aer intentionaliter informatur; quia potentia vitalis capax eſt huius effec-

cus formalis, & non aër. At in caſu quæſtionis cum ſubiectum ſit capax effectus formalis calidi, vt quatuor, illum ſuſciperet à calore primo exiſtente, & ſibi communicato, ſi calor eſſet indiviſibilis emitt:rivè, & non egeret additione novæ partis caloris, ſiquidem, vt probatum manet, defectus communicationis, & radicationis perfectioris impedire non poſſet calorem quominus præſtaret eum aff:ctum formalem.

30 *Tertio* contra radicationem qualitatis explicatam per modos perfectiores, & perfectiores vrgentur argumenta facta §. 1. à num. 11. contra ſententiam Durandi. Et quidem argumentum deſumptum ex remiſſione ſic vrgetur. Quia ſi intenſio fit per perfectiorem modum radicationis deſtruentem modum imperfectiorem præexiſtentem (quo pacto iuxta hanc ſententiam debet fieri) ſanè remiſsio fiet per modum imperfectiorem, & deſtructionem perfectioris; ſed non poteſt ita fieri, quia non eſt agens, à quo producatur modus ille imperfectior. Quod ita oſtenditur in remiſsione caloris; quam experimur in aqua, quando ſeparatur ignis. Tunc enim modus imperfectior radicans calorem in aqua non producitur ab igne, nam ſupponimus ignem deſiere; non ab aqua, quæ non eſt productiva caloris, neque modi caloris; non à Deo Authore naturæ; quia Deus ad eam productionem non movetur per exigentiam ignis, qui ſicut operari non poteſt, quia non exiſtit, ita neque poteſt movere Deum, vt nomine ipſius producat eum modum; neque movetur Deus per exigentiam aquæ, nam hæc potius reſiſtit ei productioni ſibi contrariæ; ergo nullum eſt agens, à quo producatur modus ille imperfectior radicationis.

31 Dices, modum illum produci per naturalem reſultantiam ab igne, qui perſeverat virtualiter in calore. Sed contra: quia vel modus ille producitur per actionem ignis manentem in calore; vel per actionem ipſius caloris? Sed neutrum poteſt dici; ergo ſolutio eſt inſufficiens. Minor probatur. Non per actionem ignis manentem in calore; quia illa actio prius producebat ſimul cum calore perfectiorem modum illius; ſi autem in remiſsione produceret modum imperfectiorem, eadem actio ſucceſsivè produceret modos diſtinctos in ſpecie, & inæquales in perfectione, & hoc dici nequit; quia actio ſpecificatur à termino ſuo, & eadem actio numero non poteſt ſpecificari à terminis diſtinctis in ſpecie. Deinde neque producitur modus imperfectior per actionem ipſius caloris: nam vt calor eum producat neceſſarium eſt, quod ſit in ſubiecto, nā accidens extra ſubiectum exiſtens operari non poteſt vel ergo propriori ad produ-

cendum imperfectiorem modum eſt in ſubiecto per modum perfectiorem præcedentem, vel per imperfectiorem producendum? Si per imperfectiorem; hic exiſteret pro priori ad ſuam exiſtentiam, & antequam exiſteret, quod eſt impoſsibile. Si per perfectiorem; modus perfectior, & modus imperfectior ſimul coniungerentur cum calore in eodem ſubiecto, quia quod in aliquo inſtanti exiſtit propriori ad aliquem terminum coniungitur in eodem inſtanti cum illo termino. At iuxta adverſarios modus imperfectior nunquam coniungitur cum perfectiori, ſed potius alter expellitur per alterum. Ergo non eſt agens à quo producatur modus imperfectior in remiſsione, quæ proinde fieri non poteſt per productionem modi imperfectioris, & deſtructionem perfectioris.

32 Vrgetur deinde contra eandem ſententiam argumentum deſumptum ex intenſione habitus. Nam, vt habitus intenſus, vt duo producat actum, per quem ſe intendit vſque ad quatuor, pro priori ad actum per quem producitur perfectior modus conſtituens habitum, vt quatuor, præcedit ipſe habitus, vt radicatus in ſubiecto. Vel ergo præcedit, vt radicatus, vt quatuor; & hoc eſt impoſsibile, quia modus perfectior radicationis, vt quatuor nō poteſt exiſtere pro priori ad ſuam productionem per actum. Vel præcedit, vt radicatus, vt duo; & ſic, modus imperfectior radicationis, vt duo præcedens ad actum coniungetur cum modo perfectiori radicationis, vt quatuor producto in eodem inſtanti per actum, & hoc negant Adverſarij: ergo habitus intenſio non poteſt fieri per maiorem radicationem conſiſtentem in perfectiori modo exiſtendi qualitatem in ſubiecto.

33 Præter hæc ſunt alia, quæ ſpecialiter militant contra Magiſt. Prado ſuprà num. 20. aſſerentem maiorem, & minorem radicationem qualitatis conſiſtere in terminationibus diſtinctis realiter modalitèr à qualitate; inter ſe tamen æqualibus in perfectione, & diſtinctis ſolum numericè. Primò enim arguo: quia; ſi vt ipſe docet, intentio non fit per coniunctionem plurium terminationum qualitatis, ſed quoties vna de novo producitur, deſtruitur præcedens, inde fiet terminationem advenientem deſtruere, & expellere terminationem præcedentem omnino ſibi æqualem, & ſimilem, vtpote ſolo numero à ſe diſtinctam. Hoc autem eſt contra principium illud Philoſophorum, quod tanquam indubitatum ſupponit P. Suarez diſput. 45. met. ſect. 1. n. 6. videlicèt, *nihil corrumpi à ſuo ſimili.*

34 Secundò arguo: quia ſi terminatio adveniens de novo, & terminatio deficiens ſunt eiuſ-

eiuſdem perfectionis, ſimiles, & ſolo numero diſtinctæ, non poteſt ſubiectum per ipſas conſtitui calidum, & magis calidum v. g. calidum, vt duo, & vt quatuor. Probatur ſic: calidum, vt quatuor pluſquam numero differt à calido, vt duo: eſt certum; quia plus differt ab illo, quam ab alio calido, vt quatuor. Ergo calidum, vt quatuor includit aliquod conſtitutivum pluſquam numero differens à conſtitutivis calidi, vt duo. Sed illud conſtitutivum, neque eſt ſubiectum, neque qualitas: quia, per te idem omnino ſubiectum, & eadem numero qualitas eſt in calido, vt quatuor, & in calido, vt duo. Deinde non eſt terminatio modalis, quia per te, quę datur in calido, vt quatuor ſolo numero differt ab ea, quæ datur in calido, vt duo: ergo per terminationes modales ſolo numero diſtinctas nequit ſubiectum conſtitui calidum, vt duo, & calidum, vt quatuor. Mitto alia.

35 Difficilior adhuc eſt intenſio facta per maiorem radicationem, vt explicatam à Magiſt. Lerma; nempe per radicationem conſiſtentem in terminatione realiter omnino identificata cum qualitate, quæ per ſe ipſam magis, & magis terminat potentialitatem ſubiecti cum cõnotatione ad diverſas actiones agentis, vt ex ipſo referebamus num. 21. Argumentor ſic. Dum calor intenditur, ſubiectum realiter mutatur, & tranſit à calore remiſſo, ad calorem intenſum: ergo ſubiectum realiter ſe habet aliter in intẽſione, quàm in remiſſione; ſiquidem de ratione motus realis eſt, quod ſubiectum per ipſum ſe habeat realiter alitèr, quàm prius. Sed ſubiectum non poteſt ſe habere aliter realiter in intenſione, quam in remiſſimone, niſi de novo acquirat aliquid realiter diſtinctũ ab omni eo, quod habebat in remiſſione: ergo acquirit aliquid realiter diſtinctũ, ſivè illud ſit novus modus, ſive nova pars caloris: alias ſubiectum non mutabitur realiter, ſed manebit in eodem ſtatu.

36 Dices: verum quidem eſſe ſubiectum realiter ſe habere aliter in intenſione, quam in remiſſione; ſed hoc non accidere, quia de novo acquirat aliquam entitatem, ſivè realem, ſivè modalem antea non habitam: ſed præciſè, quia qualitas realiter terminat magis potentialitatem ſubiecti. Vnde fit, quod ſubiectum in intenſione realiter ſe habet aliter ſecũdũ terminationẽ, & aliquid acquirit, vt antea non habitum terminativè; non vero ſe habet aliter realiter ſecundum entitatem; neque aliquid acquiris, vt antea non habitum entitativè.

37 Sed contra eſt: quia per te, terminatio qualitatis, & entitas eiuſdem realiter omnino ſunt idem; ſed per te ſubiectum aliter realiter ſe habet ſecundum terminationem; ergo aliter realiter

litèr ſe habet ſecundum entitatem: quippè impoſsibile eſt, quod obiectum ſignificatum per ly *ſecundum entitatem*, & per ly *ſecundum terminationem* ſit idem realiter, & quod ſubiectum in intenſione aliter realiter ſe habeat ſecundum vnum, & non ſecundum aliud. Contra 2. Quia ſubiectum ſe habere in intenſione aliter realiter ſecundum terminationem, quàm erat in remiſsione, eſt in intenſione advenire realitèr terminationem non habitam in remiſsione; aliàs enim ſubiectum non ſe habebit alitèr realiter ſecundum terminationem. Sed ſi terminatio identificatur omnino realiter cum entitate qualitatis non poteſt advenire realiter terminatio ante non habita; quia adveniet nova entitas: ergo, vel dicendum eſt in intenſione advenire ſubiecto novam entitatem qualitatis, quod nos intendimus; vel ſaltem novam terminationem, & novum modum diſtinctum realiter à qualitate, prout docent alij Thomiſtæ.

38 Neque video, quomodo vitari poſsit vis harum rationum, niſi dicendo, terminationem qualitatis ita identificari realitèr cum eiuſdem entitate, vt ab ea diſtinguatur realitèr virtualiter; vi cuius diſtinctionis fiet, quod ſubiectum aliter ſe habeat ſecundum terminationem, & non ſecundum entitatem; item quod per intenſionem non acquirat aliquid antea non habitum entitativè, ſed ſolum aliquid antea non habitum, imò deficiens terminativè. Hac ſolutione non ſemel vti vidi reſpondentes, eamque confirmant à paritate actuum liberorum Dei, qui cum nunquam deficere poſsint entitativè (identificantur enim cum entitate neceſſaria Dei) propter ſui contingentiam deficere poſſunt terminativè.

39 Sed certè, quis credat, compoſitionem intenſionis myſterium eſſe adeo ingens, quod aliter explicari non poſsit, quam per Sacramentum contingentiæ actuum divinorum? Ego ſanè, vel ex hoc capite ſententiam Magiſt. Lerma deſererem; licèt alijs argumentis cogerer admittendam intenſionem, per maiorem radicationem. Accedit, quod pro hac ſolutione, & ſententia ponitur inter prædicata creata realiter identificata diſtinctio intrinſeca virtualis, quam multis reiecimus in Logica tract. 2. diſp. 2. ſect. 3.

40 Argumentor 2. Effectus formalis calidi, vt duo vere, & realitèr non eſt effectus formalis calidi, vt quatuor. Eſt certum: aliàs quoties ſubiectum eſt calidum, vt duo, verè, & realiter eſſet calidum, vt quatuor, quod rationi, & experientiæ pugnat: ergo in effectu formali calidi, vt quatuor datur aliquod conſtitutivum reale realiter diſtinctum ab omnibus conſtitutivis calidi, vt duo. Probatur conſequentia: quia

quia cum effectus formalis nihil aliud ſit, quàm ſua conſtitutiva, non poteſt alter effectus formalis ab alio diſtingui, niſi per diſtinctionem omnium, vel alicuius ex ſuis conſtitutivis; ſed illud conſtitutivum diſtinctum non eſt calor, qui per te, indiviſibilis eſt; non terminatio vt duo præcedens in calido, vt duo, quia illa terminatio non diſtinguitur à ſe ipſa: ergo vel eſt aliqua alia terminatio, aut modus ſecundum entitatem diſtinctus à terminatione præcedente, vel aliqua alia pars caloris antea non exiſteas.

41 Dices iterum: effectus formalis calidi, vt duo non diſtingui entitativè ab effectu formali calidi, vt quatuor, ſed terminativè; & hoc ſufficere, vt non quoties ſubiectum eſt calidum, ut duò, ſit etiam calidum, vt quatuor. Nam quando ſubiectum eſt calidum, vt duo deſſicit terminatio, vt quatuor, quæ eſt conſtitutivum effectus formalis calidi, vt quatuor; deſſicit, inquam non entitativè, ſed terminativè. Si autem inquiras: ſiquidem terminatio, vt quatuor realiter etiam modaliter identificatur cum entitate caloris exiſtentis in calido, vt duo, cur deficit tunc terminatio, vt quatuor? Cur non conſtituit tunc effectum formalem calidi, vt quatuor? Reſpondent quia calor identificans ſecum vtramque terminationem connotat diverſam actionem agentis, vt ſit in ſubiecto terminatus, vt quatuor, & vt ſit terminatus, vt duo; quando autem ſubiectum eſt calidum, vt duo, datur illa actio, quam calor connotat, vt terminetur, vt duo; & quia deficit actio, quam connotat, vt ſit terminatus, vt quatuor ideò deſſicit terminatio, vt quatuor, & calor conſtituere non poteſt effectum formalem calidi, vt quatuor. Sed doctrina de connotatis, cui hæc ſolutio nititur, vt ſine additione novæ entitatis detur novus effectus formalis difficillima eſt, & nobis falſa, ſiquæ alia. Non licet in eius impugnatione immorari, ne alibi dicta transſeribamus. Vide, quæ in ſimili diximus in Logica tract. 5. diſp. 5. ſect. 3. & in Phyſic. lib. 1. diſpt. 4. ſect. 22. §. 1.

§. III.

Protegitur vera ſententia.

42 EA eſt, intenſionem qualitatis non vitalis (agemus de vitali ſect. 3.) fieri per additionem gradus ad gradum qualitatis in eadem parte ſubiecti. Ita Scotus in 1. diſt. 17. quæſt. 4. quem ſequuntur Scotiſtæ omnes apud Pontium diſpt. 51. & omnes AA. noſtri cum Suarez diſp. cit. ſect. 3. & Vazquez 1. 2. diſp. 82. cap. 3. Quibus ex extraneis adhærent Lorca, Averſa, Echalaz, & plures alij, tàm ex an-

tiquis, quàm ex moderniori. bus, quos longum eſſet recenſere. Huius ſententiæ præcipua probatio ſumitur ex impugnatione præcedentium; eis enim ſententijs reiectis nullus alius ſupereſt modus componendi intenſionem, quàm per coniunctionem plurium graduum, & partium eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti.

43 Probatur deinde 1. Quia ſubiectum fit ſimpliciter calidum per calorem: ergo fit magis calidum per maiorem calorem, iuxta illud tritum axioma: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis.* Sed ſubiectum eſſe magis calidum, includit intenſionem caloris: ergo, intenſio caloris fit per additionem caloris, ad calorem in eadem parte ſubiecti. Confirmatur: quia ſubiectum fit ſimpliciter quantũ per quantitatem non fit magis quantum, niſi per maiorem quantitatem: ergo quia fit ſimpliciter calidum per calorem, non fit magis calidum, niſi per maiorem calorem.

44 Reſpondet Prado, exemplum eſſe contra nos; quia ſubiectum quantum ſæpè fit maius ſine additione novæ quantitatis, vt patet in rarefactione, in qua non additur quantitas quantitati, ſed quantitati additur extenſio: ergo ſimiliter ſubiectum calidum poteſt eſſe magis calidum ſine additione novi caloris; ſed præciſſè cum additione novi modi exiſtendi calorem. Sed hæc inſtantia non eſt ad rem: quia per rarefactionem ſubiectum quantum non fit magis quantum, ſed maius extenſivè & quoad locum; per intenſionem autem ſubiectum calidum fit magis calidum; & hinc arguimus, ſubiectum quantum non fit magis quantum ſine additione novæ quantitatis (eſtò fiat maius extenſivè ſine nova quantiate): ergo ſubiectum calidum non fit magis calidum ſine additione novi caloris.

45 2. Probatur concluſio. Homo iuſtus per bona opera meretur augmentum gratiæ, vereque, & realiter creſcit in iuſtitia, vt definitur à Tridentino; ſed augmentum ex ſuo conceptu dicit additionem novæ entitatis ad præcedentem: ergo augmentum gratis fit per additionem novæ gratiæ ad gratiam præcedentem; ſed augmentum gratiæ eſt intenſio gratiæ: ergo intenſio gratię fit per additionem gratiæ ad gratiam, ſeu quod idem eſt, per additionem gradus ad gradum gratiæ. Neque ſatisfacies, ſi dicas, gratiam augeri per actus meritorios, hominemque creſcere in iuſtitia abſque additione gratię, per id ſolùm, quod adveniat novus modus perficiens gratiam precedentem; ſicut quantitas augetur in rarefac-

factione per adventum novæ extenſionis abſque nova quantitate.

46 Id inquam non ſatisfacit. *Primò*: quia dum gratia augetur per actus meritorios, ita homo creſcit in iuſtitia, vt ſit magis iuſtus, & magis ſanctus; ſed ea maioritas in iuſtitia, & ſanctitate non poteſt fieri præciſè per novum modum advenientem, quicumque ille ſit, vt ſatis, meo videri, manet probatum in §. 2. à num. 23. viſque ad 29. ergo gratia non augetur præciſè per adventum novi modi. *Secundo* retorquendo exemplum de quantitate: quia licèt quantitas occupet maius ſpatium in rarefactione per adventum novi modi extenſionis abſque nova quantitate; at quantitas ipſa non poteſt in ſe eſſe maior, & augeri abſque additione novæ quantitatis: ergo ſi, vt ex Tridentino conſtat, gratia ipſa in ſe augetur, & fit maior per merita, vtpote homo merens creſcit non ſolùm in modo habendi iuſtitiam, ſed in ipſa iuſtitia præhabita, hoc augmentum ſtare non poteſt abſque additione novæ gratiæ.

47 *Tertio*, quia in hoc augmento non ſolum ſuperaddi novum modum habendi gratiam, ſed novam partem eius qualitatis, quæ eſt gratia, conſtare vidètur ex Tridentino, vt alij iam obſervarunt. Etenim ſeſſ. 7. can. 7. definit Concilium, per Sacramenta novæ legis: *Dari gratiam ſemper, & omnibus*. Vnde arguo: ergo homini iam iuſto, & grato accedenti ad Sacramentum Pœnitentiæ *datur gratia* per ipſum Sacramentum; at non datur gratia præcedens, vt patet; neque datur ſolus modus gratiæ; quia *gratia* non ſupponit pro modo habendi ipſam, ſed pro qualitate formę gratum facientis: ergo datur nova pars gratiæ, quæ pręcedentem auget, & per quam homo verè creſcit in entitate iuſtitiæ. Atque hinc manet reiectus Magiſt. Prado, qui poſtquam hoc argumentum parvi pendet quæſt. 15. num. 43. ſibi videtur difficultatem ſolviſſe dicendo, homini iuſto dari gratiam per Sacramentum, quia datur modus terminationis, gratiæ, & hic modus, ſeu *perfectio gratiæ, gratia eſt*. Et reijcitur vlteriùs; tùm quia ſi modus gratiæ eſt gratia, vt, vnio, quę modus eſt caloris, erit calor; tùm quia ſi ille modus eſt gratia, non ſolùm gratia, ſed modus, & terminatio illius iuſtificabit formaliter: quia hoc eſt munus propriū gratiæ, ſed vtrumque horum eſt falſum: ergo ſolutio inſufficiens.

48 Contra concluſionem obijc. 1. Eſſentia cuiuſvis rei conſiſtit in indiviſibili: ergo & eſſentia intenſionis; ſed quod in indiviſibili conſiſtit caret partibus ex quibus componatur: ergo, & intenſio caret partibus,

ex quibus componatur qualitas intenſa. 2. Forma accidentalis eſt purus actus carens partium compoſitione; ſed calor, etiam vt intenſus, eſt forma accidentalis: ergo calor, etiam vt intenſus caret partium compoſitione. 3. Qualitas intenſa perfectior eſt qualitate remiſſa; ſed ſi intenſio fieret per additionem partis ad partem qualitatis, qualitas intenſa non eſſet perfectior remiſſa, ſed hæc potius eſſe perfectior intenſa: ergo intenſio non fit per additionem partis ad partem qualitatis. Minor probatur: quia qualitas remiſſa, vtpote compoſita ex paucioribus partibus eſſet ſimpliciter intenſa, & hæc quia ex pluribus partibus compoſita, eſſet minus ſimplex; ſed qualitas, quò ſimplicior, eò eſt perfectior: ergo qualitas intenſa non eſſet perfectior remiſſa; ſed hæc potius eſſet perfectior intenſa.

49 Ad *primum* reſpondeo; eſſentiam metaphiſicam intenſionis, ſicut, & cuiuslibet alterius rei, conſiſtere in indiviſibili; hoc eſt in tali prædicatorum collectione, quorum ablato, & deficiente aliquo deficit eſſentia. At cum hoc ſtat eſſentiam phyſicam intenſionis ex partibus inter ſe diſtinctis componi; ſicut eſſentia phyſica hominis componitur ex materia, forma, & vnione inter ſe diſtinctis, licèt eſſentia eiuſdem hominis metaphiſicè ſumpta conſiſtat in indiviſibili. Ad *ſecundum* reſpondeo, formam accidentalem eſſe actum purum puritate excludente ipſam componi ex materia, & forma, aut puritate præſtante, quod diſtinguatur adæquatè à ſubiecto; non vero puritate excludente compoſitionem ex partibus integrantibus. Id autem optimè quadrat formæ accidentali intenſæ, quæ licet habeat partes ex quibus integretur, diſtinguitur adæquatè a ſubiecto, & caret compoſitione ex materia, & forma. Ad *tertium* reſpondeo, formam ſimpliciorem, cæteris paribus, eſſe perfectiorem forma, minus ſimplici, & magis compoſita, ſecùs cæteris imparibus. In præſenti autem cętera ſunt imparia; quia perfectio maioris ſimplicitatis, quæ reperitur in qualitate remiſſa compenſatur abunde, & exceditur per alias perfectiones qualitatis intenſæ magis compoſitæ. Videlicet, quia qualitas intenſa habet in ſubiecto maiores vires reſiſtivas, tùm formaliter, tùm activè producendo in contrario plures gradus ſuæ ſpeciei, per quos imminuit eius vires; habet enim qualitas intenſa plures gradus virtutis activæ, & multitudo agentium iuvat ad agendum.

50. Obijc. 4. Vel gradus, & partes componentes intenſionem qualitatis diſtinguntur numero, vel ſpecie; ſed neutrũ poteſt dici; ergo intenſio nõ componi-

nitur ex pluribus partibus,& gradibus qualitatis. Minor probatur per partes. Non poteſt dici primum: quia accidentia individuantur à ſubiecto, & iuxta Div. Thom. diverſa accidentia individuari non poſſunt ab eodem ſubiecto numero. Neque poteſt dici ſecundum: tùm quia res diverſæ ſpeciei non poſſunt conſtituere vnum per ſe, quale eſt intenſio. Reſpondeo gradus qualitatis diſtingui inter ſe ſpecie inadæquata, vt probabimus diſp. ſeq. & vt ſic diſtinctos, rectè componere poſſe vnum per ſe, ex eo quod natura ſua ordinantur, vt ſint in eadem parte ſubiecti cum quadam ſubordinatione ipſis intrinſeca, vi cuius alter ſit primus, & producendus primo loco, alter ſecundus, & ſic in reliquis. Et hinc apparet diſtinctio intenſionis à toto per accidens,& per aggregationem qualis eſt acervus lapidum, cuius partes, neque ordinantur ad idem ſubiectum, neque inter ſe ſervant ſubordinationem aliquam ſibi intrinſecam. Cæterum licet ſolo numero diſtinguerentur, nihil obſtaret caput illud individuationis: neque Div. Thom. eſſet nobis oppoſitus, vt infra apparebit.

51 Obijc. 5. vt qualitas in genere cauſę formalis præſtet ſubiecto ſuo maiorem effectum, illudque conſtituat magis calidum v.gr. non eſt neceſſaria pluralitas partium,& graduum caloris, ſed ſufficit, quod qualitas indiviſibilis ſe communicet ſubiecto per perfectiorem cauſalitatem in genere cauſæ formalis, id eſt per perfectiorem vnionem, aut terminationem: ergo nulla eſt neceſsitas componendi intenſionem ex pluribus partibus qualitatis. Antecedens probatur à ſimili: nam cauſa eò maiorem effectum producit in genere efficientis in paſſo extraneo, quo perfectior eſt eius cauſalitas in eodem genere: ergo ſimiliter calor eo maiorem effectum formalem præſtabit ſubiecto, quo perfectior fuerit cauſalitas, per quam in genere formali communicatur ſubiecto. Antecedens ſupponitur, tanquam indubitabile, ab adverſarijs, & conſequentia videtur patere à paritate rationis.

52 Nego antecedens; & ad probationem reſpondeo, ex perfectiori cauſalitate non recte argui vniverſaliter maioritatem effectus, neque in genere efficientis, neque in genere cauſæ formalis. Non in genere efficientis: nam ſi calor elevaretur à Deo(vti poteſt iuxta plures AA.) vt per creationem produceret in paſſo extraneo calorem, vt duo, cauſalitas illa perfectior eſſet cauſalitate, per quam de facto producit in paſſo extraneo calorem, vt duo per eductionem; & tamen effectus productus non eſſet maior in vno caſu, quàm in alio, vt patet. Non in genere formali: quia vt dicebamus in ſu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

perioribus , licèt cauſalitas illa præſtaret,quod effectus eſſet perfectior , non tamen , præſtaret, quod eſſet maior. Recole § 2. à num. 23. Quare ſi aliquando ex perfectiori cauſalitate in genere efficientis arguitur maior effectus in eo genere, tunc eſt quando maior perfectio cauſalitatis provenit ex maiore virtute efficienter activa , quæ eo ipſo , quod ſit maior, eſt præcontentiva maioris effectus; ſed ex hoc caſu nulla eſt paritas pro ſententia Thomiſtarum in præſenti, quia cùm apud ipſos, qualitas ſemper ſit eadem, neque in intenſione accipiat incrementum in virtute informativa , non poteſt per perfectiorem cauſalitatem, per quam communicatur ſubiecto, præſtare maiorem effectum formalem , eſtò perfectiorem effectum præſtet, vt dictum eſt.

53 Obiicies 6. Ariſt. 4. Phyſic. text. 84. dicente : *ex calido fit magis calidum nullo facto in materia calido , quod non prius erat calidum , quando minus erat calidum* , vbi Philoſophus videtur aſſerere in motu intenſionis, per quem materia tranſit à calida in magis calidam,nullam intervenire additionem partium caloris. Reſpondeo Ariſt. nihil agere in præſenti de diviſibilitate,aut indiviſibilitate caloris , qui intenditur, ſed de ſubiecto in quo fit intenſio, & de eo docet, vt explicat ibi Commentator , idem ſubiectum , quod prius erat calidum per intenſionem fieri magis calidum abſque additione partium materiæ,aut ſubiecti,quod fiat de novo calidum;& hoc veriſsimum eſt : quia intenſio , vt diſtincta ab extenſione qualitatis, fit in eadem parte ſubiecti.

54 Obiic. 7. D. Thom. pluribus in locis allatis à Lerma, Prado, & Carmelit. vbi ſupra. In his autem locis tria docet , quæ nobis aperte opponi videntur. *Primum* , qualitatem tunc intendi, quando magis radicatur in ſubiecto , intenſionemque fieri per maiorem radicationem. *Secundum* , nihil aliud eſſe qualitatem intendi in ſubiecto , quam qualitatem magis in eſſe ſubiecto , & in eo magis inhærere , & ex ipſo educi ab actu imperfecto ad perfectum. *Tertium*, intenſionem non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem. Ita loquitur 2. 2. q. 24. art.5. & Opuſcul. 48. tract. 2. cap. 4 addit intenſionem non fieri per additionem gradus ad gradum. Quid clarius reperiri , aut deſiderari poteſt , vt habeamus contrarium D. Thomam. Cæterum licet hæc ita ſint P. Hurtad. hic diſput. 5. integra ſect. 5. ſatis probabiliter ſuadet D. Thomam eadem , ac nos tueri ſententiam, licet in modo loquendi differat: & Caietanum, præcipuum interpretem D. Thomæ , totam litem reducere ad quæſtionem de nomine , eius allatis verbis oſtendit §. 63.

55 Ego vero per otium pen-

Digitized by Google

penſatis , quæ pro ſua ſententia afferunt Thomiſtæ , & quæ cum P. Hurtado affert P. Alphonſ. hic diſp. 1. ſect. 3. convincor , vt credam D. Thom. mentem in hoc puncto non eſſe adeò expreſſam, vt varijs interpretationibus non ſubijciat, provt notavit Caiet. 2. 2. quæſt 24. §. *in. art* 4. & 5. Quare ad *primum* eorum , quæ opponuntur reſpondeo, vocem *radicatio* nobis non officere: nam vt bene obſervat P. Quiros tract. 5. diſput. 73. ſect. 1. qualitas per intenſionem dicitur radicari in ſubiecto per metaphoram deſumptam ex arboribus; & metaphora in eo ſtat , quod ſicut arbores , quò altiores radices egerunt , eò difficilius evelluntur, ita qualitas quo intēſior eſt, eo difficilius à ſubiecto expellitur,& quaſi evellitur. In hoc autē ſenſu qualitas intenſa per additionē gradus ad gradū magis eſt in ſubiecto radicata, quàm minus intenſa ; quia magis intenſa poſsidet ſubiectum per plures ſui partes, & gradus, qui eius expulſioni reſiſtunt , & exinde difficilius à ſubiecto evellitur. Ecce iuxta noſtram ſententiam maior radicatio qualitatis in intenſione.

56 Ad *ſecundum*, rectè quidem docet D. Thomas qualitatem in intenſione magis ineſſe, & inhærere ſubiecto, quia ei ineſt,& inhæret per plures ſui partes , & gradus. Rectè deinde docet , per intenſionem qualitatem educi de actu imperfecto ad perfectum, quia per novi gradus productionem in eadem parte ſubiecti qualitas ſuſcipit incrementum , quo prius carebat , & perfectiori , melioriquè modo ſe habet, quia per ſubſidium gradus advenientis magis reſiſtit contrarijs, conaturque in ſui conſervationem, cum maiori ſecuritate; vt ita dicam , eam obtinendi. Deinde iuxta dicenda diſp. ſeq. per intenſionem educitur qualitas de imperfecto ad perfectum, quia in qualitatibus activis per intenſionem producitur gradus perfectior præcedentibus.

57 Ad *tertium* , quod difficilius eſt, reſpondeo, mentem D.Thomæ, eſſet vt conſtat ex locis , quæ obijci ſolent , & præcipuè ex 1. ſent.diſt.17.quæſt.2.art. 2.in intenſione non eſſe gradus, aut partes qualitatis numero diſtinctas ex eo principio , quod accidentia individuantur à ſubiecto ; & ab eodem ſubiecto nequeunt plura accidentia individuari. Sed neque in hoc diſcedimus à D.Thom. nam , vt ex ipſo S. Doct. oſtendimus in Logica tract. 5. diſp.3. ſect.4. num. 62. non ſumitur a materia , & ſubiecto ea individuorū diſtinctio, vi cuius vnum individuum in ſe non eſt aliud ; ſed diſtinctio ſenſibilis , & diſcernibilis quoad nos, de qua docet reperiri non poſſe in accidentibus non exiſtentibus in diverſis ſubiectis , quia niſi ſic exiſtant , non poſſumus per ſenſus diſcernere , an ſint plura , an vnum. Fatemur ergo in intenſione

ne non dari gradus qualitatis diſtinctos ſolo numero diſtinctione ſenſibili, & diſcernibili à nobis per ſenſus, ſed addimus dari accidentia numero diſtincta diſtinctione faciente, quod vnum in ſe non ſit aliud. Id enim convincunt hucuſque dicta, & non negantur à Divo Thoma.

58 Hoc dixerim admittendo gradus qualitatis numerò tantum diſtingui. Sed quia prędictos gradus pluſquam numero diſtinctos defendimus, adhuc poteſt nobis obijci D. Thomas, qui loco nuper cit. ex 1. ſent. & ſæpè alibi docet, non fieri intenſionem per additionem qualitatis ad qualitatem ſpecie diſtinctam. Sed reſpondeo, negare D. Thomam additionem qualitatis ad qualitatem ſpecie adæquata diſtinctam; non vero additionem qualitatis partialis ad qualitatem partialem cum ſubordinatione intrinſeca vnius partis ad aliam ad conſtituendam vnam intenſionem, & qualitatem completam, in quo nulla apparet difficultas.

SECTIO. III.

De Intenſione actum vitalium.

59 Hucuſque actum eſt de intenſione qualitatum non vitalium. De intenſione vitalium agendum modo, an etiam fiat per additionem gradus ad gradum? Neque ſermo eſt de potentijs vitalibus. Tùm quia apud nos, identificantur cum anima, quę non eſt capax intenſionis, ſicut neque capax eſt quęvis alia forma ſubſtantialis, quæ non ſuſcipit magis, & minus in eadem parte materiæ, vt ſupponunt omnes cum Ariſt. 5. Phyſic. text. 7. & D. Thoma. Tùm: quia citò potentiæ diſtinguantur ab anima ei tribuũtur in prima generatione viventis in ſtatu quodam permanenti, & invariabili, à quo per actionem contrariorum dimoveri non poſſunt. Quęſtio ergo eſt de actibus vitalibus, viſionis, cognitionis, amoris, de actibuſque aliarum potentiarum vitalium.

60 Ex his, qui huius quæſtionis expreſſe meminerunt ferè omnes docent, has qualitates non intendi per additionem gradus ad gradum, neque per amiſsionem aliquorum graduum remitti; ſed totam intenſionem earum fieri per deſtructionem actus imperfectioris, & productionem perfectioris, & remiſsionem per productionem actus imperfectioris, & deſtructionem perfectioris. Ita Pontius diſp. 53. q. 5. concl. 3. & ex noſtris PP. Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 10. diſp. 2. num. 80. Liace lib. 6. Phyſicæ diſp. 19. num. 20. Quiros hic diſp. 73. ſect. 5. num. 32. Cardin. Pallavicinus 1. 2. diſp. 3. de Voluntar. q. 2. art. 5. Quibus communiter ſubſcribunt noſtri RR. Oppoſitum defendit Spinula hic diſp.

3. num. 19. pro cuius ſententia ſtare videntur Arriaga, & Hurt. nec non P. Suar. diſp. cit. ſect. 1. n. 27. & ſect. 2. n. 42. potius rem ſupponens, quàm prabans.

61 Prima ſententia vera eſt, & probatur. Primò: quia præcipua ratio defendēdi intenſionem aliarum qualitatum per additionem gradus ad gradum ſumitur ex impugnatione Durandi, & Thomiſtarum, & præcipuè ex eo, quod in remiſsione non eſt aſsignabile agens, à quo producatur qualitas imperfectior, aut imperfectior modus exiſtendi eandem qualitatem in ſubiecto, ſed hæc ratio non vrget in præſenti: deeſt ergo præcipuum fundamentum, vt dicamus qualitates vitales, ſicut non vitales, intendi per additionem gradus ad gradum: Minor probatur: nam cum cognitio ſpiritualis, & materialis viſio oriantur à ſpecie obiecti, aut aliquo gerente vices ſpeciei, quando ſpecies eſt intenſa, & maior, intenſior eſt, & clarior cognitio; quando verò poſtea remittitur ſpecies, deficit prior cognitio per defectum ſuę cauſæ, & ſuccedit cognitio imperfectior proportionata ſpecie, imperfectiori, & minus intenſæ quę ſucceſſit loco alterius. Deinde amor efficax, qui dicitur intenſus reſpectu inefficacis, primò concipitur, & conſervatur pro libera determinatione voluntatis, penès cuius libitum ſtat ceſſare ab eo amore, & loco ipſius ponere amorem inefficacem: ergo aſsignatur ratio pro intenſione, & remiſsione actuum vitalium, ſine recurſu ad pluralitatem graduum.

62 *Secundò* probatur: cognitionem eſſe intenſam, aut remiſſam, eſt eſſe claram, aut obſcuram, ſeu minus claram, ſed claritas cognitionis non ſtat in compoſitione graduum diſtinctorum: ergo neque intenſio: Probatur minor: cognitio intuitiva ex ſuo modo eſſentiali repræſentandi obiectum eſt clarior cognitione abſtractiva independenter à compoſitione gradum. Pone enim intuitivam cognitionem remiſſiſsimā, & (vt tecum loquar) in primò gradu; certè illa in claritate ſuperabit abſtractivam, & nullam includet compoſitionem graduum: ergo datur iam claritas cognitionis, proindeque intenſio illius reſpectivè ad aliam minus claram, abſque compoſitione graduū diſtinctorū: conſequenterque, vt alia cognitio, & viſio ſit clarior, & intenſior, & alia remiſſa, & minus clara non eſt opus vlla graduum diſtinctione.

63 *Tertiò* probatur: quia vt dicemus lib. 2. de Anima, iudicium non ſtat in duplici, aut triplici cognitione apprehenſiva, ſed in actu alio indiviſibili ex ſuo modo tendendi diſtincto ab apprehenſionibus, ferente ſententiam de obiecto propoſito; in iudicijſque, quod aliud ſit abſolutum, aliud conditionale, aliud diſiunc-

iunctivum; aliud determinatum, non reducitur ad coniunctionem, aut ſeparationem plurium actum; ſed ad modum ſpecialem, & intrinſecum tendendi quò ad obiectum feruntur; ad quod etiam caput reducitur in actibus voluntatis, quod alter ſit efficax, & determinatus, alter diſiunctivus, alter inefficax: ergo pariter, quod in cognitionibus alia ſit clarior, alia minus clara non debet reduci ad coniunctionem, aut ſeparationem plurium cognitionum minoris claritatis, ſed ad modum intrinſecum tendendi uniuſcuiuſque proprium, vi cuius alia clariùs, alia minus clarè fertur in obiectum.

64 Inde conſtat has qualitates intentionales propriè non intendi: quia ad intenſionem propriè ſumptam opus eſt, quod qualitas remiſſa perſeveret, dum per intenſionem augetur; & in actibus intellectus non accidit ſic, ſed potius imperfectior deficit adveniente perfectiori. Dicitur tamen, largè loquendo, intenſa ea cognitio, quæ ſe ipſa clarior eſt in repræſentando, & remiſſa, quę minus clara. Eritque clarior, aut minus clara cognitio, prout fuerit perfectior, aut imperfectior ſpecies ab obiecto miſſa, aut ſi quid eſt aliud, quod loco obiecti concurrat ad cognitionem, de quo lib. 2. de Anima. Inde etiam conſequenter remiſsio cognitionis non fit per deſtructionem, aut diminutionem alicuius gradus cognitionis præcedentis, reliquis gradibus manentibus; ſed deficiente ſpecie primam cognitionem cauſante, & adveniente alia minus perfecta, deficit prima cognitio, & producitur alia imperfectior. Idem proportione ſervata dicendum eſt de intenſione, & remiſsione viſionis, amoris, & actuum aliarum potentiarum. Et per hęc patet, ſententiam Durandi intellectam de intenſione qualitatum intentionalium in ſenſu explicato veram eſſe.

65 Obijcies. Habitus intellectualis, iuxta dicta ſect. 2. intenditur per additionem gradus ad gradum: ergo, & cognitio procedens ab habitu intenditur per additionem gradus ab gradum, vt detur proportio inter cauſam, & effectum. Nego conſequentiam; tum quia eodem modo poſſet inferri, principium cognitonis ſupernatualis; eſt intellectus vitalis, & habitus ſupernaturalis non vitalis: ergo cognitio, vt proportionetur ſuo principio debet eſſe ſecundum alium gradum vitalis, & ſecundum aliũ non vitalis. Tùm quia inter cauſam, & effectum ſolum requiritur proportio continentiæ; in eo conſiſtens, quod effectus perfectio præcontineatur in cauſa; poteſt autem in habitu intenſo gradualiter ſimul cum intellectu pręcontineri tota perfectio cognitionis indiviſibilis gradualiter.

Obijc.

66 Obijc. 2. Si cognitio non eſſet compoſita ex gradibus, neque ſic eſſet compoſita ſpecies, ex qua procedit; ſed hæc debet eſſe ſic compoſita: ergo, & cognitio. Minorem probat Spinola: nam ſi quis habeat ſpeciem intenſam faciei Petri, quem antea cognovit, & poſt aliquod tempus vi illius ſpeciei recordatur Petri, certe ea recordatio non eſt tàm clara, quàm prima cognitio: ergo quia ſpecies illa remiſſa eſt. Tùnc ſic; ſed non eſt remiſſa, quia producta ſit loco prioris alia minus perfecta, quia non eſt cauſa potens illam remiſsionem producere: ergo eſt remiſſa, quia amiſit aliquem, aut aliquos gradus, conſequenterque ex gradibus erat compoſita.

67 Reſpondeo 1. negando maiorem: nam vt dictum eſt ad argumentum præcedens, licet ſpecies, quæ cauſa eſt cognitionis ſit gradualiter compoſita, & diviſibilis influere poteſt in cognitionem indiviſibilem gradualiter. Reſpondeo 2. negando minorem, nam ſpecies ſpiritualis intelligibilis relicta ex cognitione intuitiva Petri, indiviſibilis eſt, ſicut, & cognitio, vt dico in libris de Anima. Imò de ſpeciebus viſualibus forte eſt idem dicendum, quia in illis reperitur cauſa, cur alia perfectior ſit, & alia imperfectior, cur vi ipſarum iam clarè, iam minus clarè video; & cauſa eſt maior, aut minor diſtantia obiecti, quod ſpeciem mittit. Neque hoc alienum eſt ab hac concluſione; nam ſpecies deſervientes actibus vitalibus ſenſuum, & intellectus appellantur à Philoſophis ſpecies intentionales, ſicut actus ipſi vitales appellantur intentionales, ſed quidquid de hoc ſit, ſpecies intelligibiles eſſe indiviſibiles gradualiter, mihi certum.

68 Ad probationem in contrarium reſpondeo, cauſam cur Petrus poſt aliquod tempus cognoſcitur minus clarè, non eſt, quia ſpecies ex priori cognitione relicta paſſa eſt remiſsionem; ſed quia remiſsè, & imperfectè excitatur ſæpè in memoratione. Sic accidit ſæpè, vt qui ex cognitione Petri, & Pauli habuit ſpeciem æquè vtriuſque repræſentativam, recordetur in vi illius ſpeciei Petri, & non Pauli, aut è contra; non quidem, quia amiſſa ſit ſpecies alterius; ſed quia ita remiſsè, & imperfectè excitatur, vt non poſsit determinare intellectum ad vtriuſque cognitionem.

***

DIS-

DISPVTATIO II.

De natura graduum qualitatis intenſibilis.

STATVTA latitudine graduum in intenſione qualitatis, ſupereſt eorum graduum naturam cognoſcere; an videlicet homogenei, & ſimiles, an diſsimiles, & etherogenei; an æquales, vel potius inæquales ſint in perfectione.

SECTIO I.

Supponuntur aliqua.

1 SVppono 1. Inter qualitates aliæ ſunt ſupernaturales, vt gratia, & fides, aliæ naturales, vt calor, & frigus; & inter naturales aliȩ ſunt vnivocȩ, ſeu productivæ aliarum ſimilium, vt calor, & lux, & aliæ æquivocæ, & ſimilium non productivæ, vt albedo, & gravitas; & inter ſimilium productivas aliȩ habent contrarium, vt calor, & frigus, aliæ contrarium non habent, vt lux.

2 Suppono 2. Qualitates capaces intenſionis, & habentes contrarium non opponuntur indiviſibiliter cum illo; nam ſi indiviſibiliter opponerentur, ad introductionem primi gradus frigoris in ſubiecto nimis calido deficeret totus calor, quod contradicit experientiæ. Opponuntur ergo gradualiter, & indiviſibiliter, quatenus qualitates contrariæ non poſſunt exiſtere ſimul in eodem ſubiecto in gradibus intenſis, ſed in remiſsis, idest, exiſtere poſſunt ſimul ex natura rei in eodem ſubiecto quatuor gradus caloris, & quatuor frigoris; non autem octo caloris, & octo frigoris. Hæc autem incompoſſibilitas qualitatum in gradibus intenſis non eſt reducenda ad incapacitatem ſubiecti, vt voluit P. Arriaga diſp. 5. met. ſect. 2. ſubſect. 2. Sed cum communi ſententia ad naturam ipſarum qualitatum, quæ vltra gradus remiſſos incompoſsibiles ſunt circa idem ſubiectum, & ab eo ſe expellunt.

3 Suppono 3. Duo in preſenti diſputanda ſunt de gradibus cuiuſvis qualitatis ex enumeratis: *Primum*, an ſint inter ſe eſſentialiter, ſubſtantialiterque diſsimiles, vel ſimiles? *Secundum*, an ſint inter ſe æquales, vel inæquales in perfectione eſſentiali? Erunt ſubſtantialiter diſsimiles, ſi pluſquam numero differant, & diſconveniant in alio prædicato, quam individuali; ſimiles verò ſi in ſolo prædicato individuali differant, ſicut in eo ſolo differunt Petrus, & Paulus. Erunt rurſus æquales in perfectione ſi collatis inter ſe prædicatis vnius, & alterius gradus, vterque ſit æquè æſtimabilis; inæ-

inæquales vero ſi ea collatione, & comparatione facta vnus alio æſtimabilior ſit.

4 Suppono 4. Ex inæquali graduum perfectione recte arguitur eorum diſsimilitudo; ſed ex diſsimilitudine non recte arguitur inæqualis eorundem perfectio. Prima pars probatur: quia ſi gradus ſunt inæqualiter perfecti, neceſſario differunt inter ſe pluſquam numero; nam vltra differentias individuales, vi quarum vnus differt numero ab alio, alter habet peculiarem perfectionem, quam non habet alter; ſed in hoc ſtat eſſe diſsimiles, iuxta ſuppoſit. 3. ergo ſi ſunt inæqualiter perfecti, ſunt etiam diſsimiles. Probatur ſecunda pars: quia diſsimilitudo duorum recte ſtat cum æquali eorum perfectione, vt patet in Perſonis Trinitatis, quæ diſsimiles ſunt inter ſe, & tamen ſunt æqualiter perfectæ: ergo diſsimilitudo gradum non arguit inæqualem eorum perfectionem.

5 His poſitis circa dubia propoſita num. 3. duplex eſt præcipua ſententia. Prima ſtatuit gradus cuiuſvis qualitatis ſimiles, & æquales in perfectione. Ita cum P. Vazquez, Conimbric. & Rubio ſentiunt Scotiſtæ, quos ſequitur Pontius diſp. 53. quæſt. 4. necnon Arriaga. Spinula, Suarez, Luſit. & alij quos refert, & ſequitur Quiros diſp. 73. ſect. 3. ſequunturque RR. plures. Secunda ponit gradus diſsimiles, & inæquales. Ita P. Suar. diſp. cit. ſect. 1. à n. 30. & cum eo PP. Hurt. diſp. 5. ſect. 2. Alphonſ. diſp. 2. ſect. 2. & 3. Carleton diſp. 10. ſect. 3. Tellez diſp. 66. ſect. 2. Cardinalis de Lugo diſp. 5. de Incarn. ſect. 7. Quibus adde, præter plures RR. Torrejon, Murcia, & Fracaſtor. relatos à Quiros ſect. 2.

6 Præter has ſunt aliæ ſententiæ mediæ. Prima docet, gradus eſſe diſsimiles, ſed æqualiter perfectos. Secunda, qualitatibus operativis tribuit gradus diſsimiles, ſimiles vero non operativis. Tertia diſsimilitudinem graduum concedit qualitatibus habentibus contrarium, & negat non habentibus, licet ſint activæ. Quælibet harum ſententiarum habet pro ſe patronos, præſertim ex RR. Quarta problema iudicat vtrumque quæſitum pro omnibus qualitatibus, item ſolvere conatur quidquid favere poteſt duplici ſententiæ relatæ num. 5. Ita P. Lince in Phyſic. lib. 6. tract. 2. à cap. 2. vſque ad 5. Quinta tandem docet poſsibilem eſſe intenſionem ex gradibus diſsimilibus, & æqualibus, & idem ex diſsimilibus, & inæqualibus; de facto tamen cauſaliter componi ex gradibus ſimilibus, & diſsimilibus, æqualibus, & inæqualibus. Ita ſingulariter P. Oviedo controv. 4. punct. 2. Ecce ſententiarum varietatem inde maxime provenientem, quod pro nulla reperitur fundamentum valde vrgens, adeò vt facilius ſit omnium ſen-

tentiarum fundamentis reſpondere, quam aliquam efficacitèr probare. Quę tamen videatur verior, expeditiorque ad plures difficultates enodandas inſequentibus, iam dicemus.

SECTIO II.

De gradibus qualitatis naturalis productiva alterius ſimilis.

§. I.

Gradus qualitatis naturalis alterius ſimilis productivæ, ſunt diſſimiles.

7 Probatur 1. Quia gradus prędictę qualitatis ſunt inęqualiter perfecti, vt probabitur §. 2. ſed inęqualis perfectio graduum non ſtat abſque eorum diſsimilitudine ex ſect. 1. num. 4. ergo gradus prædictæ qualitatis ſunt diſsimiles.

8 Probatur 2. ratione Eximij Suar. num. 33. ſect. iam cit. quę quidem ratio ad hanc formam redacta efficax eſt. Quando in ſubiecto calido vt quatuor, & frigido vt quatuor, producitur ab agente applicato alter gradus caloris, & expellitur vnus frigiditatis ille qui producitur opponitur determinatè cum eo gradu, qui expellitur, & non cum reliquis; ſed hoc non ſtat abſque diſſimilitudine illius gradus frigoris, qui expellitur, & reliquorum manentium: aliás enim gradus caloris, qui introducitur non opponeretur potius cum vno, quam cum alio gradu frigoris, vt ſatis patet: ergo gradus frigoris ſunt diſsimiles inter ſe. Maior probatur: ad introductionem illius gradus caloris expellitur determinatus quidam gradus frigoris, & non reliqui; ſed hoc provenit ex exigentia determinata gradus caloris, qui producitur: ergo qui producitur opponitur determinatè cum eo, qui expellitur. Maior eſt certa.

9 Minor probatur 1. Quando ad præſentiam agentis naturalis eſt aliquis determinatus effectus, eius virtuti, & exigentię determinatę tribuendus eſt, ſi aliunde in agente non provetur improportio. Sed nulla improportio probatur in gradu, qui producitur, vt eius exigentiæ determinatę tribuatur expulſio determinata illius, qui expellitur: ergo expulſio determinata illius, qui expellitur provenit ex exigentia determinata illius, qui producitur. Maior eſt certa, & minor conſtabit argumentorum ſolutione.

10 Probatur 2. Si expulſio determinati gradus frigoris non provenit ex exigentia determinata gradus caloris, qui producitur, neceſſe eſt recurrere ad Deum, vt determinet qui gradus expellendus ſit à ſubiecto, & qui gradus ab agente, ſit producendus; ſed rectus Philoſophus hunc

Digitized by Google

hunc recurſum vitare debet, niſi evidens neceſsitas cogat, aut defectus cauſarum, à quibus hi effectus proveniant: ergo in præſenti recurrendum non eſt, niſi evidens ratio ſuadeat, prædictos effectus tribui non poſſe gradui caloris, qui producitur; ſed talis evidẽtia non datur, aliũde q̃id tribuetur gradui caloris qui producitur, ſi gradus ponantur diſsimiles, & contra hanc diſsimilitudinem nulla eſt evidentia, vt vel ipſi ſimilitudinis defenſores fatentur: ergo ſunt diſsimiles.

11 Dices. 1. Sine abſurdo recurrimus ad Deum, quando in ſubiecto producendus eſt primus gradus caloris, vt determinet quis primus producendus ſit ex omnibus primis poſsibilibus: ergo ſine abſurdò fiet ad Deum recurſus, vt determinet quis gradus frigoris expellendus ſit à ſubiecto frigido, vt quatuor, dum advenit novus gradus caloris. Nego conſequentiam, & diſparitas eſt clara: nam cum ſupponat argumentum, & bene, omnes primos gradus caloris ſimiles eſſe, & ſolo numero diſtinctos, neceſſe eſt recurrere ad Deum, vt determinet quis primo producendus ſit, quia ſolus Deus effectum individuationem poteſt determinare, vt probatum eſt cum communi ſententia lib. 2. Pyſice. diſp. 5. ſect. 4. §. 1. & 2. At nondum probatum eſt gradus frigoris componentes intenſionem, vt quatuor, eſſe ſimiles, & ſolo numero diſtinctos, & quouſque hoc vrgenter probetur, ſtat cauſa pro nobis, vt gradui caloris, qui producitur demus oppoſitionem determinatam, cum eo qui expellitur, ne abſque evidenti neceſsitate recurramus ad Deum.

12 Dices 2. Etſi gradus ſint ſimiles non eſt opus recurrere ad Deum, vt determinet quis gradus frigoris expellendus ſit: quia poſſet dici ex neceſsitate naturæ illum gradum expellendum prius, qui vltimo loco productus eſt, quia ordo reſolutionis oppoſitus eſt ordini generationis, vt patet in deſtructione domus, in qua prius deſtruitur, quod vltimo loco ædificatum eſt. Sed contra eſt 1. Quia pone in eodem inſtanti plures eſſe productos, vt accidit ſæpè, & tunc non ſubſiſtit ſolutio. Contra 2. Æquitas petit vlterius conſervari, quod minus duravit: ergo potius deberet expelli primus gradus primo loco productus. Dices 3. prius expelli, qui primo loco productus eſt propter rationem immediatè traditam. Sed contra, hæc ratio non ſubſiſtit quando plures ſimul producuntur, & tamen tunc, ne recurramus ad Deum aſsignanda eſt cauſa creata, cui tribuatur expulſio illius, qui expellitur.

13 Ex dictis infertur 1. Gradus eſſe ſubordinatos. Tùm quia ſi primus eſſentialiter eſt primus, & ſecundus ſecundus, & ſic de reliquis, primus debet pro-

duci

Digitized by Google

duci prius, quàm ſecundus, & hic prius quam tertius, & ſic de reliquis: qui enim eſſentialiter eſt ſecundus, eſſentialiter ſupponit primum. Tùm quia ex dictis quartus gradus caloris non opponitur cum quarto, ſed cum quinto frigoris: ergo prius exiſtit in ſubiecto quartus, quam adveniat quintus, quod eſt ad quintum ſubordinari. Infertur 2. Gradus inferiores frigoris, v.g. non opponi cum inferioribus caloris; ſed cum ſuperioribus: quia ſi primus frigoris opponeretur, & excluderet primum, cum reliqui ipſum ſupponant, eo deficiente in prima actione frigoris deficerent omnes, quod eſt falſum.

14 Obijc. 1. Si gradus ſunt diſsimiles, quævis pars proportionalis alteri erit diſsimilis, & cum ea non conveniens: ergo cum in intenſione caloris dentur infinitæ partes proportionales, darentur infinitæ inter ſe non communicantes, & aliquotæ. Reſpondeo falſum ſupponi continuum Ariſtotelis; ſed eo admiſſo, conſequenter dicetur, quamvis partem aliquotam conſtare infinitis proportionalibus diſsimilibus. Obijc. 2. Gradus non ſunt ſubordinati: ergo nec diſsimiles. Antecedens probatur 1. Quia primus, & ſecundus produci poſſunt per eandem actionem. Sed quod alteri ſubordinatur non poteſt produci eadem actione, ac illud: ergo. 2. Quia ſine neceſsitate ponitur ſubordinatio. Nego primum antecedens. Ad primã probationẽ nego maiorem, quæ non probatur. Ad ſecundam nego antecedens propter rationes expenſas in noſtra probatione.

15 Obijc. 3. Gradus primus poteſt eſſe ſecundus: ergo non ſunt diſsimiles. Antecedens probatur 1. Quia ſi lucernę producenti vnum gradum lucis in aère adiungatur alia, quæ etiam vnum producat ex vtroque reſultabit intenſio; ſed ſi in inſtanti ſequenti deficiat vna lucerna, perſeverabit ſecundus gradus, qui primus erit in inſtanti ſequenti, ſi alia lucerna adveniat producens alium gradum. Vrgetur. Ex argumento facto ſecundus poteſt eſſe primus: ergo ſecundus non ſubordinat ſibi primum. Probatur 2. Quia actus ſecundo loco elicitus ab habitu producit ſecundum gradum habitus, & hic gradus potuit primo loco produci, tuncque ſimul cũ alio actu, qui tunc eſſet ſecundus produceret ſecundum gradum habitus.

16 Nego antecedens argumenti. Ad primam probationem reſpondeo, primam lucernam vtpote cauſam æquivocam lucis ſimul cum ſecũda producere ſecundũ gradũ, & hunc ex defectu cauſę inadęquatę defectum deficiente prima lucerna (ſupponimus neutram ſeorſim poſſe producere pluſquam vnum gradum lucis.) Reſpondeo 2. Si ſecunda producit adæquatè ſecundum gradum exigit pro diſpoſitione

tione primum productum a prima; quo primo deficiente ceſſat ſecunda lucerna, ex defectu conditionis, à conſervatione ſecundi, & producit primum, quem ſe ſola omnino independenter ab alia poteſt. Ex quo conſtat ad inſtantiam. At ſecundam probationem ſimiliter dicendum eſt ſecundum actum procedere per ſe à primo gradu habitus producto à primo actu; vnde eo deficiente deficeret actus producens ſecundum gradū habitus, & tunc actus qui eſſet primus produceret primū gradū habitus procedētem à ſolo intellectu, & ſpecie objecti.

17 Objic. 4. Si intenſio caloris conſtituitur ex gradibus diſsimilibus, cur ſimiliter non cōſtituetur vna intenſio ex calore, & frigore diſsimilibus? Reſpondeo, ideo eſſe quia gradus caloris, licet diſsimiles, cum non diſtinguantur ſpecie adæquata ad eandem intenſionem ordinari poſſunt, quapropter oppoſiti nō ſunt quoad omnium ſimultaneam exiſtentiam in ſubiecto; at calor, & frigus, cùm ſpecie adæquata diſtinguantur, ordinari non poſſunt ad vnam intenſionem: ſunt enim non ſolum diſsimiles: ſed oppoſiti ad ſimul exiſtendum in gradibus intenſis, propter dicta.

18 Sed inſtabis. Gradus caloris productus in ſubiecto calido, vt quatuor, & frigido, vt quatuor, tàm opponitur cum quarto caloris, quàm cum quarto frigoris: ſiquidem æquè intro ducetur in ſubiecto vno, ac altero deficiente: ergo quintus, & quartus caloris non ſolum ſunt diſsimiles, ſed oppoſiti: ergo ſi conſtituere poſſunt intenſionem, etiam eam conſtituent gradus caloris, & frigoris. Reſpondeo, eum gradum caloris denuo introductum opponi determinatè cum quarto frigoris, & non cum quarto caloris, quia cum quarto caloris adintegrat vnam completam diſpoſitionem ad formam ignis partialiter intenſam, quàm non adintegrat cum quarto frigoris. Deinde falſum eſt, introducendum illum gradum caloris, deſtructo quarto præcedenti, quia natura ſua illum ſupponit, & exigit vt diſpoſitionem ad ſe. Plura alia objici poterant, tum contra inæqualitatem graduum, tum contra ipſorum diſsimilitudinem; ſed quia præcipuè, & directè intendunt ſimile intendere ſibi ſimile, cominodius ſolventur dum hanc quæſtionem examinabimus.

§. II.

Gradus qualitatis naturalis productivæ ſimilis ſunt inæqualiter perfecti.

19 Probatur concluſio, loquendo claritatis cauſa de gradibus caloris, & probatio ſic ſe habet. Gradus inæqualiter activi ſunt inæqualiter perfecti; ſed gradus calo-

ris ſunt inæqualiter activi: ergo ſunt inæqualiter perfecti. Minor probatur. Gradus ſuperiores caloris ſunt magis activi, quam inferiores. Vocamus inferiores primum, ſecundum, tertium, & quartum; & ſuperiores quintum, ſextum, ſeptimum, & octavum: ergo gradus caloris ſunt inæqualiter activi. Probatur antecedens. Gradus inferiores caloris continentur in virtute ſuperiorum, & non è contra ſuperiores in virtute inferiorum: ergo gradus ſuperiores caloris ſunt magis activi, quam inferiores. Antecedens probatur quoad primam partem. Nam ſi paſſo frigido applicetur calidum, vt octo, producit in illo quinque, aut quatuor gradus caloris, cum tamen ſolum producerentur duo, aut tres, ſi applicaretur calidum, vt quinque, vel vt ſex: ergo quia ad productionem illorum quinque concurrunt omnes gradus calidi, vt octo: alias enim cur producentur illi quinque à calido, vt octo, & non á calido, vt quinque, vel vt ſex; ſed ſi ad productionem eorum quinque concurrunt omnes gradus calidi, vt octo, inferiores continentur in virtute ſuperiorum, vt patet: ergo inferiores continentur in virtute ſuperiorum.

20 Iam probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, videlicet gradus ſuperiores non contineri in virtute inferiorum. Quintus gradus caloris continetur in virtute alterius quinti, & non continetur in virtuti quarti: ergo gradus ſuperiores non continentur in virtute inferiorum. Antecedens probatur. Calidum, vt quinque applicatum calido, vt quatuor, ſi aliunde ſuppleatur defectus penetrationis, vt poteſt iuxta dicenda diſp. 3. ſect. 3. producit in illo quintum gradum caloris; ſed calidum vt quatuor applicatum alij calido vt quatuor non producit in illo quintum gradum, licet defectus penetrationis aliunde ſuppleatur: ergo quintus gradus caloris continetur in virtute alterius quinti, & non in virtute quarti. Maior eſt certa, & minor probatur: quia quantumvis calida, vt quatur multiplicentur vſque ad vincendum, ſeu ſupplendum omnino propter agentium multitudinem, defectum penetrationis cum alio calido, vt quatuor, non producent in ipſo quintum gradum caloris.

21 Dices in hoc caſu calidum, vt quatuor non detineri à productione quinti gradus, quia illum non contineat; ſed quia paſſum, nempè aliud calidum, vt quatuor, eſt ſimile agenti, & ſimile non poteſt intendere ſibi ſimile, vt fere communis ſententia; ſed contra: intendo ſimile ideo à priori non poſſe intendere ſimile, quia non continet in ſua virtu-

te

tute gradum, per quem intendendum eſt, illud interſurum ſi contineret eum gradum. Argumentor ſic. Calidum, vt quatuor continet, per te, in ſua virtute quintum gradum caloris; aliunde calidum, vt quatuor, cui applicatur, capax eſt illum recipere, ſiquidem illud reciperet à calido, vt quinque in caſu num. præcedent: ergo calidum, vt quatuor defacto producet quintum gradum in alio calido, vt quatuor, & conſequenter intendet ſimile, quia quodvis agens naturale applicatum operatur in quantum ſua virtute poteſt, iuxta paſsi capacitatem. Confirmatur. Si omnes gradus ſunt æqualiter activi non plus virtutis neceſſarium eſt ad producendum quintum, quam ad producendum tertium gradum; ſed calidum, vt quatuor applicatum calido, vt duo producit in illo tertium gradum: ergo applicatum calido vt quatuor producet in illo quintum gradum, & intendet ſimile.

22 Hæc mihi efficacior probatio concluſionis, cui tamen multiplex ſolutio paratur. Reſpondebis 1. Simile ideo non intendere ſimile, quia finis agentis vnivoci eſt aſsimilare ſibi paſſum; cùm autem calidum, vt quatuor ſit perfectè ſimile alij calido, vt quatuor, ideò ceſſat finis agendi, & ſuſpenditur productio quinti gradus in agente contenti. Sed contra primo: diſsimilitudo paſsi tunc eſt conditio ad agendum, quando paſſum per formam ſimilem redditur incapax recipiendi aliam ſimilem, ſicut per ſuſceptionem vnius formæ Ignis redditur materia incapax recipiendi ſimul aliam formam ignis; ſed in noſtro caſu calidum, vt quatuor manet capax recipere quintum gradum: ergo recipiet illum à calido, vt quatuor ipſum præcontinente.

23 *Secundo*. Agens vnivocum ideò intendit aſsimilare ſibi paſſum, vt propagetur eius ſpecies per nova individua, in quibus maneat ipſum virtualiter, & conſervetur; idem enim valet, agens intendit aſsimilare ſibi paſſum, ac intendit producere in paſſo individuum ſuæ ſpeciei; ſed ſpecies caloris plus propagatur, ſecuriuſque conſervatur in paſſo, ſi calidum vt quatuor continens quintum gradum illum producat in paſſo calido, vt quatuor: ergo illum producet. *Tertio*. Calidum ex primaria naturæ intentione non intendit ſimilitudinem paſſi in qualitate propter ipſam, & tanquam finem; ſed vt media ipſa paſſum diſponatur ad formam ignis; ac licet quintus gradus neceſſarius non ſit, vt paſſum aſsimiletur agenti in intenſione, neceſſarium eſt, vt paſſum diſponatur magis ad formam ignis: ergo adhuc data ſi-

militudine paſſi in intenſione, non deficit finis præcipuus actionis productivæ quinti gradus.

24 Reſpondent 2. RR. cum Arriaga ſuprà ſect. 2. & Pontio dict. ſect. 4. ſubſect. 3. ideo calidum, vt quatuor non producere quintum gradum in alio calido, vt quatuor, neque intendere ſimile, quia hæc eſt natura agentium experientia cōprobata, neque huius aliam eſſe quærendam rationem, ſicut ratio non quæritur cur ſol illuminet, & ignis comburat præter naturam horum agentium experientia notam. Contra. *Primo*; quia non eſt Philoſophi ad occultam naturam rerum confugere, dum abſque inconvenienti poteſt reddi ratio eorum, quæ ex ter naturalias Philoſophia contemnenda eſſet tanquam ſine fructu labor, ſiquidem maiori ex parte occupatur in indagnandis cauſis effectuum, quos experientia monſtrat; ſed ſtatuta inæquali graduum activitate facile datur ratio, cur ſimile non agat in ſimile, & in tali inæqualitate nullum eſt abſurdum, vt conſtabit §. 3. ergo huius experientiæ danda eſt ratio, quàm intendimus. *Secundo*: experientia conſtat ſimile non agere in ſimile; deinde conſtat experientia agentia naturalia producere effectum, quem continent, in paſſo, cui applicantur, ſi paſſum eſt capax; ergo ne vna experientia alteri opponatur dicendum eſt, ideo ſimile non agere in ſimile, quia non continet gradum per quem illud intenderet.

25 Reſpondet 3. P. Oviedo controv. 5. punct. 1. §. 5. ideo calidum, vt quatuor non producere in alio calido, vt quatuor quintum gradum, quem cōtinet, quia occupatur tota ipſius virtus in conſervandis quatuor gradibus repertis in paſſo. Contra *primo*: quia vt ipſe Author vere alibi docet non eſt neceſſaria tanta virtus ad conſervandum (etiam in præſentia contrarij) effectum iam productum, quanta ad primo producendum: ergo licet calidum, vt quatuor conſervet aliud, manebit virtus expedita ad producendum in illo quintum gradum. *Secundo*. Suppone quodlibet eorum calidorum, dum ad invicem applicantur, cōſervari à ſua cauſa, vt accidere poteſt. Tunc rogo, cur vnum non agit in alio? Si dicas, ideo eſſe, quia quodvis illorum conſervat aliud indiviſibiliter cum cauſa illud producente. Sit ita: adhuc tamen manebit expedita virtus, vt producat quintum gradum in alio puod ſic probo. Si calidum, vt quatuor non iuvaretur alia virtute conſervante, poterat, per te, adæquate conſervare aliud calidum, vt quatuor: ergo dum conſervat in conſortio alterius virtutis æqualis, medietas virtutis manet expedita; ſed ea medietas ſufficit ad producendum quintum gradum, ſicut ſuffi-

cit

tit ad producendum primum æqualis omnino perfectionis: ergo producet illum, & intendet ſimile.

26 *Tertio*. Conſervet calidum A. vt quatuor calidum B. etiam vt quatuor. Sane in hoc caſu, ne detur mutua conſervatio, & cauſalitas, calidum B. non conſervavit calidum A. Ergo calidum B. continens quintum gradum producet illum in calido A. Reſpondet Oviedo, calidum B. id non poſſe: quia licet non conſervet calidum A. conatur tamen conſervare, & in eo conatu impenditur eius virtus; ſed contra eſt. Tum quia ille conatus nil aliud eſt, quàm exigentia conſervandi, & virtus activa non impeditur per exigentiam agendi, ſed per actionem. Tum quia gratis dicitur calidum B. exigere conſervare calidum A. à quo conſervatur, Imo, cum impoſsibile ſit calidum B. conſervari ab A, & ſimul conſervare A. ne detur mutua cauſalitas, calidum B. in prædicto caſu, in quo ſupponimus conſervari ab A. non conabitur conſervare hoc, ſed in eo producere quintum gradum, quem continet in ſua virtute.

27 Reſpondent alij ſine nomine relati à P. Alphonſo ſuprà num. 31. ideo calidum, vt quatuor non producere quintum gradum in paſſo ſimili, quia deberet ſimul producere vnionem illius cum quatuor gradibus precedentibus, & ea vnio perfectior eſſet omnibus vnionibus contentis in agente, in quo nulla datur vnio alicuius gradu ad alios tres; conſequenterque non continetur in virtute calidi, vt quatuor; ſed contra *primo*: quia eſto ea vnio eſſet perfectior vnionibus contentis in calido, vt quatuor, tamen non eſſet perfectior quinto gradu caloris, cuius eſſet modus; ſed perte, calidum, vt quatuor continet quintum gradum: ergo, & vnionem illius cum quatuor alijs gradibus. *Secundo*: quia vt quintus gradus conſtituat intenſionem cum præexiſtentibus falſo exigitur, quod vniatur immediatè cũ omnibus illis; ſufficienter enim conſtituent quinque illi gradus intenſionem, ſi omnes eidem ſubiecto vniantur, licet nullus immediatè vniatur alteri; vel ſi ſecundus vniatur immediatè ſubiecto, & primo gradui, certius ſubiecto, & ſecundo, & ſic in reliquis: nam per quamvis harum vnionum intenſio ſufficienter diſtinguetur ab extenſione: ergo quod attinet ad hoc caput, calidum, vt quatur rectè poterit producere quintum gradum in alio calido, vt quatuor.

28 Reſpondent 5. alij; cum P. Quiros ſect. 5. ideo calidum, vt quatuor continens quintum gradum non producere illum in alio calido, vt quatuor, quia producere non poteſt totam intenſionem, vt quinque, & ea intenſio, ſicut, & quelibet alia, debet produci tota ab eodem agen-

agente; ſed hæc ſolutio, alijs impugnationibus omiſsis; vel ex eo vehementer diſplicet, quia gratis omnino dicit, augmentum intenſivum neceſſario produci debere ab agente incipiente intenſionem; ſi enim hoc ita eſſet, calidũ, vt ſeptem, vel vt octo applicatum paſſo habenti duos gradus caloris productos ab alio agente, nihil vltra produceret; quod tamen videtur evidenter contradicere experientiæ; experimur enim manum intensè calidam applicatam alteri manui tepidæ, huius calorem augere.

29 Reſpondent 6. acuti RR. per noſtrum argumentum probari quidē gradus caloris eſſe diſsimiles; non verò inæqualiter activos. Ratio eſt: nam eo ſolum, quod quintus gradus ſit diſsimilis quarto, & alijs, calidum, vt quatuor nō producet illum in calido, vt quatuor, videlicet, quia agens vnivocum impotens eſt producere effectum diſsimilem: ergo independenter ab inæquali activitate gradum aſsignatur ratio, cur ſimile non intendat ſimile, quod eſt noſtrum intentum. Sed contra; quintus gradus caloris penetratus cum calido, vt quatuor producet in illo alium quintum, vt docent reſpondentes, & calidum, vt quatuor licet penetraretur cum alio calido, vt quatuor nō producet illum quintum gradum, ne ſimilē intendat ſimile: ergo quintus, & quartus gradus ſunt inæqualiter activi.

30 Dices: omnes eſſe æqualiter activos, quia quilibet continet adæquatè, gradum ſimilem, v. g. quintus quintũ, quartus quartum, & ſic de reliquis, & quilibet continet inadæquatè reliquos gradus ſibi diſsimiles; atque hinc oritur, quod quitus in paſſo penetrato producat quintum, & cum non producat calidum, vt quatuor; ſed contra: primus, ſecundus, tertius, & quartus ſeorſim continent inadæquatè quintum gradum, vt concedis: ergo omnes ſimul in calido, vt quatuor continebunt illum adæquatè, illumque producent in alio calido, vt quatuor, præſertim cum iuxta reſpondentes, quintus non ſit entitative perfectior coniuncto ex quatuor gradibus, aut vllo ex illis ſeorſim.

31 Dicunt, coniunctum ex illis quatuor non continere adæquatè quintum: quia licèt hic non ſit entitative perfectior omnibus quatuor ſimul, aut quovis eorum ſeorſim; eſt tamen diſsimilis, & diſsimilitudo fundat improportionem ad adæquatam continentiam. Sic canis licet ſit entitativè imperfectior equo, quia illi eſt diſsimilis non poteſt produci ab equo, quia diſsimilitudo fundat improportionem.

32 Contra tamen eſt: quia ægrè admodum intelligitur, diſsimilitudinem quinti gradus cum quatuor inferioribus non obſtare quominus contineatur inadæquatè in illis ſeorſim, & divisi-

viſivè ſumptis, & obſtare, vt in coniuncto ex eis omnibus contineatur adæquatè: etenim iuxta communem philoſophiam coniunctum ex pluribus cauſis ſeorſim partialibus ad effectum ſimilem, aut diſsimilem, eſt cauſa adæquata, & proportionata ad talem effectum: proportionata, inquam proportione continentiæ. Sic ex mixſtione aſini, & æquè ſeorſim continentium inadæquate mulú diſsimilem, generatur mullus diſſimilis, & huius generis reperientur alia exempla. Quare licet non ſit bonum argumentum: *Hoc eſt perfectius illo: ergo continet illud*; benè tamen arguitur. *Hoc continet inadæquatè illud licet diſsimile: ergo ſi coniungatur cum alijs cauſis eiuſdem continentia poterit adæquatè illud producere*, licet diſsimile; præſertim quando effectus, licet diſsimilis, eſt intra eandem ſpecié cum cauſis ſeorſim partialibus, vt accidit in præſenti, & fatentur reſpondentes: ergo cum calidum, vt quatuor conſtet quatuor gradibus intra eandem ſpeciem cum quinto, & cum ſeorſim continentibus inadequatè, coniunctum ex illis omnibus poterit eum producere in alio calido, vt quatuor. Atque hinc patet, exemplum illud de cane, & eque non habere vim: quia in equo, neque agnoſcitur, neque probatur inadæquata continentia canis, quàm nobis concedunt adverſarij in omnibus gradibus inferioribus reſpectu quinti.

§. III.

Soluuntur obiectiones contra hanc concluſionem.

33 OBjic. 1. Intenſio poteſt fieri ex gradibus æqualiter perfectis: ergo ſic facienda eſt, ne multiplicentur perfectiones ſine neceſsitate. Antecedens probatur *primo*: quia ſi plures gradus æquales caloris, v. gr. plures primi gradus ponerentur in eadem manu, & plures gradus æquales lucis in eodem aère, hic apparebit lucidior, & illa ſentietur magis calida; ſed hoc non ſtat ſine intenſione lucis, & caloris: ergo intenſio poteſt fieri ex gradibus æqualiter perfectis. *Secundo*: quia dum plures partes vini ſunt magis coniunctæ inter ſe in vaſe, apparet color intenſior, quàmdum permixſtione aquę ſeparantur; ſed tamen omnes partes vini ſunt æquales: ergo intenſio ex gradibus æqualibus fieri poteſt.

34 Nego antecedens. Ad cuius primam probationem reſpondeo, in caſu poſito aèrem fore lucidiorem, & manum calidiorem extenſivè, ſeu per plures gradus; ſed non intenſivè: & patet, ex eo quod ſi plura ſubiecta calida, aut lucida, vt duo penetrentur in eodem aère, & manu, abſque dubio aèr apparebit lucidior, & manus calidior ſentietur extenſivè quidem, non intenſivè,

quia ex calore exiſtente in diverſis illis ſubiectis calidis non fit vna intenſio, vt patet: ſic in noſtro caſu manus ſentiretur calidior extenſive, quia calida eſſet per plures gradus, quorum quilibet præſtaret illi ſuum effectum formalem; ſed non eſſet calidior intenſivè, quia ad intenſionem neceſſaria eſt inæqualitas graduum, vt probatum manet. Secũda probatio non eſt ad rem: quia partes vini exiſtunt in diverſis locis vaſis, & ideo intenſionem non conſtituunt. Apparet autem color intenſus, licèt in re intenſus non ſit: quia partes illæ propter maiorem localem vnionem, quã inter ſe habent, producunt intenſiorem ſpeciem ſui vſque ad potentiam viſivam.

35 Objic. 2. Gradus inæqualiter perfecti diſtinguuntur ſpecie; ſed vnum per ſe, qualis eſt intenſio, non poteſt componi ex rebus ſpecie diſtinctis inter ſe vnitis: ergo neque ex gradibus inæqualiter perfectis. Confirmatur. Gradus primus, & ſecundus ſolum differunt in eo, quod per primum conſtituitur ſubiectum calidum, & per ſecundum magis calidum; ſed *magis, & minus non variant ſpeciem*, vt commune proloquium fert: ergo primus, & ſecundus gradus non variant ſpeciem calidi, & conſequenter neque diſtinguuntur ſpecie, neque ſunt inæqualiter perfecti. Ad obiectionem reſpondeo gradus caloris inæqualiter perfectos, quia ſua illa inæquali perfectione non extrahuntur ab ſpecie caloris, eſſe diſtinctos ſpecie inadæquata, quæ eo inſtat, vt intra ſpeciem caloris diſtinguantur pluſquàm numero. Ex gradibus autem ſic diſtinctis in ſpecie bene poteſt componi vnum per ſe intenſionis; ſicut in probabiliſsima ſententia de qua lib. 1. de Anima, anima diviſibilis bruti perfecti eſt vnum per ſe, & componitur ex partibus inæqualiter perfectis, & ſpecie inadæquata diſtinctis: Imò ſi vnum per ſe compoſiti ſubſtantialis componitur ex materia, & forma ſpecie adæquata diſtinctis, cur vnum per ſe intenſionis qualitatis non componetur ex partibus ſpecie inadæquata diſtinctis? Hinc ad confirmationem dicimus, magis, & minus, dum conſtituuntur per formas ſpecie inadæquata diſtinctas, ſicut in præſenti, variare ſpeciem inadæquatam, licet non varient ſpeciem adæquatam.

36 Obji. 3. Ex inæquali perfectione graduum duo deduci. *Primum*, magis calefieri ſubiectum per ſolum octavum gradum, quàm per alios ſeptem ſimul, ſiquidem octavus ſolus perfectior eſt reliquis. Conſequentis autem falſitas apparet ex eo, quod ſubiectum intensè calidum per receptionem primi gradus frigoris expellentis octavum gradum caloris plus media parte levaretur ab effectu formali calidi, quod pugnat experientiæ. *Secundum*,

dum, poſito in ſubiecto ſolo octavo gradu caloris, reliquos ſuperfluere: quia octavus perfectior reliquis, & eos eminenter continens, præſtare poſſet ipſe ſolus quidquid præſtarent reliqui. Nego vtriuſque abſurdi illationem. Non enim infertur *primum*. quia exceſſus octavi gadus ſuprà reliquos non ſtat in vi præſtandi maiorem effectum formalem. ſed in maiori actiuitate, vt conſtat ex noſtra probatione. Tum præterea, quia licet exceſſus ſtaret in vi præſtandi effectum formalem, exceſſus ille eſſet reſpectu aliorum diviſivè; non verò collectivè quod paritatibus iam adducendis conſtabit clarè.

37. Neque infertur *ſecundum*: quia inferiores neceſſarij ſunt, tum vt remiſsio fiat ſucceſſivè; tum vt diſponant ſubiectum ad mixtorum formas, quæ cum ſeptimo, & octavo gradu primarum qualitatū exiſtere nequeunt, tum vt producant alios inferiores ſibi ſimiles; tum præcipuè, quia licet octavus contineat inferiores diviſivè, non continet eos collectivè. Sic octonarium continet plures vnitates, quam ſennarium, & ſeptenarium diviſivè ſumpta, non verò plures, quam ea ſumpta collectivè. Sic homo continet perfectionem infinitarum ſpecierum infra ſe; diviſivè ſumptarum; non vero ſumptarum collectivè. Et ratio pro noſtro caſu eſt: quia maior perfectio octavi gradus ſupra reliquos ſtat in maiori activitate; & ex hoc, quod probatur per rationem noſtram, non infertur, octavum continere reliquos collectivè, ſimulque producendos. Nā ignis palmaris applicatus diviſivè quatuor paſsis ſemipalmaribus poteſt diviſivè quatuor ignes ſemipalmares producere, & tamen, ne producat effectum perfectiorem ſe, non poteſt ſimul producere ignem bipalmarem in paſſo bipalmari: ergo licet octavus gradus poſsit inferiores diviſivè producere quod eſt illos continere quoad diviſivam productionem, non inde infertur poſſe eos collectivè ſumptos producere.

38. Objic. 4. Quintus gradus caloris continetur in virtute quarti: ergo inferiores, & ſuperiores mutò continentur, & conſequenter ſunt æqualiter activi, & perfecti. Antecedens probatur. Aliquod prædicatum quinti gradus, videlicet *eſſe productivum quarti* correſpondet quarto, qui alterius quarti productivus eſt; ſed iuxta pluriū ſententiam, id cuius aliquod prædicatum alteri correſpondet in eius virtute continetur: ergo quintus gradus caloris continetur in virtute quarti. Reſpondeo, continentiam vnius in alio non argui ex correſpondentia ſimilitudinis alicuius, aut omnium prædicatorum vtriuſque; vt patet in albedine, quæ in ſuis omnibus ſpecificis prædicatis ſimilis eſt alteri albedini, & in

in Angelo ſimilis in pluribus prę-dicatis homini, qu in, aut Angelus in homine, aut vna albedo in alia contineatur: correſpondentia ergo prædicatorum arguens continentiam ſtat in exigentia, & neceſsitate vnius, vt procedat ab alio; & quia quintus gradus non exigit, vt procedat adhuc inadæquatè à quarto, vt conſtat ex probatione concluſionis, ideo correſpondentia ſimilitudinis quinti cum quarto in prædicato aſsignato non arguit adhuc inadęquatè contineri in quarto; ſed pro ſolutione obiectionis, & inſtantiæ, quæ fieri poteſt, omnino recolenda ſunt, quæ diximus lib. 2. Phyſic. diſp. 6. ſect. 2. à n. 47.

39 Objic. 5. Si gradus debent eſſe inequaliter perfecti, inferiores potius erunt perfectiores ſuperioribus, quàm è contra; ſed hoc falſum eſt apud nos: ergo non ſunt inæqualiter perfecti. Maior probatur. Tum quia ſuperiores, vt exiſtant dependent ab inferioribus, ſecus inferiores qui exiſtere poſſunt ſine ſuperioribus: tùm quia inferiores determinati ſunt ad plus durandum, quam ſuperiores, nam, & ante exiſtentiam ſuperiorum ad eos diſponunt; & in remiſsione deficientibus ſuperioribus perſeverant inferiores; ſed independentia perfectior eſt dependentia, & determinatio ad plus durandum perfectior eſt determinatione ad durandum minus: ergo inferiores ſunt potius perfectiores ſuperiobrius, quàm è contra. Nego maiorem, & ad vtrumque probationem reſpondetur, ea prædicata probare maiorem perfectionem, ſi cætera ſint paria, de quo ſect. 5. ſecùs ſi cætera ſunt imparia, vt in præſenti, quia maior activitas ſuperiorum compenſat, & excedit perfectionem, & æſtimabilitatem eorum prædicatorum, quæ in inferioribus reperiuntur.

SECTIO III.

De Gradibus aliarum qualitatum etiam ſupernaturalium.

40 Sit concluſio. Gradus aliarum qualitatum naturalium habentium contrarium, & quæ non ſunt operatiuæ ſimilis, ſunt inęqualiter perfecti. Probatur primo ſecunda probatione minoris à num. 8. Probatur ſecundo. Aliqui gradus harum qualitatum non dependent vt exiſtant ab alijs, & alij dependent; ſed prædicatum independentiæ, niſi aliunde compenſetur, perfectius eſt prædicatio dependentiæ: ergo gradus harum qualitatum ſunt inæqualiter perfecti. Maior probatur. Gradus inferiores non dependent, vt exiſtant à ſuperioribus ſiquidem producuntur prius illis, & illis deſtructis in remiſsione perſeverant: ergo aliqui gradus harum qualitatum non dependent, vt exiſtant ab alijs, & alij dependent. Di-

41 Dices primò, compenſari hoc prædicatum, quia ſuperiores ſubordinant ſibi inferiores, vt diſpoſitiones: nam materia prima, & diſpoſitiones ad formam equi independentes ab ipſa vt exiſtant, ſunt imperfectiores forma, eo videlicet, quia forma impotens exiſtere independenter ab ipſis, ipſas ſubordinat ſibi, vt ſubiectum, & diſpoſitiones; ſed contra. Subordinatio non compenſat independentiam, quia ſubordinatio eſt ipſiſsima dependentia à ſubordinato, & dependentia, ni aliud prædicatum in ea addatur non compenſat independentiam. Deinde forma equi cõpenſat independentiam materiæ per virtutem operandi, qua materia caret, & independentiam diſpoſitionum per prædicatum ſubſtantiæ, vi cuius eſt in ordine ſuperiori ad accidens. Dices ſecundo. Quantitas, quæ vt exiſtat non dependet à calore, & frigore imperfectior eſt ipſis, licet dependentibus; ſed contra: admiſſa imperfectione maiori quantitatis, ideo erit, quia independentia ipſius compenſatur per virtutem caloris, & frigoris, vt producant ſibi ſimile. Cæterum ex prædicato independentiæ perfectior erit quantitas albedine, & alijs qualitatibus non activis, neque ſimilium, neque diverſæ rationis. Dixi *neque diverſæ rationis*, quia gravitas non productiva gravitatis, ſed impulſus per hanc virtutem excedit independentiam quantitatis.

42 Probatur tertio concluſio. In remiſsione albedinis aliqui gradus deſtruuntur prius, quàm alij; ſed hoc, ne recurramus ad Deum, provenire debet ex natura ipſorum graduum: ergo alij ex natura propria durant plus, quàm alijs & cû aliunde duratio ſit perfectio determinati ad plus durandum, ſcilicet inferiores, perfectiores erunt, ni minus durantes alio prædicato compenſent eam perfectionem; ſed non compenſant alio prædicato, vel aſsigna illud: ergo alij gradus albedinis ſunt perfectiores alijs.

43 Dices, omnes exigere æqualem durationem, quia ſi aliqui ſunt determinati, exiguntque minorem durationem, illi ſuam deſtructionem exigent, quod prorſus alienum eſt ab exigentia naturali rerum, qua in propriam conſervationem propendent; ſed contra, minus durare, & dicit poſitivum durare vſque ad tale inſtans, & negativum vltra non durandi: nullus gradus exigit minus durare ſecundum negativum minus durandi, & hoc probat ratio oppoſita; alij tamen exigunt minus durare ſecundum poſitivum durandi minus, in quo nõ eſt abſurdum. Explicatur. Aliud eſt, gradus ſuperiores exigere nõ vltra durare, ita vt carentia durationis ſit terminus exigentiæ, & hoc falſum eſt, aliud exigere durare vſque ad tale inſtans, & non exigere aliam durationem alius inſtantis, & hoc eſt verum, probatque

batque inæqualitatem, quam intendimus, non abſurdum, quod inferebatur.

44 Sit quarta concluſio. Gradus harum qualitatum ſunt diſsimiles. Hæc concluſio ex tertia neceſſario deſcendit, ideoque ſpeciali non indiget probatione. Sit quinta concluſio. Gradus qualitatis naturalis, quæ neque contrarium habeat, neque ſimilis ſit operatiua: erunt inæqualiter perfecti, quia alij independent ab alijs quoad exiſtendum, & ali dependent; erunt diſsimiles, quia diſsimilitudo ex inæqualitate neceſſariò deſcendit.

45 Sit ſexta concluſio. Gradus qualitatis ſupernaturalis ſunt inæqualiter perfecti, & diſsimiles. Secunda pars eſt certa, ſi probatur prima. Pro cuius probatione ſuppòno cum ſententia communi apud Theologos, & mihi vera, ex maiore gratia habituali cæteris paribus, creſcere meritum. Hoc eſt actum honeſtum A in omnibus requiſitis ad meritum æqualem actui B. elicitum à iuſto vt quatuor, plus mereri, quam actum B. elicitum à iuſto vt tria: quo poſito. Probatur concluſio. Actus elicitus à iuſto vt quatuor plus meretur, quam actus elicitus à iuſto vt tria: ergo datur ipſi maius præmium; ſed actui iuſti vt quatuor datur quintus gradus gratiæ, & actui iuſti vt tria datur quartus: ergo quintus gradus gratiæ maius præmium eſt, quam quartus: ergo perfectior, ſiquidem ipſius perfectiori præmiatur meritum. Idem argumentum fit pro alijs qualitatibus ſupernaturalibus.

46 Dices, quintum gradum non eſſe perfectiorem quarto in ratione præmij, ſed entitativè quia ſe ipſo ſupponit quartum. Sic in communi ſententia viſio beata Angeli intenſa vt duo perfectior eſt entitativè, quia à meliori potentia procedit, viſione hominis intenſa vt quatuor; non tamen eſt perfectior in ratione beatitudinis, quia viſio hominis clarius videt Deum. Sed contra 1. Iam habemus ex ſolutione, gradus gratiæ alios entitative perfectiores alijs, conſequenterque entitativè diſsmiles. Contra 2. Actus iuſti vt quatuor non ſolum entitativè, ſed in ratione meriti perfectior eſt actu iuſti vt tria: ergo quintus gradus datus iuſto vt quatuor perfectior eſt non ſolum entitativè, ſed in ratione præmij quarto collato iuſto vt tria. Probatur conſequentia; quia præmium non in entitate; ſed in ratione præmij proportionari debet cum merito qua tali.

47 Dices 2. Si hoc ita eſſet inde fieret, quod iuſtus, vt octo per actum remiſſum vt duo acciperet plus præmi, quam iuſtus vt quatuor per actum intenſum vt quatuor; ſiquidem primus acciperet nonum gradum gratiæ, ſecundus tertium, aut quartum, qui cum præcedenti-

bus

bus ſolum conſtituerent intenſionem, vt ſeptem, vel vt octo. Reſpondeo primò, hoc non eſſe abſurdum iuxta ſententiam, quam ſupponimus veram: aliquando tamen iuſtus, vt quatuor tantum meretur, quam iuſtus, vt octo, quia poteſt elicere opus ita intenſum, vt excedat ęſtimabilitatem actus iuſti, vt octo. Reſpondeo ſecundo: admiſſo iuſto, vt quatuor dari tres, aut quatuor gradus gratiæ, & iuſto vt octo nonum, dico tamen non dari melius præmiū, quia nonus gradus perfectior illis tribus, aut quatuor diviſive, non eſſet perfectior collectione ipſorum, iuxta doctrinā in ſuperioribus. Reſpondeo tertiò, poſſe dici, iuſto vt octo non dari in prȩmium nonum gradum gratiæ; ſed alterum octavum perfectiorem præexiſtente, quia inter octavos alis ſunt perfectiores alijs, quin vllus accedat ad perfectionem noni. Ille tamen octavus non excederet in ratione præmij collectionem trium, aut quatuor, qui dantur iuſto vt quatuor pro actu intenſo etiam vt quatuor.

48 Probatur ſecundò concluſio. Ponamus iuſtum vt quatuor elicere opus ita fervens, vt pro ipſo mereatur quintū gradum gratiæ, & alium iuſtū opus elicere, quod præciſè attingat medietatem honeſtatis prioris actus: in hoc enim nulla implicatio. Tunc ſic. Si gradus gratiæ inęquales non ſunt, non poterit Deus ad æqualitatem præmiare ſecundum actum. Probatur. Non præmiabit Deus, ſi det tertium gradum, quia non tantum meretur: non ſi det ſecundum, quia meretur dimidium præmium prioris, & prior merebatur quintum gradum: ergo vt ad æqualitem præmiet concedendus eſt gradus, qui neque ſit tam perfectus ac tertius prioris prȩmij, & ſit magis perfectus, quàm ſecundus; ſed hic gradus erit ſecundus perfectior ſecundo prioris præmij, & non attingens perfectionem tertij: ergo inter gradus ſecundos alij ſunt perfectiores alijs: & ex conſequenti inter octo gradus intenſionem conſtituentes vt octo, admittendi ſunt alij perfectiores alijs.

49 Si dicas 1. Deum non præmiare actum, de quo eſt ſermo, quia ſolum poteſt dari ipſi ſecundus, aut tertius & actus, quem ponimus meretur plus quàm ſecundum, & non tertium. Contra eſt: ergo datur actus honeſtus à gratia procedens, cui correſpondere non poſsit augmentum gratiæ, quod eſt falſum. Si dicas 2. Deum præmiare illum actum non aliter, ac præmio ſuperexcedente: contra primò. Poſita inæqualitate graduū poſsibile eſt ęquale prȩmium: ergo non eſt dicendum impoſsibile, niſi probetur impoſsibilitas inæqualitatis graduum, quę tamen non probatur. Contra ſecundo. Quia abſurdum videtur, Deum non poſſe

præ-

præmiare ad æqualitatem quodvis opus honeſtum meritorium.

SECTIO IV.

De terminis intenſionis, & remiſſionis qualitatis.

50 EST inquirere, vtrum omnis qualitas intenſibilis habeat in intenſione terminum ita præfixum, vt vltra illum non poſsit in maiori intenſione conſervari, & ſimiliter in remiſsione tantam determinatam intenſionem petat, vt nequeat conſervari in minori; ea magnitudo intenſionis, ad quàm poteſt pervenire, & non ad maiorem dicitur *terminus intrinſecus intenſionis*; & maioritas, ad quam nō poteſt attingere dicitur *terminus extrinſecus*; & in remiſsione ea magnitudo, in qua poteſt conſervari, & non in minori dicitur *terminus intrinſecus* remiſsionis, & minoritas, in qua non poteſt conſervari dicitur *terminus extrinſecus*. Id conſtat ex dictis in Phyſic. lib. 6. diſp. vnic. ſect. 6. circa terminos magnitudinis, & parvitatis viventium, & non viventium. Hoc poſito.

51 Communis ſententia eſt omnem qualitatem ordinis naturalis habere terminum intrinſecum intenſionis, quem poteſt attingere, & extrinſecum, ad quem ex natura rei non poteſt pervenire. Ratio eſt 1. quia in nulla cauſa creata agnoſcitur virtus, vt producat infinitam intenſionem: ergo quævis qualitas ex limitatione virtutis activæ creatæ, à qua procedit determinatur, vt perveniat vſque ad tantam intenſionem (maiorem, vel minorem pro inæqualitate virtutis cauſæ) & maiorem non poſsit attingere. 2. Quia quævis qualitas naturalis, eſt debita alicui ſubſtantiæ naturali iuxta maiorem, vel minorem perfectionem ſubſtantiæ, cuius eſt propria; ſed in nulla ſubſtantia creata reperitur tanta perfectio ſubſtantialis, cui debita ſit infinita qualitas, infinita ve qualitatis intenſio: ergo quævis qualitas naturalis habet à natura determinatam intenſionem, quam poſſit attingere, & maiorem aliam ad quam pervenire non poſsit.

52 Sed eſt difficultas; an ſaltem de potentia Dei poſsit qualitas ita excedere terminum intenſionis à natura præfixum, vt intendatur infinite? Si gradus intenſionis ſunt ſimiles, & æquales inter ſe, in infinita intenſione qualitatis ferè non eſt alia difficultas, quam, quæ reperitur in multitudine cathegorematice infinita, quam poſsibilem propugnavimus 3. lib. Phyſic. diſp 3. ſect 3. ideoque AA ibi relati eodem iure pro poſsibilitate infinitæ intenſionis adducendi ſunt, eoſque adducit P. Izquierdo q. cit. an. 170. Verum licèt intenſio fiat ex gradibus diſsimilibus, & inæqualibus inter ſe ſubordinatis, eam augeri poſſe de potentia Dei in infinitum

tum categorematice expreſse docent in Phyſiic. Hurt. diſp. 13. Oviedo controverſ. 14. punct. 5. Carleton diſp. 45. ſect. 4 & P. Suar. loquẽdo de intenſione gratiæ tom. 1. in 3. p. diſp. 12. ſect. 2.

53 Horum ſententia mihi vera eſt, eiuſque probatio, ſicut in alijs quæſtionibus de poſſibili evenit, ſumenda eſt ex argumentorum ſolutione. Objicies 1. cum P. Alfonſ. qui hic diſp. 2. ſect. 9. cenſet qualitates naturales conſtantes gradibus inæqualibus & ſubordinatis inter ſe non poſſe intendi in infinitum. Nam omnis qualitas naturalis eſt accidens per ſe conſequens ſubſtantiam naturalem: ergo ſi poſsibilis eſt infinita intenſio qualitatis naturalis, poſsibilis erit etiam ſubſtantia naturalis per ſe petens eam intenſionem: nam quævis ſubſtantia per ſe petit eas qualitates, quę per ſe illam conſequuntur; ſed non eſt poſsibilis ſubſtantia naturalis per ſe petens infinitam intenſionem qualitatis: ergo neque poſſibilis eſt infinita qualitatis intenſio. Reſpondeo, omnem qualitatem naturalem eſſe accidens per ſe conſequens in intenſione finita ſubſtantiam naturalem, quia hanc ſubſtantiam ſolum conſequuntur per ſe accidentia, quibus indiget, vt operetur, & quia nulla ſubſtantia naturalis eſt infinitæ activitatis, nulla indiget infinita intenſione qualitatis. Cęterum Deus vltra debitum, & exigentiam ſubſtantiæ naturalis poteſt in infinitum augere eius qualitatem, quia in tali infinitudine nulla eſt implicatio.

54 Inſtas: ea infinita qualitas eſſet eſſentialiter infinite perfecta: ſed qualitas creata, quę eſſentialitèr ſit infinite perfecta implicat: ergo & implicat qualitas infinita in intenſione. Maior probatur: ea qualitas infinita conſtaret gradibus ſubordinatis eſſentialiter perfectioribus, & perfectioribus in infinitum: ergo eſſet eſſentialiter infinite perfecta. Probatur conſequentia: quia qualitas eo eſt eſſentialiter perfectior, quo conſtat pluribus, & pluribus gradibus eſſentialiter perfectioribus.

55 Reſpondetur, eam qualitatem forè eſſentialitèr infinitè perfectam infinitudine *ſecundum quid* intra genus qualitatis creatę; non verò infinitudine *ſimpliter*, quia plures manent poſsibiles perfectiones in ea intenſione non incluſæ, neque formaliter, neque eminenter; & quod eſſentialiter, eſt perfectum infinitè ſimpliciter neceſſario includit, vel formaliter, vel eminenter omnem omnino perfectionem poſsibilem, ſicut eam includit Deus. Et confirmatur ſolutio ad hominem. Per te poſsibilis eſt multitudo cathegorematica ſpecierum perfectiorum, & perfectiorum ſine fine, quæ eſſentialiter eſſet compoſita ex infinitis ſpeciebus alijs eſſentialiter perfectioribus alijs. Tũc ſic: vel ea multitudo ſpecierũ eſſet eſſentialiter infinite perfecta

in

in ſenſu repugnante, vel non? Si primum; non erit poſsibilis. Si ſecundum; ergo neque erit eſſentialiter infinite perfecta in ſenſu repugnante infinita intenſio ex infinitis gradibus alijs eſſentialiter perfectioribus alijs.

56 Dices diſparitatem eſſe: quia in illis ſpeciebus nulla contineret formaliter perfectionem alterius, quam excedit in perfectione, vt patet; neque eam contineret eminenter, quia nulla eſſet cauſa alterius. At verò quilibèt gradus illius intenſionis infinitæ (in ſententia, quàm ſupponimus de inęquali, & ſubordinata activitate graduum) contineret eminenter perfectionem illius, quem ſuperat: quia videlicèt ſuperiores, & perfectiores gradus continent perfectionem inferiorum; ſed contra eſt 1. quia ſi per ſubordinationem eſſentialem graduum inferiorum ad ſuperiores contendas fieri, vt in intenſione ſit aliquis determinatus gradus, qui eſſentia ſua ſit infinite perfectus, & ſubordinet ſibi, contineatque infinitos alios infra ſe; ſi, inquam, hoc contendas falſum omnino ſupponis, quia ea intenſio non dicitur eſſentialiter infinite perfecta per affirmationem gradus infinite perfecti; ſed per negationem gradus finite perfecti, vltra quem non ſit alius finite perfectior, & alius, aliuſque abſque vltimo, vltra quem non ſit alius finite perfectior; ſed hac ratione etiam collectio infinitarum ſpecierum perfectiorum, & perfectiorũ eſt eſſentialiter infinite perfecta; videlicet per negationem ſpeciei ita perfectæ, vltra quam non ſit alia, & alia perfectior abſque vltima ita perfecta, quod non habeat ſuprà ſe aliam perfectiorem: ergo vel in infinita intenſione non eſt implicatio: vel implicatio eſt in collectione infinitarum ſpecierum inæqualium in perfectione.

57 Contra 2. Quia excluſa falſa ſuppoſitione, quàm excluſimus, illa intenſio ſolum poteſt eſſe eſſentialiter perfecta infinite, quia eſſentialiter conſtat gradibus alijs eſſentialiter perfectioribus alijs; ſed collectio infinita ſpecierum eſſentialiter conſtat ſpeciebus alijs eſſentialiter perfectioribus alijs: ergo collectio infinita ſpecierum erit eſſentialiter infinite perfecta eodem titulo, ac infinita intenſio qualitatis. Atque hinc conſtat continentiam eminentialem graduum ſuperiorum reſpectu inferiorum nihil præſtare ad præſentem diſparitatem; nam ea continentia ſolum efficit apud objicientem, quod ſuperiores ſint perfectiores inferioribus, & eos ſibi ſubordinent in perfectione; ſed in collectione ſpecierum infinitarum, ſuperiores ſunt perfectiores inferioribus, & eas ſibi ſubordinant in perfectione, licet ex alio capite, quam ex continentia eminentiali: ergo continentia eminentialis aliorum graduum reſ-

reſpectu aliorum nihil momenti præſtat ad diſparitatem.

58 Obijc. 2. Implicat multitudo infinita ſpecierum ſe excedentium in perfectione: ergò, & infinita intenſio graduum ſe excedentium, & inæqualium in perfectione. Conſequentia eſt bona, & antecedens probatur ſic. Poſita ea multitudine infinita, ſpecies exceſſæ ab alijs in perfectione, eſſent plures, & non eſſent plures, quam ſpecies excedentes, quod implicat. Eſſent quidem plures: quia omnes ſpecies ſunt exceſſę ab alijs, & tamen non omnes ſunt excedentes, quia prima omnium, omniumque minima in perfectione, non habeat infra ſe aliam, quam excedat. Deinde non eſſent plures; quia ſicut cuilibet ſpeciei excedenti correſpondet infra ſe alia, quam excedit; ita cuilibet exceſſæ correſpondet ſupra ſe alia, quę ipſam excedit.

56 Vrgetur, & explicatur alia via eadem difficultas. Ponamus multitudinem infinitam ſpecierum conſtare præciſſe ſpeciebus hominum, & Angelorum, ita vt prima ſpecies ſit homo, ſecunda Angelus perfectior homine, tertia homo perfectior Angelo; quarta Angelus perfectior homine, & ſic in infinitum. Arguitur iam ſic: collectio ſpecierum Angelorum eſſet magis perfecta, & non eſſet magis perfecta quàm collectio ſpecierum hominum: ergo multitudo infinita reſultans ex illis ſpeciebus implicatoria eſt. Antecedens probatur: eſſet quidem collectio ſpecierum Angelorum magis perfecta, quam collectio ſpecierum hominum: quia nullus eſſet Angelus, qui non excederet in perfectione aliquem hominem. Deinde non eſſet magis perfecta; neque eſſet vllus Angelus, qui non excederetur ab aliquo homine: ergo.

60 Ad obiectionem ex doctrina data à nobis diſp. 3. cit. ex 3. lib. Phiſic. reſpondetur, ſpecies exceſſas formaliter, quia infinitas, ſeu in *ratione infiniti*, æquales eſſe, & nō plures, aut pauciores quam excedentes: nam eſſe ſic æquales ſtat in eo, quod neque ſit vltima excedens, neque vltima exceſſa in tota collectione ex hominibus, & Angelis reſultante; & re vera in ea collectione, vtpote infinita, neque eſſet reperibilis, aut aſsignabilis, etiam à Deo, ſpecies aliqua excedens, quæ eſſet vltima excedentium: aut ſpecies aliqua exceſſa, quæ eſſet vltima exceſſarum. Materialiter tamen ſpecies exceſſæ eſſent plures per exceſſum vnius vnitatis: quia videlicet, inter exceſſas, aliqua eſt exceſſa, quæ non eſt excedens aliam (illa nempe quam primam numeremus in tota collectione) & inter excedentes nulla eſt excedens, quæ ſimul non ſit exceſſa ab alia. Quare in collectione ſpecierum exceſſarum ab alijs datur

vna exceſſa, quæ non eſt excedens aliam; & in collectione excedentium, ita quælibet eſt excedens exiſtentem infra ſe, vt nulla ſit, quæ non excedatur ab alia ſuperiori.

61 Sed dices: auferamus mente noſtra à tali collectione eam primam ſpeciem, quàm dicimus eſſe exceſſam ab alia, & nullam aliam excedentem; & in eo caſu adhuc probatur per argumentum ſupra factum ſpecies exceſſas eſſe plures, quam excedentes; quia ſpecies, quæ tunc maneret prima in tota collectione, & infima in perfectione erit exceſſa, & non excedens, & reliquæ omes erunt excedentes ſimul, & exceſſę: ergo antequam auffertetur ea ſpecies, collectio exceſſarum erat maior collectione excedentium præcisè per exceſſum illius entitatis. Reſpondeo, verum quidem eſt, quod ablata ea prima ſpecie, adhuc erunt plures ſpecies exceſſæ quam excedentes in collectione remanentium; ita tamen, vt per ablationem primę conſtituentis primam collectionem, iam ſubeat denominationem exceſſæ, & non excedentis ſpecies, quæ in priori collectione erat ſecunda, & tunc ita erat exceſſa, vt ſimul eſſet excedens ſpeciem illam, quam ſupponimus eſſe nunc ablatam in noſtra numeratione.

62 Ad inſtantiam ex n. 59. reſpondetur, quod collectio hominum, vt ponitur eſt imperfectior collectione Angelorum: quia in illa collectione omnis homo eſt exceſſus ab Angelo, & datur aliquis homo, ſcilicet, qui numeratur primus in collectione ex hominibus, & Angelis reſultante, qui ab aliquo Angelo exceditur, & ipſe nullum excedit Angelum; nullus vero datur Angelus ita exceſſus ab alio homine ſuperiori, vt ſimul non excedat alium hominem inferiorem. Si autem ponas primam ſpeciem infimam omnium conſtituentium collectionem Angelorum, & hominum eſſe Angelum, tunc propter rationem proxime datam dicendum eſt collectionem Angelorum eſſe imperfectiorem. Hinc in forma, conceſſo quoad primam partem antecedente inſtantiæ, nego ſecundam partem eiuſdem antecedentis. Ad cuius probationem diſtinguo: nullus eſſet Angelus, qui non excederetur ab aliquo homine, & ſimul alium hominē excederet concedo: & non ſimul excederet alium hominem, nego antecedens, & conſequentiam.

63 Obijc. 3. Si poſsibilis eſt infinita intenſio qulitatis, poſſibilis erit infinita intenſio pœnæ ſenſus; ſed hæc non eſt poſsibilis: ergo neque illa. Minor probatur ſi hæc inteſio pœnæ eſſet poſsibilis, & daretur damnato, v.g. Iudæ, poſſet per illam in tempore finito ſatiſpati ad æqualitatem pro ſuo peccato; ſed implicat pœna, per quā poſsit peccator ſatiſpati ad æqualitatem pro ſuo peccato

cato in tempore finito, vt ſuppo-nitur ex Theologia: ergo hęc pœna non eſt poſsibilis. Maior probatur: pœna infinite inteſa durans tempore finito tanta videtur eſſe quanta pœna finite intenſa durans per æternitatem; ſed pœna finite intenſa durans per æternitatem neceſſaria eſt, vt peccator ſatiſpatiatur pro ſuo peccato: ergo pœna infinite intenſa data damnato ſufficeret, vt hic in tempore finito ſatiſpateretur ad æqualitatem pro ſuo peccato.

64 Reſpondeo: pœnam infinite intenſam pro quocumque tempore finito etiam valde extenſo non ſufficere ad æqualem, & condignam ſatiſpaſsionem pro peccato. Nam peccatum meretur adæqualitatem pœnam, qua de facto punitur; ſcilicet finite intenſam, & extenſam, temporaliter infinite, proindeque infinibilem; ſed pœna temporaliter infinibilis licet finita in intenſione eſt infinite maior quacumque pœna finibili, etiam infinite intenſa; nam quidquid finem habiturum eſt in ea ratione, in qua finem eſt habiturum, non poteſt comparari, aut æquari, cum eo quod in eadem ratione non eſt finem habiturum: ergo pœna infinite intenſa etiam pro longo tempore finito inflicta peccatori, non erit ſufficiens, vt pro ſuo peccato ſatiſpatiatur adęqualitatem: atque inde conſtat ſolutio ad formam argumenti.

65 Obijc. 4. Implicat infinita intenſio gratiæ: ergo, & alterius qualitatis. Antecedens probatur 1. Quia homo habens eam intenſionem, non poſſet mereri per ſua bona opera; ſiquidem non poſſet à Deo præmiari vlteriori gratia; neque in hac vita poſſet plus participarę Deum; ſiquidem in hac vita participatio Dei fit media gratia. 2. Quia homini habenti infinitam gratiam debetur in patria lumen glorię infinite intenſum, per quod elevaretur ad viſionem infinite claram, & comprehenſivam Dei, quę ab omnibus reputatur impoſsibilis puræ creaturæ. 3. Quia gratia datur naturæ rationali, vt eam elevet ad eliciendos actus ſupernaturales; ſed natura rationalis creata, vtpote finitæ, & limitatæ virtutis non poteſt elevari ad eliciendos actus ſupernaturales intenſiores, & intenſiores, & in infinitum: ergo implicat infinita intenſio gratiæ collata creaturæ.

66 Nego antecedens argumenti. Ad primam eius probationem dico; ſi ponas hominem non ſolùm habere infinitam gratiam, ſed intenſionem includentem omnes omnino gradus poſſibiles gratiæ, nullum eſt abſurdũ, quod homo per ſua merita non poſsit lucrari maiorem gratiam. Si vero homo habeat intenſionem infinitam non includentem omnes omnino gradus poſsibiles gratię, rectè lucrari poterit maiorem gratiam, præmiarique à

Deo per alias intenſiones etiam infinitas gratię. Idem dic ad illud, quod additur de participatione Dei mediâ gratiâ. Ad *ſecundam*: admiſſo, vel conceſſo homini ita ſancto per gratiam infinitè intenſam deberi lumen gloriæ infinite intenſum, non inde infertur, quo illo eliciat viſionem infinite intenſam: quia virtus finita, & limitata intellectus creati forte non poteſt elevari ad actum infinitum in intenſione, & claritate. Si verò ad actum eius intenſionis poſſit elevari, adhuc actus ille non eſſet comprehenſio Dei, ad quam plus neceſſarium eſt, quam claritas infinita viſionis de quo Theologi à 1. part. tract. de Viſione; & nos obiter non nihil dicimus lib. 2. de Anima. Ad *tertiam*: ſi virtus rationalis creata non poteſt elevari per infinitam intenſionem gratiæ ad actus intenſiores, & intenſiores in infinitum, gratia non præſtaret homini effectum formalem tantæ elevationis; præſtaret tamen illi effectum formalem infinite ſancti, & grati Deo.

67 Hæc de terminis intenſionis. Circa terminos remiſſionis, ex dictis lib. 6. Phyſic. de terminis parvitatis non viventium: dico, qualitatem non habere terminum intrinſecum, aut extrinſecum parvitatis; ſed poſſe conſervari in minori, & in minori intenſione, quin ſit aliqua, infra quā non poſſit conſervari. Ratio eſt: quia quælibet licet minima pars caloris habet virtutem intrinſecam operandi, & poteſt ex natura rei coniungi alteri parti, cum qua operetur: ergo qualitas in quavis minima intenſione poteſt conſervari. Conſequentia probatur: quia iuxta adverſarios ideo non poſſet conſervari in minima intenſione; quia in ea operari non poſſet, & *eſſe eſt propter operari*. Confirmatur: calor, aut lux exiſtens in vltima parte extenſionis ſpheræ agentis, adeò ſunt tenues, vt operari non poſſint ſe ſolis; & tamen naturaliter conſervantur, quia naturaliter coniungi poſſunt cum alia parte lucis, aut caloris, cum qua indiviſibiliter concurrendo producant lucem, aut calorem in alio paſſo.

DISPVTATIO III.

De Activitate qualitatum naturalium.

HVcuſque egimus de intenſione qualitatis, & de natura graduum eius; nunc de eadem qualitate agendum eſt in ordine ad ſuos effectus.

SECTIO I.

Nonnulla ſupponuntur.

1 SVppono 1. Multitudo agentium, & multitudo partium extenſionis eiuſdem agentis: item agentis denſitas eſt conditio ad agendum, & plus agendum

in paſſo applicato. Prior pars conſtat: nam quò plures ignes applicantur paſſo, aut quo plures partes extenſionis habet ignis applicatus, vel vnitus plus caloris producitur, vt experientia ipſa ſenſuum teſtatur. Atque inde ortum eſt illud proloquium, *multitudo, agentium iuvat ad agendum.*

2 Conſtat etiam ſecunda pars: nam calor exiſtens in ferro, aut lapide plus, & citius calefacit manum applicatam, quàm calor exiſtens in ligno, aut aqua. Et ratio eſt: quia quando agens habet partes activas magis applicatas paſſo, magis operatur in paſſo; ſed agens denſius habet partes activas magis applicatas paſſo, cum enim habeat partes magis applicatas, & vnitas inter ſe, quam agens minus denſum, neceſſe etiam eſt, quod habeat partes magis applicatas paſſo: ergo agens denſius magis operatur in paſſo, quam minus denſum, conſequenterque denſitas agentis eſt conditio ad agendum, & plus agendum. Ideo dicitur, *virtus vnita eſt fortior ſe ipſa diſperſa.*

3 Suppono 2. Quando agens habens plures partes extẽſionis, v.g. ignis palmaris, operatur in paſſo, non ſolum operatur pars agentis immediatè applicata paſſo, ſed etiam operantur reliquæ remotiores, Ita PP. Suar. diſp. 18. ſect. 8. Hurt. in Phyſic. diſp. 9 ſect. 6. Alphonſ. hic diſp. 3. ſect. 2. & communiter noſtri. Probatur; quia in caſu poſito plus caloris producitur in paſſo, quàm ſi agens non haberet tot partes extenſionis, vt monſtrat experientia: ergo non ſolum operatur pars agentis immediatè applicata paſſo, ſed etiam reliquæ. Patet conſequentia: quia ſi omnes ad operationem non concurrerent non eſſet ratio cur produceretur plus caloris, quam ſi ſola pars immediatè aplicata paſſo operaretur. Neque inde infertur agens agere in diſtans: nam ſi omnes partes operantur, agens adæquatum coaleſcit ex eis omnibus, & illud agens adęquatum immediatè eſt aplicatum paſſo ratione vnius partis, & hæc applicatio ſufficientiſsima eſt: nam in omnium ſententia agens adęquatum producens lucem in hac charta coaleſcit ex ſole, & luce in medio producta, & non omnes partes huius agentis ſunt immediatè applicatæ chartæ, vt patet, ſed totum agens ſufficienter applicatur ratione immediatæ applicationis vnius partis ſui.

4 Dices tamen: ſi effectus productus in prima parte paſſi non ſolum procedit à parte agentis immediatè applicata, ſed etiam à partibus remotioribus, actio productiva talis effectus, quę quidem in eodem loco cum effectu recipitur, ſepararetur localiter ab agente; ſed hoc implicat, vt multis probare contendit P. Izquierdo tom. 1. in 1. p. diſp. 5. à n. 307. ergo effectus ille non procedit ab omnibus par-

partibus extenſionis agentis; conceſſa maiori, nego minorem: quia quælibet actio tranſiens ex neceſſitate debet ſeparari localiter ab agente; debet enim recipi cum ſuo termino in paſſo, quod reſpectu actionis tranſeuntis, vt diſtinctę ab immanenti diſtinguitur ab agente, & non eſt in eodem loco cum illo.

5 Ex dictis obſervabis 1. Omnes partes extenſionis agentis operari etiam immediate in ſecunda parte paſsi: quia agens adæquatum ad agendum in ſecunda parte paſsi eſt coniunctum coaleſcens ex agēte principali, & eff. ctu producto in prima parte paſsi; ſed hoc coniunctum eſt immediate aplicatum ſecundæ parti paſsi ratione effectus producti in prima: ergo totum hoc coniunctum operatur immediate in ſecunda parte paſsi. Eadem ratione probatur, omnes partes agentis immediate operari in diſtantioribus partibus paſsi, dummodo ſint intra ſpheram ſuæ activitatis. Dices: ergo agens, quo magis diſtat à paſſo, magis operatur in illo, quod eſt contra experientiam, & rationem. Probatur ſequela ex dictis: quia quo magis diſtat à paſſo v.g. à tertia, aut quarta parte extenſionis paſsi, plures ſunt partes activæ productę in medio, quibus ad agendum iuvatur, & ad plus agendum ſiquidem multitudo agentium iuvat ad agendum. Nego ſequelam, & ad probationem dico, plures eſſe quidem partes activas, & agentes; ſed eas ita occupari in conſervando effectu producto in medio, & aliunde ita impediri ratione maioris diſtantiæ, vt ex neceſſitate decreſcat actio in parte diſtantiori paſsi, de quo iterum ſect. 3.

6 Obſervabis 2. omnes partes agentis concurrentes ad producendum aliquem gradum, concurrunt ad ipſum per actionem eandem indiviſibiliter provenientem ab omnibus. Ita communiter AA. noſtri cum P. Suar. loco cit. Nam ſi partes agentes concurrentes ad primum gradum concurrunt per diſtinctas actiones, vel actiones illæ ſunt totales, vel partiales? Nō totales: quia ex natura rei nullus terminus producitur per duplicem actionem totalem, vt probatum eſt in Phyſic. lib. 2. diſp. 8. ſect. 2. §. 1. Neque partiales: quia vel repugnat actio partialis, & inſufficiens, vt ſe ſola ponat in rebus ſuum terminum; vel ſaltem in hoc caſu ſuperfluerent tot actiones partiales; pręſertim cum plures cauſæ ſeorſim partiales vniri poſsint, vt per eandem actionem operentur. Obſervabis 3. Per diverſam actionem producitur effectus in prima parte paſsi, ac in ſecunda: Patet ex dictis: quia actio producens effectum in prima parte paſsi provenit a ſolo agente principali, & actio producens effectum in ſecunda parte paſsi provenit ab agente principali concurrente ſimul

mul cum effectu producto in prima parte paſſi; ſed actiones procedentes à diverſis agentibus quorum ſunt modi, & exercitia, ſunt diſtinctæ: ergo per diverſam actionem producitur effectus in prima parte paſſi, ac in ſecunda.

7 Suppono 3. Nullum agens creatum poteſt agere in diſtans, quin aliquid operetur in paſſo intermedio. Id probatum à nobis in Phyſica lib.7. diſp. vnic. Et ratio ex ibi dictis eſt: quia nullum agens creatum poteſt producere aliquid in paſſo, cui neque mediate, neque immediate eſt, applicatum; ſed ſi non producit in paſſo intermedio effectum, quo iubetur ad agendum in diſtans, producet effectum in diſtans, cui neque immediate, neque mediate eſt applicatum: ergo nullum agens creatum poteſt agere in diſtans quin aliquid operetur in paſſo intermedio. Quæ contra hanc doctrinam adduci ſolent, ſoluta ſunt loco citato.

8 Suppono 4. Agens producens in paſſo intermedio, vſque ad diſtans poteſt producere in diſtans ratione melioris diſpoſitionis in ipſo repertæ pluſquam producit in medio. Hæc ſuppoſitio non adeo frequenter recipitur. Sed pro ea ſtant plures, & nobiles AA. P. Suar. diſp. 16. n. 36. & Puente Hurt. diſp. 9. cit. ſect. 7. Arriaga diſp. 3. ſect. 8. ſub ſect. 2. Oviedo controv. 5. punct. 1. n. 13. Quiros diſp. 73. cit. ſect. 6. & Spinula diſp. 4. ſect. 4. Lerma q. 47. & docti RR. & favere videtur D. Thom. 1. p. q. 115. art. 3 ad 4. ait: *Quod actiones corporum cæleſtium diverſimode recipiuntur in inferioribus corporibus ſecundum diverſam materiæ diſpoſitionem.* Nec non 3. Phyſic. lect. 4. & in 2. diſtinct. 15. q. 1. art. 2. ad 6. & q. 5. de Verit. art. 9. ad 12.

9 Probatur 1. Quando à centro rotæ eam moveo manu verſus circunferentiam, maiorem impulſum imprimo in circulo excentrico, quám in concentrico; at quia circulus concentricus proximior eſt manui, non eſt vnde ea differentia impulſus provenire poſsit niſi à diſpoſitione ipſius rotæ, vi cuius circulus excentricus me determinat, vt, ſi rotam moturus ſum, maiorem impulſum imprimam in ipſo, quam in circulo concentrico: ergo ratione diſpoſitionis, & conditionis paſsi provenire poteſt, quod ages per medium operans plus operetur in diſtans, quam in propinquum. Minor, & conſequentia certæ videntur. Maior autem probatur: quia cum in circulo excentrico ſint plures partes movendæ, quam in concentrico, & quidem eodem temporis ſpatio movendæ; & alias, quælibet earum debeat percurrere multo maius ſpacium, quam quælibet pars circuli concentrici, neceſſe eſt ad eum motum, quod maiorem impulſum imprimam in circulo excentrico, quam in concentrico,

10 Probatur 2. Quia, apud omnes, corporum diſpoſitio, & conditio, determinat agentia ad diffomes operationes. A corporibus enim terſis, diaphanis, & albis fit reflexio lucis, ſecus à corporibus nigris, & opacis. Species viſuales reflectuntur ab ſpeculo perfuſo à tergo argento vivo; & abſque ea diſpoſitione non reflectuntur; ſimiliterque eędem ſpecies reflectuntur ab aqua, non à terra aut igne; nec non ſpecies ſoni ab aliquibus, non ab alijs corporibus reflectuntur, & huius generis ſexcenta alia enumerari poſſunt: cur ergo à diſpoſitione, & conditione paſsi diſtantis non poterit determinari agens, vt in ipſo producat effectum quem non produxit in paſſo proximiori non ita diſpoſito. Vide alia apud Hurr. loco cit.

11 Sed dices: agens iuxta ſup. 5. non poteſt agere in diſtās, quin iubetur effectu producto in medio; ſed ſol non poteſt iuvari à quatuor gradibus lucis productis in medio ad producendum quintum gradum in paſſo diſtanti; quia ex dictis diſp. 2. grad. s inferiores non continent in ſua virtute neque concurrunt ad productionem ſuperiorum: ergo ſol non poteſt agere in paſſo diſtanti quomodocumque diſpoſito, quod non produxit in medio. Reſpondeo agens principale, ſolem videlicet, ſe ſolo producere, quintum gradum in diſtans determinatum ab ipſius paſsi conditione, & diſpoſitione, & hoc ſtare cum veritate terrię ſuppoſit. Itaque res ſic ſe habet. Agens nequit agere in diſtans, niſi applicetur vi alicuius agentis intermedij concurrentis cum ipſo; applicatur autem per quatuor gradus lucis productos in medio ad producendum in diſtans vſque ad quartum gradum, qui in virtute alterius quarti continetur. Poſtquam vero agens iam eſt ſufficienter applicatum paſſo diſtanti, vt in eo operetur, operatur in illo in quantum poteſt, iuxta paſsi capacitatem, & diſpoſitionem; cum autem ſol contineat quintum gradum lucis, & paſſum diſtans ſit capax, & melius diſpoſitum, quam medium producit in illo quintum gradum, quem non produxit in medio. Si enim defectus diſpoſitionis paſsi determinat agens, ne operetur id, quod in ſua virtute continet, quid mirum ſi melior paſsi diſpoſitio determinet, vt melius, & plus operetur.

12 Dices: ergo Sol applicatus viſceribus terrę medijs qualitatibus à ſe productis, producet ibi immediatè formas metallorum, quas non produxit in medio. Nego conſequentiam: nam, cum in Phyſic. lib. 2. diſp. 6. ſect. 2. probaverimus accidentia ne in adęquate producere ſubſtantiam, non poteſt ſol medijs accidentibus per medium diffuſsis applicari ad agendum: quia ſic applicari in eo ſtaret, quod accidentia concurrerent ad formas metallorum

rum ſaltem ex parte producendas: at in noſtro caſu ſol, medijs quatuor gradibus lucis medij continentibus alios quatuor, applicatur ad eos quatuor producendos, & ſemel ad agendum applicatus, agit in quantum poteſt in illa ſpecie, attenta diſpoſitione, & capacitate paſsi.

SECTIO. II.

Vtrum ſimile poſsit intendere ſibi ſimile?

12. NOn eſt quæſtio de agente æquivoco, v. gr. de agente lucido reſpectu paſsi calidi; nam, cum lux ſit cauſa æquivoca caloris, & contineat eminenter totam caloris ſpeciem, non ſolùm poteſt intendere paſſum ſimile intenſione, ideſt, corpus lucidum vt quatuor, paſſum calidum vt quatuor, ſed & intendere poteſt paſſum intenſius ſe; poteſt enim agens lucidum vt duo intendere paſſum calidum vt quatuor producendo in eo quintum gradum caloris. Eſt ergo quæſtio de agente vnivoco per omnia ſimili paſſo; an videlicet agens calidum vt quatuor poſsit intendere aliud calidum, vt quatuor, quod ſit ſimile agenti, etiam in alijs conditionibus ad agendum, in denſitate, nimirum, & multitudine partium agentium.

§. I.

Eligitur communis ſententia, & plures obiectiones ſoluuntur.

13 COmmunis adeo ſententia eſt agens ſimile paſſo nihil poſſe in illud agere, quo ipſum intendat, vt P. Suar. diſp. 18. ſect. 9. dixerit, *eſſe quaſi primum principium* in Philoſophia *ſimile non intendere ſibi ſimile.* Refragantur huic communi placito P. Izquierdo vbi ſupra num. 311. & RR. ſuppreſſo nomine citati ab Oviedo controv. 5. punct. 1. & Alphonſ. diſp. 2. ſect. 6. qui non ſolum docent ſimile poſſe intendere ſibi ſimile, ſed agens minus intenſum poſſe intendere paſſum intenſius ſe.

14 Sed non eſt recedendum à communi ſententia, cuius rationem à priori dedimus diſp. 2. ſect. 2. §. 2. quia videlicet agens ſimile per omnia paſſo non continet in ſua virtute gradum, per quem erat illum intenſurum. Nunc à poſteriori probatur.

15 Primo ab experientia. Tum quia vna candela alteri applicata lumen illius non intendit eſtò ab vtraque maior lux producatur in aère vicino, quam ſi exiſteret vna tantum. Experientia enim, & occulorum evidentia patet, quod ſi faci ardenti in aula, alia ſimilis omnino fax ardens applicatur nullatenus immutat

cat illis lucem: ſi autem ſimile poſsit agere in ſimile, fax denuo adveniens alteram immutaret, vt ſplendidior appareret. Tùm, quia ſi ex accenſo fornace extrahamus duas virgas ferreas æque calidas, & lucidas, vnamque applicemus alteri tàm longe, abeſt vt lux vnius intendat alterius lucem, quod potius lux vtriuſque brevi remittatur, & abſumatur. Hoc autem probat ſimile non poſſe agere in ſimile: quia ſi poſſet, nulla eſſet ratio, cur lux vnius non conſervaret per aliquod tempus totam intenſionem lucis alterius.

16 Secundo probatur ab abſurdo: quia vt docet Ariſt. 1. de Generat. cap. 7. ſi ſimile poſſet agere in ſimile, non eſſet cur vnum ageret in aliud, & hoc non ageret in primum; præſertim ſi quodvis conſervetur à ſua cauſa productiva (quod addo, vt preoccupem ſolutionem, quæ parari poſſet) & neutrum ab alio: ergo ſi ſimile poteſt agere in ſimile, mutuo agent in ſe: ergo duo calida vt quinque poſſent ſe intendere vſque ad ſummum, quod eſt falſum, & contra experientiam. Probatur tamen: quia calidum vt quinque conſervatum à ſua cauſa producet in alio, vt minimum duos gradus caloris, & ſimiliter è converſo, quo fiet, vt iam quodlibet ſit calidum, vt ſeptem. Deinde, licet demus quinque primos gradus cuiuslibet calidi occupari in conſervandis duobus gradibus in alio productis (ſufficiet enim aliunde virtus quatuor graduum ad conſervandos duos) duo gradus reſidui, non occupati in alio conſervando, poterunt in illo inſtanti, vel in ſequenti alium gradum caloris producere, & evadet quodlibet eorum calidum vt octo, & intenſum in ſummo.

17 Imò agens non poſſe agere in paſſum ſimile in intenſione, licet illud excedad in denſitate, & multitudine partium, probatur contra Cardin. Toletum hic quæſt. 13. & alios, quos ſequuntur Prado quæſt. 24. §. 3. & Lerma quæſt. 38. Et quidem probatur experientia: nam ſi magna fax ardens applicetur candelæ, huius lucem non immutat, nec reddit maiorem; & tamen magna illa fax habet plures partes productivas lucis, quam candela: ergo exceſſus in multitudine partium agentium non ſufficit vt agens intendat paſſum alias ſimile in intenſione, licet in partium extenſione diſsimile. Probatur deinde: quia diſsimilitudo agentis cum paſſo in extenſione, & multitudine partium præſtabit quidem, vt agens producat ſuum effectum in novas partes extenſionis paſsi, quæ diſsimiles ſunt agenti in intenſione, non tamen vt aliquid de novo producat in ea parte quam reperit iam ſimilem ſibi in intenſione. Præſtabit primum propter exceſſum virtutis comparative ad virtutem paſsi; ſed

ſed non præſtabit ſecundum, id texrante experientia.

18 Cuius ratio ex dictis diſp. 2. cit. eſt: quia licet in agente continente, quam plures partes extenſionis, quævis ſit calida, vt quatuor, & in paſſo vnica tantum pars ſit calida, vt quatuor, multitudo illa partium eiuſdem intenſionis nihil iuvat ad producendum quintum gradum in parte paſsi calida vt quatuor, quia gradus ille, vtpote perfectior omnibus gradibus agentis, non continetur in vila, neque in omnibus eius partibus. At vero cum partes agentis contineant reliquos gradus inferiores vſque ad quartum, conducere poteſt ea maior virtus, vt quartus producatur etiã in ſecunda, aut tertia parte paſsi, qui non produceretur, ſi agens haberet vnicam, aut duas ſolum partes extenſionis calidas vt quatuor. Sed contra doctrinam huc uſque firmatam ſunt plures obiectiones.

19 Obijc. 1. Si candelæ illuminanti aërem adiungatur alia omnino ſimilis, producitur in aëre maior lux, vt ipſis oculis cernimus: ergo vna candela intendit lucem aëris ſibi ſimilem. Sed hæc obiectio non eſt ad rem. Primò: quia candela producens lucem in aëre eſt cauſa æquivoca lucis, ideoque altera candela accedens, & intendens lucem aëris, non intendit paſſum ſimile, ſed diſsimile. Secundò: quia admiſſo, quod lux non producatur in aëre à flamma ipſa, & ſubſtantia candelæ ſimul concurrente cum ſua luce, vt nos docuimus in Phyſic. ſed à ſola candelæ luce, vt ſentiunt alij, adhuc non probat argumentum: quia lux cuiuſvis candelæ eſt multo maior luce, quam alia candela produxit in aëre medio, atque ideò, dum illam lucem intendit, non intendit paſſum ſimile, ſed paſſum remiſsius. Atque hinc videbis, quam ſine fructu congerat M. Prado teſtimonia D. Thomæ aſſerentis per coniunctionem plurium luminarium intendi lucem aëris, vt inde probet ſimile poſſe intendere ſibi ſimile in intenſione, quando illud excedit in multitudine partium.

20 Obijc. 2. Graviter vt octo vna lans per gravitatem, vt octo ipſi ſuperpoſitam; & ponantur ſucceſsivè in altera lance grana tritici, quorum quodlibet ſupponamus gravitate vt vnum. In hoc caſu illa alia lans per ſucceſsionem granorum tritici gravitat, tandem, vt octo, & æquilibratur priori: ergo gravitas vt vnum vnius grani intendit gravitatem ſimilem alterius, & impulſus ab vno grano productus intendit etiam impulſum ſimilem productum ab alio. Deſpicit hoc argumentũ pro re præſenti P. Oviedo vbi ſupra §. 5. & merito quia gravitas eſt cauſa æquivoca impulſus, ideoque quivis gravitatis gradus continet omnes gradus impulſus. Reſpond. ergo adveniente ſecundo, & reliquis, ab ipſis indi-

diviſibiliter operantibus cum primo grano conſervari primum gradum inpulſus antea productum, & produci ſecundum, & reliquos gradus impulſus, qui antea non producebantur à gravitate primi grani, non ex defectu virtutis, ſed quia propter parvitatem materiæ virtus erat impedita ad operandum in quantum poterat.

21 Obijc. 3. Per chriſtallum producitur vltra ipſam maior lux, quam ea, quæ prope ipſam producitur à luminoſo: ergo minor illa lux, quam ſuponamus eſſe, vt quatuor, producit vltra chriſtallũ quatuor gradus, quibus aſsimilat ſibi paſsũ, & deinde producit vnum, aut duos alios gradus, quibus paſſum ſibi ſimile intendit. Confirmatur in ſpeciebus viſualibus, quę per peſpicilia perveniunt ad oculos intenſiores, quam ſunt ante perſpicilia; hoc autem accidere non poneſt, niſi quia ſpecies intenſæ, vt quatuor ante perſpicilia, producunt vltra ipſum intenſionem, vt quatuor, & paſſum per illam intenſionem iam ſimile intendunt per productionem aliorum duorum graduum.

22 Sed in primis argumentum falſo ſupponi vltra chriſtallum produci maiorem lucem quam ante: quia experientia teſtatur clarius, & melius videri cartham poſitam ante chriſtallum verſus luminoſum, quam poſitam poſt chriſtallum. Si inſtes, eam lucem eſſe maiorem; quia comburit chartam ſuppoſitam poſt chriſtallum, & non chartam ante chriſtallum poſitam. Reſpondeo id non provenire à maiori luce, ſed à minori, quæ per chriſtallum traijcitur magis vnita, & ratione maioris vnionis eſt magis activa caloris, chartamque calefacere poſt vſque ad ignefactionem. Deinde, admittendo, quod ea lux eſſet maior, dici poſſet eam non produci à ſola luce ante chriſtallum exiſtente, ſed à luminoſo, quod ratione diſpoſitionis, & conditionis chriſtalli determinatur, vt maiorem lucem producat in diſtans, quam in propinquius iuxta doctrinam ſect. 1. Ad confirmationem dico, vel obiectum determinatum à conditione medij, ſcilicet perſpiciliorum, maiorem intenſionem ſpecierum producere vltra, quam ante perſpicilia; quo vitatur argumentum; vel ſpecies illas non eſſe intenſiores; iuvare tamen, vt melius videatur obiectum, quia per perſpicilia traijciuntur magis vnitæ, quam ſunt ante perſpicilia, & ratione illius vnionis magis immutant potentiam, & iuvant ad viſionem iuxta illud principium, *virtus vnita fortior, &c.*

32 Obijc. 4. Quando duæ manus æque calidæ invicem applicantur, quælibet ſentit maiorem calorem, quam ſi altera non applicaretur: ergo calor vnius intendit calorem alterius, & conſequenter ſimile agit in ſimile.

Reſ-

Reſpondent aliqui, neutram manum recipere maiorem calorem, ab altera; ſed quamlibet ſentire maiorem calorem, quia percipit etiam calorem alterius manus per ſpeciem intentionalem ab eo calore miſſam. Quæ ſolutio confirmatur, ex eo quod manus ingenti rogo applicata citiſsime ſentit magnum calorem, quem in ſe non recipit; nam ſi immediate ſeparetur ab igne, parum, aut nihil ſentit iam caloris: quod accidere non poſſet, ſi magnam intenſionem caloris in ſe reciperet ſiquidem magna intenſio caloris non poſſet tam cito à manu expelli: ſentit ergo manus vehementem calorem ignis per ſpeciem intentionalem illius in manu receptam, & quę ſimul cum manu eiicit caloris perceptionem.

24 Reſpondeo ſecundo, In caſu argumenti quamlibet manum magis percipere calorem antea in ipſa exiſtentem abſque alio novo calore ab alia manu producto videlicet, quia per vtriuſque manus applicationem removetur aër, qui aliquod frigus in manu producebat, & manus in eius frigoris perceptione partim occupata, non adeo experiebatur calorem ſuum, quam eundem percipit dum ſemoto aëre frigido, frigus expellitur. Sic dum in aqua vehementer calida immergimus manum non experimur parvam frigiditatem in aqua remanentem; quia vehemens, calor in manu productus quaſi omnino occupat ſenſum, & impedit experimentalem perceptionem frigoris minoris, quam non impediret, ſi color eſſet in minori intenſione.

25 Obijc. 5. Sit calidum *A* potens producere in prima parte ſpheræ quatuor gradus, tres in ſecunda, duos in tertia, & vnum in quarta. Ponatur deinde è regione calidum *B* eiuſdem virtutis operantis verſus calidum *A* per eaſdem quatuor partes ſpheræ, ita vt *B* producat in prima parte ſibi vicina quatuor gradus, tres in ſecunda, duos in tertia, & vnum in quarta. Iam, in hoc caſu quatuor gradus producti à calido *A* in prima parte, ſibi vicina conſtituunt intenſionem, vt quinque cum vno producto in eadem parte à calido *B*, & rurſus tres producti à calido *A* in ſecunda parte conſtituent intenſionem, vt quinque cum duobus productis in ea parte à calido *B*: ergo ſimile intendit ſimile. Sed hoc argumentum non probat, quod probare debet, nempe calidum *B* agere in calidum *A* ſibi ſimile ad ſummum enim probat, primum gradum caloris productum à *B* iuxta *A* conſtituere vnam intenſionem cum quatuor productis ab *A*, quod facile concedunt, qui gradus ponunt ſimiles, & æquales. Sed certe neque hoc probat: dicimus enim in caſu poſito vtrumque calidum per indiviſibilem concurſum producere quinque

gra-

gradus caloris in omnibus, & ſingulis partibus ſpheræ, quo ceſſat argumentum.

26 Obijc. 6. Agens remiſſum poteſt intendere paſſum intenſius ſe: ergo, & paſſum ſimile. Anteced. probatur multipliciter. 1. Quia radij ſolis traiecti per chriſtallum producunt in ſtupa calorem, vt octo, & eam ignefaciunt, & tamen radij illi in ſe non habent tantum calorem, quãdoquidem neque calefaciunt, vt octo, neque igne faciunt aërem, in quo ſunt. 2. Quia ferrum candens non habet in ſe calorem, vt octo (ſupponamus non habere formam ignis) & tamen calorem vt octo producit in ſtupa, quam accendit, ſi applicetur debite. 3. Quia aër non eſt tàm frigidus, quàm aqua, & intendit frigus aquæ, quando in hieme illam congelat. 4. Fervente aqua lebetis calidiores ſunt partes ſuperiores, quám inferiores, vt communiter fertur: ergo partes profundiores minus calidæ intendunt ſuperiores calidiores. 5. Maior calor eſt in flamma, quam in aqua ferventi; ſed aqua fervens poteſt intendere calorem flammæ: ergo calor remiſſus poteſt intendere calorem intenſum. Minor probatur: manus magis calefit ſi immergatur in aquam ferventem, quàm ſi traijciatur per flammam, vt monſtrat experientia: ſi ergo aqua fervens poteſt producere in manu maiorem calorem, quam flamma, cur non poterit intendere calorem flammæ?

27 Ad argumentum nego antecedens. Ad cuius primam probationem dico, radios lucis non producere in ſtupa calorem, vt octo, neque plus caloris, quam in aëre vicino, licet ſtupa ignefiat, & non aër: ignefit enim ſtupa, quia ratione ſiccitatis, & aliarum diſpoſitionum ad ignem minor calor neceſſarius eſt, vt forma ignis introducatur in ipſa, quam in aëre, aut alio ſubiecto. Similiter dico ad *ſecundam* probationem: ferrum candens non producit in ſtupa maiorem calorem, ſed potius minorem, quam inſe habet; ille tamen calor minor coniunctus in ſtupa cum ſiccitate, & alijs diſpoſitionibus ad ignem, ſufficiens eſt vt in ſtupa introducatur ignis, qui inferro calidiori non introducitur ex defectu earum diſpoſitionum, niſi detur in illo calor, vt octo.

28 Ad tertiam: aër non intendit frigus aquæ; ſed removet calorem ambientis, qui ex parte frigiditatem aquæ minueret, & deinde introducit in aqua ſiccitatem neceſſariam ad congelationem. Ad *quartam* ex dictis diſp. ſupra cit. ex lib. 7. Phyſic. reſpondeo, quod partes aquæ profundiores in lebete plus calefiunt ab igne, quam ſuperiores; ſed partes illæ propter levitatem introductam cum calore ſurſum aſcendunt, & deſcendunt ad fundum lebetis, quæ ſuperiores erant, quia propter maiorem frigiditatem erant

erant graviores. Vnde maior calor, qui in partibus ſuperioribus ſentitur, non producitur à profundioribus minus calidis; ſed ab agente principali. Ad *quintam* nego minorem; & ad probationem dico calorem aquæ ideo plus operari in manu, quia eſt in materia denſa, proindeque magis vnitus: & potentior ad operandum in manu, quam calor flammæ, qui in materia rara eſt, ideòque minus vnitus, minuſque ad operandum poteſt; ſed inde minime deducitur calorem aquæ intendere poſſe calorem intenſiorem flammæ.

§ II.

Soluuntur obiectiones.

29 DAri reflexionem lucis, ſpecierum intentionalium, ſoni, & aliorum, dubitari non poteſt: etenim ſoli illuminans ſpeculum, parietem album, aut aliud ſimile obſiſtens, à quò impeditur lucem ſuam vlterius producere, determinatur, vt retrograda actione operetur verſus ſe. Et ſpecies intentionales receptæ in ſpeculo, & ab eò impeditæ vlterius producere alias, operantur verſus obiectum eas mittens, ipſumque in ſpeculo repræſentant reflexa actione. Idem accidit in ſpeciebus ſoni, ex quarum reflexione cauſatur echo, & in pila, quæ in obſiſtens durum impingens reſilit verſus hominem proijcientem aliquando via recta, aliquando via obliqua iuxta conditionem obſiſtentis, aut motus quo proijcitur. His ſuppoſitis.

30 Obijc. 7. In reflexione lucis, maior lux datur in aère proximo obſiſtenti, & diſtantiore à ſole, quam in aère proximiore ſoli, & diſtantiore ab obſiſtente; ſed ea maior lux producitur à luce recepta in obſiſtente, quæ minor eſt luce aèris proximi: ergo vel remiſsius intendit intenſius ſe, vel ſimile intendit ſimile. Maior eſt certa: quia ſub occaſum ſolis melius legitur epiſtola iuxta parietem, à quo fit reflexio lucis; quam in aère intermedio. Minor quoad primam partem probatur: quia ea maior lux nequit produci à ſole, qui maiorem lucem producit in partibus medij ſibi proximioribus, quam in diſtantioribus: neque poteſt produci à luce medij; quia hæc lux minor eſt ea, quę eſt circa obſiſtens: neque tandem poteſt produci ab obſiſtente ipſo; quia obſiſtens non eſt productiuum lucis: ergo maior illa lux, quæ eſt circa obſiſtens producitur à lucè recepta in obſiſtente. Iam lucem receptam in obſiſtente eſſe minorem luce aèris proximi, quæ erat ſecunda pars minoris, probatur: quia obſiſtens cùm diſtet à ſole magis, quam aèr intermedius, ex neceſſitate recipiet à ſole minorem lucem, quam aèr intermedius ſoli proximior.

Huic

31 Huic argumento, omiſsis aliorum ſolutionibus videndis apud Hurt. Oviedo, Alphonſ.& Spinula, quaſque neque impugnare, neque confirmare vacat, dupliciter reſponderi poteſt. Primo conceſſa maiori, & prima parte minoris, negando ſecundam partem, ſcilicet lucem receptam in obſiſtente eſſe minorem luce aèris proximi. Ad cuius probationem reſpondeo, ſolem determinari à conditione obſiſtentis, vt maiorem lucem in eo producat, & eam lucem impeditam directe operari vltra ſpeculum, abipſo applicari,& determinari, vt convertat actionem ſuam verſus ſolem, & operetur reflexe, intendatque lucem minorem aèris intermedij; quo ceſſat argumentum. Quod vero lux maior recepta in obſiſtente, ne ſine operatione maneat applicetur, & determinetur ad operandum reflexe, probatur, tum à paritate ſpecierum intentionalium impingentium in ſpeculum, quæ dum ab ipſo impediuntur directe operari, producunt alias ſimiles,& repræſentant obiectum per lineam reflexam, tum ab ſpeciebus ſoni, quæ ab obſiſtente determinantur, vt alias reflexe producant, & cauſent echonem.

32 Secundo reſponderi poteſt, admittendo lucem receptam in obſiſtente, propter rationem argumenti, eſſe minorem luce medij proindeque nihil operari reflexe, neque intendere lucem medij; dicendo tamen ſolem impeditum ab obſiſtente ſpeculo vlterius operari, determinari vt actione reflexa operetur in aère vicino, in eoque ſupra lucem iam productam per actionem directam producere alios gradus, quibus ea lux fit intenſior. Atque ita docet Scotus apud Pontium.diſp.54.q.2 & Scotiſtæ omnes, quibus conſentiunt Arriaga diſp.3.& Averſa. q.39.& ratio eſt quia ſi ex dictis ſect. 1. poteſt agens ratione melioris diſpoſitionis paſsi diſtantis plus in eo operari, quam in proximo, poterit etiam ab obſiſtente determinari, vt in parte aèris vicini operetur; ſemel autem determinatum ad operandum, producit in illo ſubiecto gradus illos, qui cum præexiſtentibus conſtituent maiorem intenſionem.

33 Sed hic rogabis 1. Cur per reflexionem à quolibet corpore obſiſtente non producitur æqualis intenſio lucis? Reſpondeo in cauſa eſſe varias diverſaſque diſpoſitiones corporum obſiſtentium. Inter diſpoſitiones autem requiſitas ex parte obſiſtentis ad reflexionem cenſentur corporis diaphanitas, terſitas, albedo, & præſentia, ſeu quod eſt idem, maior, vel minor approximatio ad luminoſum; quia, cæteris conditionibus exiſtentibus, experientia monſtrat ſolem maiorem lucem reflexè producere à corpore ſibi viciniore. Si vero corpus aptum reflexioni im-

impediat omnino ſolem, vt vlterius operetur per lineam rectam, ab eo corpore maior fit reflexio; vt videre eſt in ſpeculo, quod à tergo perfunditur argento vivo; & in pariete albo, à quibus maior lux per reflexionem producitur, quam à vitro chriſtalino non impediente ſolem, quominus per ipſum aliquam lucem vltra producat. Cuius ratio eſt: quia, cum priora corpora impediant ſolem, ne vltra aliquid operetur, in ipſis, & ab ipſis plus operatur, vt exigentiæ ſuæ activitatis ſatisfaciat. Quando vero per vitrum chriſtalinum aliquid vltra producit per lineam rectam cum ſic ex parte eius activitas minuatur, minori actione reflexa eius exigentia contenta eſt.

34 Rogabis 2. Quomodo contingat reflexio ſoni, & mobilis impingentis in obſiſtens? Quod ad reflexionem ſoni attinet, dicendum eſt non cauſari ab agente principali imittente vocem, quia ſæpè dum fit reflexio, agens nihil iam operatur; neque cauſari à voce: quia deficiente voce ſonus reflectit per echonem. Cauſatur ergo hęc reflexio à ſono ipſo recepto in obſiſtente, & ab eo determinato, vt per aliam lineam alium ſonum producat. Advertendum tamen in hac reflexione non dari intenſionem ſoni directi cum reflexo, ſicut datur ex luce directè, & reflexe producta. Et ratio eſt: tum quia ſonus ſucceſsivè valde producitur, & cum ſonus reflexus exiſtit, iam periit directus; tum quia ſonus directus, & reflexus in diverſis ſubiectis ſæpè recipiuntur, quia per lineam directam non ſemper fit reflexio. De reflexione pilæ, & aliorum projectorum impingentium in obſiſtens, dico cauſari ab impulſu à projiciente impreſſo in corporibus; quiquidem impulſus determinatur ab obſiſtente; vt reflexè moveat corpora; duratque eorum motus quouſq; impulſus omninò remittatur. Pro hac re vide, quæ diximus l.4. Phyſ.d.2.ſect. 2.

35 Objic. 8. qualitas poteſt ſe ipſam intendere: ergo & poteſt intendere ſimilem in intenſione. Antecedens probatur quia in tempore hyemis aqua putealis calidior eſt, quam tempore æſtivo per antypariſtaſim, ſeu, quod idem eſt, per circumobſeſſionem contrariorum. Quia videlicet aqua in hyeme circundata agentibus frigidis, maiorem calorem ſuſcipit, ſicut è cõtra tempore æſtivo per obſeſſionem agentis calidi maiorẽ ſuſcipit frigiditatem; ſed in hoc caſu calor remiſſus aquæ producit in hyeme maiorem calorem in ipſa; & frigus remiſſum producit in æſtate maiorem frigiditatem: ergo qualitas caloris, & frigoris ſe ipſam intendit. Minor probatur: quia nulla alia dari poteſt cauſa, à qua calor, & frigius aquæ intendantur, niſi calor ipſe remiſſus, & frigus illius.

36 Nonnulli argumento ſatisfaciunt negando experientiam, cui eius efficacia innititur; dicunt enim cum Galeno lib. 3. ſimplic. cap.7.aquam non eſſe in puteis, & locis ſubterraneis calidiorem in hyeme, & frigidiorem in æſtate; ſed in hieme calidiorem apparere ſenſui: quia ſenſorium tactus eſt frigidum, & in æſtate frigidiorem, quia ſenſorium tactus calidum eſt; ſed certe de experientia teſtantur Ariſt. 1. Meteorot. & D. Thom. ibi lect. 14. & lect. 15. & communiter Philoſophi, & pro ea ſtat ratio convincens, non ſolum ſecundum ſenſus apparentiam, & ſenſuum illuſionem, ſed ſecundum veritatem dari in aqua puteali diverſam temperiem in hieme, & in æſtate.

37 Primo: quia etiam ſi manus in hieme calida ſit, habeatque eandem temperiem, quam in æſtate, calidiorem, & temperatiorem experitur aquam putealem in hieme, quam in æſtate. Secundo: quia in æſtate manus eandem temperiem ſervans frigidiorem ſentit aquam recenter extractam è puteo, aut è loco ſubterraneo, vbi adſervatur, quam aquam non putealem, aut non ſervatam in ſubterraneo loco.

38 Hac ergo expientia admiſſa, pro redenda illius cauſa plures ſunt dicendi modi, quos relatos, & impugnatos reperies apud P. Suar. diſp. 18. cit. ſect. 9. Ovido controv. 5. punct. 3. Alphonſ. diſp. 4. ſect. 6. Nobis pro ſolutione argumenti placet ſententia P. Suar. quam communiter defendunt noſtri, & Thomiſtæ apud Prado q. 25. §. 3.

39 Dicimus ergo intenſiorem calorem aquæ in hyeme non procedere à remiſſo calore ante exiſtente in ipſa, vt intendit argumentum; ſed à corporibus, & exalationibus calidis, quæ excitata à ſole in viſceribus terræ ſurſum feruntur, & impedita à frigiditate hyemis extra terram exire, quia pori terræ præ bruma clauduntur, deſcendunt ad inferiora, & ſubterranea loca, in quibus eſt aqua, & in aqua introducta eam calefaciunt. Æſtivo verò tempore vi caloris apetiuntur pori terræ; ideoque corpora, & exhalationes calidę è terra exeunt, & aqua ab eis expedita recuperat per propriam virtutem frigiditatem producendo in ſe gradus antecedenter expulſos à calore eorum corporum.

40 Inde etiam ſumenda eſt ratio, cur in ſtomacho ſit plus caloris in hyeme quam in æſtate; Videlicet, quia pori corporis in hyeme frigore comprimuntur, ne exeant ſpiritus vitales foventes nativum calorem, & calore æſtatis dilatantur; quo fit, vt ſpiritibus pateat additus, ad eorum defectum calor nativus minuitur. Non abſimilis eſt ratio aliorum, quæ contingunt per antypatiſtaſim.

SEC-

SECTIO III.

Vtrùm agens vnivocum poſsit aſsimilare ſibi perfectè paſſum?

41 AN videlicet agens calidum, vt quatuor, vel vt octo poſsit eandem intenſionem producere in paſſo diſtincto? Et quidem quæſtio eſſe poteſt tàm reſpectu paſsi penetrati, quàm reſpectu non penetrati cum agente; & tàm reſpectu paſsi æqualis, quàm inæqualis agenti in intenſione, denſitate, aut raritate.

42 Si agens miraculosè penetretur cum paſſo non habente contrariam qualitatem, certum mihi eſt poſſe in eo totam ſuam intenſionem producere, illudque perfectè aſsimilare ſibi. Ratio eſt; quia quivis gradus qualitatis agentis poteſt in paſſo producere gradum ſibi ſimilem, ſi non datur impedimentum actionis; ſed in caſu penetrationis agentis cum paſſo non habente contrariam qualitatem nullum datur impedimentum, vt quivis agentis gradus ſimilem gradum producat: quia, neque impedit diſtantia localis, cum potius detur ſumma approximatio; neque impedit reſiſtentia contrarij, quod ſupponimus non dari. Producet ergo quivis gradus qualitatis agẽtis ſimilem gradum in paſſo penetrato, & conſequenter paſſum evadet perfectè ſimile agenti. Ex oppoſita ratione:

43 Certum mihi eſt 2. Agens non producturum totam ſuam intenſionem in paſſo penetrato, & habente contrarium, niſi illi adveniat, aut aliud agens ſimile iuvans, aut alia ex conditionibus iuvantibus ad agendum, de quo infra. Ratio eſt facilis: quia evidens omnino videtur, quod agens omnino invariatum in ſua virtute, & in cõditionibus iuvantibus ad agendum, minus producat in paſſo habente contrarium reſiſtens eius actioni, quàm in nõ habente; ſed ſi paſſum non haberet contrarium, agens cum eo penetratum non plus produceret, quàm totam ſuam intenſionem: ergo ſi paſſum habeat contrariũ, minus producet, ideoque nõ producet totam ſuam intenſionem.

44 Certum mihi eſt 3. Agens nunquam producturum totam ſuam intenſionem in paſſo non penetrato ſivè habente, ſivè non habente contrarium, niſi aliũde ſuppleatur defectus penetrationis. Ratio eſt: quia approximatio localis agentis ad paſſum, eſt conditio ad agendum omnem effectum, qui non ſit præſentia localis, vt probatum eſt lib. 2. Phiſic. diſp. 2. ſect. 3. à n. 63. cõſequenterque, quo magis eſt agens approximatum paſſo magis in eo operatur: ergo non operatur ſummum, quod poteſt, ſi non eſt ſũmè approximatum, ſeu, quod eſt idem, ſi non ſit penetratum cum paſſo, niſi aliunde ſuppleatur defectus penetrationis. Vnde duplex

plex ſuperſt difficultas. Prima: an poſsit aliqua ratione contingere, quod agens vnivocum producat totam ſuam intenſionem in paſſo penetrato habente contrarium? Secunda: an poſsit etiam contingere, quod totam intenſionem producat in paſſo non penetrato?

45 Dico 1. Agens vnivocum propter nimiam denſitatem, & multitudinem ſuarum partium, aut propter multitudinem agentium ſimilium, poteſt producere totam ſuam intenſionem in paſſo penetrato habente contrarium. Ita RR. plures ex noſtris. Probatur. Nam tàm iuvat ad agendum denſitas partium agentis, & multitudo agentium, imò fortè magis, quàm approximatio localis: ergo agens penetratum cum paſſo tot poteſt habere partes, & ita denſas, totque alijs agentibus ſimilibus iuvari poteſt, vt omnino vincat reſiſtentiam paſsi, & in eo producat totam ſuam intenſionem. Explicatur. Demus calidum, vt ſex nimis denſum penetrari cum paſſo habente frigiditatem, & in eo producere quatuor gradus caloris, & à contrario impediri quominus producat quintum, & ſextum gradum; adiungantur deinde eidem calido alia calida eiuſdem virtutis: ſane illa agentia adiuncta, & iuvantia, præſtare poterunt, quod calidum penetratum cum paſſo ab eis adiutum omnino vincat paſsi reſiſtentiam, & producat quintum, & ſextum gradum, quibus paſſum manebit perfectè aſsimilatum agenti in intenſione.

46 Dico 2. Ex eiſdem capitibus denſitatis, & multitudinis partium agentis, & agentium ſimilium iuvantium poteſt agens vnivocum producere totam ſuam intenſionem in paſſo non penetrato. Stant pro hac concluſione. Rubio cap. 9. tract. de action. & react. quæſt. 6. Alphonſ. diſp. 3. ſect. 1. Magiſt. Prado quæſt. 27. §. 2. & RR. Probatur ſic. Quo plura ſunt agentia concurrentia ad eundem effectum, & quo denſius eſt agens, maiorem effectum producit, etiam in paſſo non penetrato, vt conſtat ex ſectione 1. ergo tot agentia eiuſdem virtutis adiungi poſſunt, totque partibus, & adeo denſis conſtare poteſt agens vnivocum, vt tantam intenſionem producat, quantã produceret, ſi eſſet penetratum cum paſſo; ſed ſi eſſet penetratum cum paſſo produceret in illo totam ſuam intenſionem: ergo eandem producere poteſt, etſi penetratum non ſit.

47 Explicatur. Ponamus calidum, vt octo magnæ intenſionis producere in prima parte paſſi contingui ſeptem gradus caloris, & non producere octavum gradum propter defectum omnimodæ approximationis: ergo ſi agens illud penetraretur cum pri-

prima parte paſsi, produceret in eo octavum gradum: ergo ſimiliter, ſi abſque penetratione cum paſſo aquireret magnam ſuarum partium denſitatem, aut ei adiungerentur alia agentia eiuſdem virtutis, produceret eum octavum gradum. Probatur conſequentia: quia tantum, aut plus iuvat magna agentis denſitas, aut agentium multiplicatio ad producendum octavum gradum, quàm iuvaret agentis penetratio cum prima parte paſsi.

48 Objic. 1. licet approximatio iuvet ad agendum, dum agens non eſt ſummè approximatum, ſeu non penetratũ cum paſſo, non producit in illo totam ſuam intenſionem: ergo licet denſitas, & multitudo agentium iuved ad agendum, ſi agens non habeat ſummam denſitatem, aut non ſit ſummè multiplicatum, nõ producet totam ſuam intenſionem; ſed agens numquam erit ſummè denſum, nec ſummè multiplicatum, quia ſuprà quamlibet denſitatem, & multiplicationem, poſsibilis eſt alia, & alia maior in infinitum: ergo ratione denſitatis, multitudinis partium, aut agẽtium nunquam produceret agens totam ſuam intenſionem in paſſo non penetrato. Diſtinguo antecedens: ſi non adiuvetur aliqua denſitate, aut multitudine partium agentium concedo: ſi adiuvetur, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: ſi non adiuvatur aliqua, concedo; ſi aliqua adiuvatur, nego conſequentiam; & permiſſa minore ſubſumpta, diſtinguo conſequens: ſi non adiuvetur aliqua aproximatione, concedo: ſi adiuvetur nego conſequentiam. Eſt dicere: agens non ſummè approximatum, aliqualiter tamen denſum, aut multiplicatum producet in paſſo non penetrato totam ſuam intenſionem quam non produceret, ſi in ea diſtantia non haberet aliquam denſitatem, aut partium agentium multitudinẽ. Similitèr agens non ſummè denſum, neque multiplicatum, approximatum tamen debitè paſſo non penetrato producet in illo totam ſuam intenſionem, quam non produceret, ſi nullam haberet approximationem ad paſſum. Vnde in primo caſu defectus penetrationis ſuppletur per denſitatem, & multitudinem partium; & in ſecundo defectus ſummæ denſitatis, & multitudinis partium ſuppleretur per debitam approximationem.

49 Objic. 2. Si agens vnivocum poſſet ex capitibus enumeratis producere totam ſuã intenſionem in paſſo non penetrato, poſſet eam producere in paſſo infinite extenſo; quod tamen falſum eſt: quià inde ſequeretur, quod agens naturale non haberet determinatam, & limitatam ſphæram ſuæ activitatis contra rationem, & experientiam oppoſitum ſuadentes. Probatur ſequela: agens producens totam ſuam intenſionem in prima parte

paſsi non penetrati, poſſet cum iuvamine eius intenſionis à ſe productæ producere ſimilem intenſionem in ſecunda parte paſſi; & rurſus cum iuvamine eius intenſionis poſſet aliam ſimilem producere in tertia parte paſsi, & ſic in infinitum: ergo poſſet totam ſuam intenſionem producere in paſſo infinite extenſo. Antecedens probatur: agens principale, quod ponamus eſſe calidum, vt octo, in prima parte paſsi produceret octo gradus: ergo coniunctum ex eo agente, & octo gradibus productis in prima parte produceret in ſecunda parte octavum gradum; ſiquidem multitudo agentium iuvat ad agendum, & ea multitudo ſupplere poſſet defectum penetrationis agentis cum ſecunda parte paſsi. Si autem poſſet producere octavum gradum in ſecunda parte paſsi; eadem ratione probabitur poſſe etiam octavum gradum producere in tertia, & reliquis ſine fine.

50 Nego ſequelam, & ad eius probationem nego antecedens; & ad probationem huius conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia neque agens principale ſolum, neque ſolus effectus productus in prima parte paſsi, neque coniunctum ex vtroque producere poſſet octavum gradum in ſecunda parte paſsi. Pro cuius intelligentia, revoca in memoriam doctrinam de inæquali activitate graduum traditā diſp. 2. ſect. 2. iuxta quam doctrinam ſic explicatur ſolutio cum P. Alphonſ. diſp. 3. ſect. 1. Agens ob nimiam denſitatem, & multitudinem partium, ſeu agentium adiunctorum produxit octo gradus in prima parte paſsi, in ſecunda ſeptem, in tertia ſex, & ſic in reliquis vſque ad octavam, in qua ſolum producit primum; quantumvis autem adiuvetur effectu producto in prima parte paſsi ad agendum in ſecunda, minimè poterit in ea producere octavum gradum, neque ſeptimum in tertia, & ſic in reliquis.

51 Ratio eſt: quia ad producendum octavum in ſecunda parte paſsi non concurrit tota virtus agentis principalis, neque tota virtus effectus producti in prima parte, ſed ſolus octavus gradus agentis principalis, & octavus gradus effectus in prima parte paſsi producti, & hæc virtus inſufficiens eſt ad producendum octavum gradum in ſecunda parte: nam primò, inſufficiens eſt ſolus octavus gradus productus in prima parte paſsi: quia ipſe in ſecunda parte non penetrata non poteſt producere alium octavum; deinde inſufficiens eſt ſolus octavus gradus agentis principalis: quia ipſe occupatus eſt in conſervando octavo gradu producto in prima parte paſsi, quem alij gradus inferiores conſervare non poſſunt, & aliunde impeditur ad agendum ratione maioris diſtantiæ, quæ datur inter ipſum, & ſecun-

cundam partem paſsi: tandem inſufficiens eſt coniunctum ex vtroque octavo gradu: nam Ideo ſolum eſſet ſufficiens, quia octavo gradui producto in prima parte paſsi accreſceret ex octavo gradu agentis principalis virtus ſufficiens ad vincendam diſtantiam, & impenetrationē quam habet cum ſecunda parte paſsi: at ex octavo gradu agentis principalis occupato in conſervando alio octavo, & impedito à maiori diſtantia, iuxta dicta, non poteſt accreſcere octavo gradui producto in prima parte paſsi tanta virtus, quæ per exceſſum determinatum ſuperet, & vincat diſtantiam, & impenetrationem, quam habet cum ſecunda parte paſsi. Si autem non vincit per exceſſum determinatum eam diſtantiam non poteſt in ea ſecunda parte producere octavum gradum. Propter eandem rationem, proportione devita applicatam, non poteſt agens producere ſeptimum gradum in tertia parte paſsi, ſextum in quarta, &c.

52 Inde colliges 1. Quodvis agens quantumvis extenſum, multiplicatum, & denſum habere determinatam ſphæram ſuæ activitatis: quia licet accidere poſsit: quod in prima, aut etiam in alijs partibus paſsi applicati producat totam ſuam intenſionem, ſemper perveniemus ad aliquam in qua ratione diſtantię, ad quam vincendam non ſufficit agentis ſolius virtus, non producet niſi ſeptem gradus, & in ea, etiam vt coniunctum cum iuvamine effectus producti in vicinioribus partibus paſsi, non poterit producere octavum propter rationem in num. præced. datam. Si autem in ea producit ſeptem gradus, & non plures, in immediata diſtantiori producet ſex, & in diſtantiori quinque, & ſic decreſcet actio, & tandem perveniendum erit ad partem paſsi in qua producet ſolum primum quin vllum alium producere poſsit in parte ſubſequenti, diſtantiorique ab agente.

53 Inferes 2. Senſum illius proloquij in Scolis ſacri, videlicet, *Agens agit vniformiter difformiter per ſuam ſphæram*. Dicitur agere *difformiter*: quia quo diſtantiores ſunt partes paſsi, eo agens producit in ipſis remiſsionem effectum, niſi paſsi conditio aliud poſtulet iuxta doctrinam ſect. 1. Dicitur etiam agere *vniformiter*: quia in ipſa difformitate reperitur æqualitas, & proportio. Sic enim agens producit in prima parte paſsi octo gradus, in ſecunda producit ſeptem, in tertia ſex. in quarta quinque, & eadem proportione decreſcit actio in reliquis.

54 Eſt hic acris diſputatio inter Ariſtotelicos, vtrum agens agat vniformiter difformiter per partes aliquotas, an per partes proportionales paſſi? Nos qui pro cōpoſitione continui phyſici ſententiam Zenonis,

nis, tanquam expeditiorem ſecuti ſumus in phyſica, non poſſumus implicari arida hac, & impleximiſſima quæſtione. Iuxta ſententiam Zenonis dicendum eſt, actionem in paſſo diviſibili eſſe vniformem difformem per indiviſibilia paſsi; ita vt ſi paſſum plus diſtet ab agente per vnum indiviſibile, actio etiam agentis decreſcet per vnum indiviſibile, ſeu per vnum gradum, & ſi diſtet plus ab agente per duo indiviſibilia ſpatij; decreſcat actio per duo indiviſibilia qualitatis, & ſic deinceps.

DISPVTATIO IV.

De reſiſtentia qualitatum, ſucceſsione, & continuatione alterationis.

QValitas habens contrarium duo munera præſtat in ſubiecto, aliud eſt qualificare ſubiectum per ſui informationem; aliud verò à ſubiecto expellere qualitatem oppoſitam, eiuſque introductionem impedire, in quod ſtat vnam qualitatem alteri reſiſtere, quoad exiſtendum ſimul in eodem ſubiecto; & quia ex hac reſiſtentia provenit, vel omnino, vel magna ex parte, quod agens producat ſuam qualitatem in paſſo extraneo, ſucceſsivè, & non inſtantaneè; agendum eſt in præſenti de reſiſtentia in communi, & ſpeciatim de ea á qua provenit alterationis ſucceſsio. Inde gradum faciemus ad continuationem alterationis, item ad actionem, & reactionem agentium mutuo ſibi reſiſtentium.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit reſiſtentia.

1 REſiſtentia in communi eſt *conatus, quo res tuetur ſe, & ſuum effectum à contrario, huius actionem, vel impediendo omnino, vel retardando.* Hic conatus eſt exigentia, & determinatio cum quavis re identificata, per quam petit innatè conſervare ſe, & ſuum effectum immunem à contrario; exigentia autem, & conatus, quo contrarium petit ipſam, vel eius effectum deſtruere, vel impedire, dicitur oppugnatio. Et quidē certum eſt inter qualitates contrarias dari hanc reſiſtentiā, & ab ipſa, ſaltem magna ex parte provenire ſucceſsionem alterationis quoad inteſionem: nam dum non eſt in paſſo qualitas contraria, agens producit in inſtanti, quod pro lucere poteſt ſuæ qualitatis, vt videre eſt in luce carente contrario, quæ in primo inſtanti producit in paſſo quidquid poteſt pro-

producere ſub tali applicatione, neque in ſecundo inſtanti producit aliquid ſuprà id, quod produxit in primo, niſi vel augeatur eius virtus, vel varietur applicatio.

2 Reſiſtentia alia eſt in actu primo, alia in actu ſecundo. Reſiſtentia in actu primo ex exigentia, & cōnatus impediendi actionem contrarij, præſcindendo ab eo, quod ipſam impediat in re. Reſiſtentia in actu ſecundo eſt ille connatus, vt coniunctus cum impeditione actionis contrarij. Deinde reſiſtentia dividitur cum P. Suar. in met. diſp. 43: ſect. 2. in *activam*, ſeu *poſitivam*, & *formalem*, quàm plures etiam appellant paſsivam. Ad hanc PP. Conimbric. tertiam aliam reſiſtentiā quam vocant *negativam*, quæque ſtat in negatione, & incapacitate ſubiecti ad recipiendam aliquam formam; ſed quia de hac reſiſtentia nihil occurrit dignum diſputatione, eam omnittimus in præſenti.

3. Iam reſiſtentia activa eſt virtus agentis, v.g. calidi, quatenus, per ſuam actionem impedit productionem frigoris in paſſo, quod quidem præſtat, vel producendo in agente frigido aliquos gradus caloris, & expellendo totidem frigoris, per quorum defectum activa virtus frigidi minuitur; vel producendo, & conſervando in ſe, vel in ſubiecto extraneo calorem formaliter impedientem ingreſſum frigoris. Cæterum, vt agens conſervans calorem in paſſo dicatur reſiſtere active frigido neceſſum eſt, quod illum conſervet cum intrinſeca propenſione, & exigentia conſervandi; nam reſiſtentia ſine conatu reperiri non poteſt. Quare quando Deus, vt Author naturæ conſervat calorem in aqua ad defectum agentis calidi, non reſiſtit activè frigido conanti ſuam qualitatem recuperare: quia videlicet, Deus, vt Author naturæ non exigit calorem illum nōn permanere in qua, & frigus non introduci; ſed attentis vtriuſque agentis exigentijs, maiori, & potentiori parat ſuum concurſum. Oppoſitum tamen dicendum eſſet propter oppoſitam rationem, ſi Deus tanquam cauſa ſpecialis produceret, & conſervaret in paſſo calorem.

4 Vlterius, vt benè obſervat P. Oviedo controv. 6. punct. 1. datur etiam reſiſtentia activa quando agens ſua ſola exigentia, independenter ab omni actione in contrarium agens eſt in cauſa, ne hoc producat ſuam qualitatem, aut ne eam producat adeo intenſam, quam alias produceret. Probatur 1. Ponamus exiſtere ſubiectum nudum omni qualitate, & capax vnius tantum gradus caloris, aut frigoris, & applicari ipſi calidum, & frigidum æqualis omnino virtutis, & activitatis. In hoc caſu quodlibet intenderet producere primum gradum ſuæ qualitatis, & exigeret agens contrarium

rium illum non producere; & tamen, quia nullius virtus virtutem alterius ſuperaret, neutrum produceret eum gradum, quem abſque dubio produceret deficiente altero agente: ergo quodlibet agens, omni actione ſecluſa, alteri reſiſtit per ſolam ſuam exigentiam; ſed ea reſiſtentia non eſt formalis: nam hæc iuxta omnes conſiſtit in qualitate, vt informante ſubiectum, circa quod exercetur oppoſitio: ergo eſt reſiſtentia activa: datur ergo reſiſtentia activa per ſolam agentium contrariorum exigentiam.

5 2. Probatur. Applicentur calidum, & frigidum æqualis virtutis paſſo nudo omni qualitate, & capaci intenſionis, vt octo. In hoc caſu, quodvis producet in paſſo quatuor gradus ſuæ qualitatis, & non plures; produceret tamen plures, ſi aliud agens non eſſet applicatum: ergo quodvis ſua exigentia retardat actionem intenſivam alterius; ſed non reſiſtentia formali propter rationem datam in prima probatione: ergo reſiſtentia activa identificata cum ſola agentium exigentia.

6 Dices cum Spinula diſp. 4. ſect. 6. in hoc caſu dari reſiſtentiam formalem; quia ideo calidum non producit in paſſo quintum gradum caloris, quia dantur in paſſo quatuor gradus frigoris formaliter reſiſtentes; & ideo frigidum non producit quintum gradum, quia dantur etiam in paſſo quatuor gradus caloris formaliter reſiſtentes. Sed contra clare: priuſquam Deus pararet concurſum cuilibet agenti ad quatuor gradus, & non plures producendos, aliqua præceſſit ex parte naturæ exigentia, cui debebatur, quod Deus ſic, & non aliter pararet agentibus ſuum concurſum; ſed ante quam Deus pararet ſuum concurſum agentibus nondum erant in ſubiecto quatuor gradus caloris reſiſtentes formaliter quinto frigoris, neque quatuor frigoris reſiſtentes formaliter quinto caloris, vt patet evidenter: ergo quod calidum non producat in dicto caſu quintum gradum caloris, nec frigidum quintum frigoris non poteſt provenire ex reſiſtentia formali quatuor graduum caloris, quatuorque frigoris informantium ſubiectum; ſed vltra reſiſtentiam formalem eorum graduum, ſolum poteſt procedere ex parte naturæ, Deumque determinare, vt ſic, & non aliter paret ſuum concurſum, exigentia ipſorum agentium: ergo ipſorum exigentia fuit in cauſa, ne Deus vltra pararet concurſum pluſquam ad quatuor gradus; conſequenterque datur reſiſtentia activa in ſola agentium exigentia conſiſtens.

7 Hinc reſiſtentia acti-

activa calidi in tota ſua latitudine eſt conatus, quo, aut media ſua actione, aut ſola exigentia obeſt frigido, ne effectum, aut maiorem effectum producat; vel ne media productione frigoris expellat calorem, quem conatur conſervare; ſed advertendum maximopere eſt, non ſolum dari reſiſtentiam activam calidi contra frigidum, quando in re obtinet, quod exigit, ſed etiam quando non obtinet, quia impeditur à contraria virtute frigoris. Ratio eſt manifeſta: quia nunquam datur victoria ex parte vnius ſine reſiſtentia ex parte alterius; ſed quoties calidum impeditur à frigore, ne obtineat, quod exigit, datur victoria ex parte frigidi: ergo datur reſiſtentia ex parte calidi. Confirmatur: maior virtus requiritur ex parte frigidi, vt producat primum gradum frigoris ad præſentiam calidi petentis non produci, quam vt eum producat calido non petente: ergo quia aliqua reſiſtentia datur ex parte calidi; & tamen calidum, vt ſuppono, non obtinet quod petit: ergo non ſolum datur reſiſtentia activa calidi quando obtinet quod exigit; ſed etiam quando non obtinet. Hæc reſiſtentia activa quando vincitur dicitur reſiſtentia inefficax, & ſolum in actu primo; quando verò vincit dicitur reſiſtentia efficax, & in actu ſecundo.

8 Reſiſtentia formalis eſt conatus, & exigentia, per quã qualitas, vt informans ſubiectum intendit conſervari, & oppoſitum non produci; calor enim dum ad præſentiam agentis calidi informat ſubiectum, exigit in eo conſervari, conſequenterque calorem in eodem ſubiecto non produci. Erit efficax, & in actu ſecundo hæc reſiſtentia formalis, ſi obtineat, quod exigit, prævaleatque contra oppoſitam exigentiam agentis frigidi; inefficax verò, & in ſolo actu primo, ſi non obtineat, quod exigit, ſed vincatur à frigido.

9 Sed pro reſiſtentia formali, obſervandum eſt 1. Frigus exiſtens phyſicè in inſtanti *A.* non reſiſtere calori in eo inſtanti, & pro eo inſtanti *A.* ſed reſiſtere in eo inſtanti pro ſequenti. Tum, quia frigus reſiſtere calori in inſtanti *A.* eſt exigere ſuam conſervationem contra exigentiam caloris; ſed frigus non exigit in inſti *A* ſuam conſervationem pro eo inſtanti (quia pro eo inſtanti, in quo ſupponitur exiſtere, neceſſaria eſt eius conſervatio, nã quodvis dum eſt neceſſe eſt eſſe) ſed in inſtanti *A* exigit ſuam conſervationẽ pro inſtanti ſequenti: ergo frigus nõ reſiſtit calori in inſtanti *A* in quo eſt, pro eo inſtanti; ſed in eo reſiſtit pro ſequenti. Tum deinde: quia in inſtanti *A* reſiſtit conatui caloris; ſed calor non conatur expellere frigus à

à ſubiecto in inſtanti, & pro inſtanti, in quo ſupponitur in ſubiecto (nam ea expulſio impoſsibilis eſt vt patet) ſed in inſtanti ſequenti: ergo frigus exiſtens in inſtanti *A*. non reſiſtit in eo inſtanti pro eo inſtanti; ſed in eo proſequenti. Non tamen renuam concedere frigus reſiſtere in eo, & pro eo inſtanti *A* introductioni caloris miraculosè poſsibili: quia licet calor adhuc ſupernaturaliter non poſsit expellere frigus ab eo inſtanti, in quo ſupponitur: poteſt tamen ſupernaturaliter cum eo coniungi in illo inſtanti; ſed contra eius exigentiam: quia quævis entitas reſiſtit coniunctioni, licet miraculoſæ, cum ſuo contrario.

10 Obſervandum eſt 2. Frigus exiſtens in inſtanti *A*, & expulſum in Inſtanti *B*. reſiſtere agenti calido in inſtanti *B*. in quo expellitur. Ita Oviedo ſuprà, & Quiros idem ſupponens diſp. 70. ſect. 1. num. 27. *Primo*: quia victoria, vt dixi ſuprà, non datur ſine reſiſtẽtia; ſed in inſtãti *B*. datur victoria, qua calidum vincit frigus, quod expellit: ergo, & datur reſiſtentia frigoris expulſi. *Secundo*: quia productio caloris in inſtanti *B*. eſt contra exigentiam, qua frigus exiſtens in inſtanti *A*. petebat conſervari in *B*. ergo per productionem caloris in *B*. violatur exigentia frigoris, & conſequenter fit contra eius reſiſtentiam. *Tertio*: in inſtanti *B*. fit violentia frigori exiſtenti in inſtanti *A*. ſed non reſiſtenti formaliter, vt non reſiſtenti, & contranitenti non fit violenta: ergo calor exiſtens in *A*. & expulſus in *B*. reſiſtit in ipſo inſtanti *B*. in quo expellitur. Minor eſt certa, & maior probatur: fieri alicui violentiam in inſtanti *B*. eſt fieri in eo inſtanti contra id, quod exigebat pro tali inſtanti; ſed per productionem caloris in inſtanti *B*. fit contra id, quod frigus petebat pro pro tali inſtanti petebat enim pro eo conſervari, & oppoſitam qualitatem non produci: ergo in inſtanti *B*. fit violentia frigori exiſtent *A*.

11 *Quarto*, & præcipuè probatur idem aſſumptu, ſupponendo calidum, vt octo producere in primo congreſſu duos gradus caloris in frigido. Arguo ſic: duo gradus frigoris expulſi in inſtanti *B*. reſiſtẽt in eo inſtanti agenti calido: ergo frigus exiſtens in inſtanti *A*. & expulſum in inſtanti *B* reſiſtit in inſtanti, in quo expellitur. Antecedens probatur: gradus frigoris expulſi in inſtanti *B*. retardant in eo inſtanti actionem calidi: ergo in eo inſtanti reſiſtunt. Antecens probatur: gradus frigoris expulſos retardare in eo inſtanti actionem calidi, eſt, quod intuitu illorum minus producat calidum in eo inſtanti; quàm alias produceret; ſed res ita ſe habet: nam ſi gradus illi expulſi non præceſſiſſent in inſtanti *A*. cum exigentia ſuæ conſervationes in *B*. Deus pa-

paret concurſum calido, vt producerec tres gradus caloris; & quia illi gradus præceſſerunt, tantum parat concurſum, vt producat duos. Si enim frigidum non præceſsiſſet in ſtanti A. vt octo, ſed ſolum vt ſex, ſine dubio Deus paraſſet concurſum calido vt octo, vt in inſtanti B. producere tres gradus caloris: ergo gradus frigoris expulſi in inſtanti B. retardant in eo inſtanti actionem calidi.

12 Obſervandum eſt 3. Gradus expulſos non reſiſtere phyſicè in inſtanti ſuæ expulſionis: quia reſiſtentia eſt exigentia identificata cum eorum entitate phyſica, quæ in inſtanti expulſionis non exiſtit phyſicè. Addo tamen in eo inſtanti reſiſtere moraliter, quatenus eorum exigentia, & phyſica entitas phyſicè exiſtens in inſtanti antecedenti movet Deum authorem naturæ, vt in hoc inſtanti non paret calido concurſum ad producendum pluſquam duos gradus caloris. Vno verbo: reſiſtunt moraliter in inſtanti expulſionis, quatenus eorum exigentiæ phyſicè præteritæ tribuitur, quod calidum hic, & nunc minus producat in frigido, quàm produceret, ſi illa exigentia non præceſiſſet. Quæ doctrina explicatur exemplis. Peccatum enim heri commiſſum, & phyſicè præteritum hodie, moraliter dicitur perſeverare hodie, & reſiſtere amori amicabili Dei, quia propter eius indignitatem phyſicè præteritam iure omittit hodie Deus amorem amicabilem, quo proſequeretur hominem, ſi non peccaſſet. Sic etiam præceptum heri impoſitum prohibens hodiernam comeſtionem carnium dicitur moraliter exiſtere hodie, & reſiſtere comeſtioni: quia eius exiſtentiæ phyſicæ præteritæ tribuitur, quod hodierna comeſtio carnis ſit peccaminoſa, & legis tranſgreſsio. Dicuntur ergo gradus expulſi in inſtanti B. reſiſtere moraliter, & moraliter exiſtere in ordine ad retardandam actionem contrarij, quia eorum exiſtentiæ, & exigentiæ phyſicè præteritæ tribuitur, quod calidum non tantum producat in hoc inſtanti, quantum produceret, ſi illi gradus non præceſiſſent.

13 Obſervandum eſt 4. Gradus expulſos in inſtanti B. reſiſtere inefficaciter, & vinci quoad aliquid; quoad aliud tamen reſiſtere efficaciter, & vincere. Reſiſtunt inefficaciter, & vincuntur, qua parte ad præſentiam activitatis calidi non obtinent ſuam cōſervationem, quam petebant pro inſtanti B. reſiſtunt efficaciter, & vincunt qua parte ſua exigentia obtinent à Deo, vt calido intendenti tertium etiam gradum caloris producere, non paret concurſum ad eum gradum producendum, ſed præciſè ad producendum primum, & ſecundum. Hæc ſi præ oculis habeantur facile ſolvuntur omnia, quæ contra P. Oviedo obji-

objicit P. Alphonſ. diſp. 4. à num. 20. de quibus ſect. 2.

14 Obſervandum eſt 5. Non quemlibet gradum frigoris reſiſtere formaliter cuilibet gradui caloris; ſed primum reſiſtere formaliter octavo, ſecundum ſeptimo, tertium ſexto quartum quinto, & ſic deinceps; nam gradus frigoris reſiſtunt gradibus caloris eo ordine, quo cum ipſis opponuntur; ſed opponuntur cum ordine expoſito, vt conſtat ex tota diſp. 2. ergo cum eodem ordine reſiſtunt. Cæterum iuxta doctrinam eius diſputationis, gradus ſuperiores frigoris (idem eſt de gradibus aliarum qualitatum) reſiſtunt formaliter etiam pro inferioribus: ſed non è converſo. Ratio eſt: quia gradus ſuperiores non ſolum exigunt ſuam, ſed inferiorum etiam conſervationem, nimirum quia ſine inferioribus conſervari non poſſunt; ſed ea exigentia eſt reſiſtentia formalis: ergo gradus ſuperiores frigoris reſiſtunt formaliter pro inferioribus. Oppoſita ratio eſt pro inferioribus: quia cum conſervari poſsint, & de facto conſerventur ſine ſuperioribus, dum exigunt ſuam conſervationem, non ideò exigunt conſequenter conſervationem ſuperiorum.

(§)

SECTIO II.

Vnde proveniat ſucceſsio alterationis quoad intenſionem.

HOc eſt: an proveniat à ſola reſiſtentia qualitatis contrariæ, an ex alijs capitibus, quod qualitas non producatur ſecundum omnes ſuos gradus inſtantanee, ſed ſucceſsivè in eadem parte ſubiecti? Inde etiam facile conſtabit vnde proveniat, quod alteratio fiat etiam ſucceſsivè in diverſis partibus extenſionis ſubiecti.

§. I.

Ratio habitandi, & aliorum ſententiæ.

15 CVm certiſsimum ſit, & experientia notum intenſionem qualitatis non fieri totam ſimul, & in inſtanti, ſed ſucceſsivè in ſubiecto habente qualitatem contrariam, huius ſucceſsionis difficile aſsignatur ratio; videtur enim nullum eſſe caput ad quod poſsit reduci, quod agens producat in ſecundo inſtanti, quod non poſsit producere in primo. Ratio dubitandi ſic ſe habet. Applicetur aquæ, aut alij paſſo frigido, vt octo, ignis, aut aliud calidum, vt octo: tunc enim in primo inſtanti actionis, & congreſſus contrariorum ita comparatur activitas calidi cum re-

reſiſtentia frigidi, vt neque producere poſsit pluſquam duos gradus caloris, neque expellere pluſquam duos gradus frigoris; ſed in ſecundo inſtanti, neque augetur virtus calidi, neque minuitur reſiſtentia frigidi; quia, vt ponimus, nullum agens extrinſecum adiuvans, aut minuens virtutem, vlli eorum adiungitur: ergo in ſecundo inſtanti non poteſt producere calidum, quod non produxit in primo; at contrariũ conſtat experientia: quænam ergo erit experientiæ ratio?

16. Reſpondent 1. RR. ſatis igenioſi, huius experientiæ nullam eſſe quęrendam rationem, ſed totam ſucceſsionem alterationis reducendam eſſe ad naturam agentium experientia comprobatam; ſed ce te hoc eſt cedere difficultati; aliundeque non eſt Philoſophi ad occultam naturam agẽtium recurrere, quando de experientia poteſt aſsignari congrua ratio, licet non evidens; ſed hic congrua ratio poteſt dari de experientia, vt conſtabit infra, & nõ inficiãtur RR. prędicti, qui expedite ſolvunt omnia, quę contra eam objiciuntur: ergo ſolutio iſta ſuſtinenda non eſt. Argumentum autem deſumptum ex continuatione alterationis cui hi AA. nituntur ſolvetur infra.

17 2. Reſpondent alij apud Oviedo ſuprà punct. 4. Ideo calidum poſſe producere in ſecundo inſtanti tertium gradum caloris, quem nõ produxit in primo; quia duo gradus caloris producti in primo inſtanti augent in ſecundo virtutem, & activitatem agentis calidi, & ratione illius augmenti habet agens aliquem exceſſum reſpectũ reſiſtentiæ paſsi, quem non habuit in primo inſtanti.

18 Sed contra eſt 1. Quia hęc ſolutio admittit ſimile poſſe agere in ſimile, & agens remiſſius in paſſum intenſius ſe, quod vtrumque probabimus impoſsibile diſp. 3. ſect. 2. Contra 2. Quia ſi duo gradus caloris producti in frigido poſſunt agere in calidum à quo procedunt? Ergo agent in illo in primo inſtãti in quo producuntur; agens enim neceſſarium in ipſo ſuæ productionis inſtanti operatur, vt patet in luce. Tunc ſic: ſed per te calidum ratione illius augmenti virtutis acceptæ à calore producto poteſt in ſecundo inſtanti agere aliquid in frigidum: ergo id ipſum aget in primo inſtanti, & conſequenter intenſio non fiet ſucceſsive, ſed inſtantaneè contra ſuppoſitionem. 3. Iuxta noſtra principia ſpecialis eſt difficultas contra hanc ſolutionem. Nam gradus in primo inſtãti producti à calido in frigido ſunt primus, & ſecundus; ſed hi nõ poſſunt intendere calidũ à quo proceſſerunt; hoc ſiquidem intendẽdum eſt in hoc caſu per ſeptimũ, aut octavum gradum, qui in virtute primi, & ſecundi non continẽtur: ergo calidum nihil poteſt agere in ſecundo inſtãti ratione virtutis acceptę à calore à ſe producto.

Reſ-

19 3. Reſpondet P. Alphonſ. diſp. 4. ſect. 3. à num. 35. Ideo calidum poſſe producere in ſecundo inſtanti tertium gradum caloris, quem non produxit in primo, quia in primo inſtanti tota virtus occupata fuit in duobus producendis ad præſentiam contrarij; in ſecundo autem inſtanti non occupatur calidum in conſervandis duobus gradibus à ſe productis, ſed à Deo petit eorum conſervationem, vt ſic poſſit ipſum protendere actionem ſuam. Inde autem fit, quod calidum expeditum ab eorum graduum conſervatione poſsit producere in ſecundo inſtanti tertium gradum, quem producere non potuit in primo, dum tota illius virtus occupata erat in producendis primo, & ſecundo.

20 Contra hanc ſolutionem inſurgunt RR. aliqui. *Primo*: quia ex ea fieret calidum, vt quatuor poſſe producere in paſſo non penetrato totam ſuam intenſionem; poſſet enim in primo inſtanti producere tres gradus, & in ſecundo inſtanti quartum gradum: quia virtus illa productiva trium non occupata in illis conſervandis rectè poteri: in ſecundo inſtanti producere quartum. *Secundo*: quia ex ea fieret agens non agere vniformiter difformiter per partes extenſionis ſuæ ſphæræ, ſed æqualem intenſionem producturum in omnibus. Nam ſi agens producens in prima parte ſphæræ quatuor gradus non occupatur in eis conſervandis, producere poterit alios quatuor in ſecunda parte; præſertim cum ad vincendam maiorem diſtantiam, quam habet à ſecunda parte paſsi adiuvetur à quatuor gradibus productis in prima parte paſsi.

21 Sed hæc adeo ſunt nullius momenti in principijs P. Alphonſ. vt valde mirer RR. non vidiſſe eorum inefficaciam. Etenim in eis principijs reſpondetur ad *primum*, calidum, vt quatuor, licèt non occupatum in conſervandis tribus productis in primo inſtanti, non poſſe in ſecundo inſtanti producere quartum gradum: quia ad producendum quartum graduum non concurrunt omnes grabus agentis, ſed ſolus quartus; hic autem, niſi aliunde adiuvetur, non poteſt in omnium ſententia producere alium quartum gradum in paſſo non penetrato. Ad *ſecundum* reſpondetur, falsò ſupponere arguentes agens producens quatuor gradus in prima parte paſsi non conſervare eam intenſionem, dum tranſit ad agendum in ſecunda parte paſsi: nam expreſſe docet P. Alphonſ. à num. 38. agens conſervare intenſionem à ſe productam in prima parte paſsi, dum tranſit ad producendam ſuam qualitatem in ſecunda parte. Deinde reſpondeo; licet agens non conſervaret intenſionem productam in prima parte paſsi, non poſſet producere æqualem intenſionem in ſecun-

cum la parte: quia quartus gradus productus in prima parte paſsi adhuc vt coniunctus cum iuvamine agentis principalis non excederet per exceſſum determinatum diſtantiam, quam habet à ſecunda parte paſsi, prout cum P. Alphonſ. explicuimus diſp. 3. ſect. 3. His ergo ſolutis.

22 Vrgentius contra eandem ſolutionem argumentor 1. Quia conſervatio effectus creati tribuenda eſt cauſæ producenti, ſi præſens ſit, & proportionata ad conſervationem; tum quia vt ait D. Thom. 1. p. quæſt. 104. art. 2. quævis res conſervatur per id à quo habet eſſe; tum quia alienum eſt à Phyloſopho, imo ridiculum, vt ait idem D. Thom. opuſculo de motu cordis, recurrere ad cauſam primam quando adeſt cauſa ſecunda proportionata; ſed ad præſentiam duplicis gradus producti in frigido datur cauſa producens præſens, & proportionata pro eorum conſervatione: ergo ipſi, & non Deo tribuenda eſt ea conſervatio. Minor probatur: quia ad præſentiam duplicis illius gradus dantur primus, & ſecundus gradus agentis principalis, qui, & ad aliorum productionem concurrerunt, & ſunt virtus proportionata ad eorum conſervationē.

23 Dices, eos duos gradus non eſſe virtutem proportionatam, vt ſe ſolis conſervent alios duos in paſſo extraneo, ſicut non ſunt virtus proportionata, vt alios duos primos producant; ſed contra: non eſt neceſſaria, vt concedis ea ſect. 3. n. 46. tanta virtus ad conſervandos duos gradus etiam ad præſentiam contrarij, quanta ad eos producendos: nam ad eos producendos neceſſarium eſt vincere activitatem, & reſiſtentiam contrarij, & ad eos conſervandus ſufficit á contrario non ſuperari. Quod adhuc iuxta te n. 39. habet maiorem vim, quando agens progreditur vlterius ſua actione, quia vlteriori actione protegit priorem effectum, qui expelli non poteſt à ſubiecto, niſi impediatur actio, per quam agēs priorem effectum intendit: ergo primus, & ſecundus gradus agentis omnino expediti à productione tertij, quem non continent in ſua virtute, erunt virtus proportionata ad conſervandos duos gradus productos in frigido: ergo abſque vllo recurſu ad Deum eos conſervabunt, & ſimul agens principale per virtutem reſiduam producet tertium gradum in ſecundo inſtanti.

24 Argumentor 2. Duo gradus agentis, ſcilicet primus, & ſecundus non poſſunt, perte, concurrere cum reliquis ad productionem tertij in ſecundo inſtanti: ergo quando eos expedis à cōſervatione duorum productorum in frigido eos relinquis omninò otioſos; cum tamen quævis cauſa creata activa, non libera, neceſſario, vel operetur, vel conſervet effectum à ſe productum. Dices, pri-

primum, & ſecundum gradum agentis non conſervare primum, & ſecundum productum in paſſo extraneo, quia ipſi ſoli non ſunt ſufficientes ad conſervandum; ſed contra: gratis admiſſo, quod ſe ſolis non ſufficiant conſervare: ſaltem negari non poteſt, partialiter poſſe concurrere ad conſervandos eos gradus à ſe productos: cur ergo ſaltem non dicis, duos gradus productos cõſervari indiviſibiliter à Deo, & duobus gradibus agentis? Certè hoc magis philoſophicum eſſet: quia ſic non maneret prorſus otioſa virtus potens ſaltem inadęquatè conſervare effectum à ſe productum.

25 Argumentor 3. Eſto primus, & ſecundus gradus agentis non ſufficiant ſe ſolis conſervare primum, & ſecundum productos in frigido, ſed ad eam conſervationem iuventur à ſuperioribus, adhuc manet virtus in calido ad producendum tertium gradum in ſecundo inſtanti: ergo vt calidum producat tertium gradum in ſecundo inſtanti non eſt recurrendum ad Deum, vt conſervet gradus productos in primo inſtanti. Antecedens probatur: ad producendum tertium gradum concurrere debent tertius, quartus, quintus, & ſextus agentis principalis (omitto ſeptimum, qui per reactionem perdetur in ſecundo inſtanti, demus hoc, & octavum per reactionem amiſſum in primo inſtanti) ſed ei virtus ſufficiens eſt ad conſervandum indiviſibiliter cum primo, & ſecundo duos gradus productos in frigido, & ad vlterius producendum tertium gradum: ergo eſto primus, & ſecundus gradus agentis non conſervent ſoli duos gradus productos in frigido, adhuc manet virtus ad producendum tertium gradum in ſecundo inſtanti. Maior eſt certa, & minor probatur: ex parte frigidi ſolum reſiſtit productioni tertij gradus caloris ſextus frigiditatis quia reliqui inferiores non reſiſtunt pro ſuperioribus, vt obſervavimus ſect. 2. ſed virtus tertij, quarti, quinti, & ſexti, caloris, etiam ſi indiviſibiliter cum primo, & ſecundo conſervet duos productos in frigido, excedit reſiſtentiam paſſi: quia in conſervandis ſimul cum primo, & ſecundo duobus productis ad ſummum impendetur virtus vnius gradus, & manebit expedita virtus trium graduum contra reſiſtentiam ſolius ſexti: ergo virtus eorum graduum ſufficiens eſt ad conſervandum indiviſibiliter cum primo, & ſecundo duos productos in frigido, & ad vlterius producendum tertium gradum.

26 Dices non ſufficere: quia quando frigus conſervatur à ſua cauſa, nempè aqua, non ſolum reſiſtit productioni tertij caloris ſextus gra-

gradus frigoris, ſed etiam virtus aqua, quæ antea occupabatur in conſervandis ſeptimo, & octavo gradibus expulſis, & expedita ab eorum conſervatione revocatur nunc tota ad conſervandum ſextum, & ad reſiſtendum pro illo; ſed contra pone etiam calorem operantem exiſtere in igne, qui ſimul cum calore producit calorem extra ſe, vt probatum eſt lib. 1. Phyſicor. diſput. 6. ſect. 1. & tunc manebit maior virtus in calido ad producendum tertium gradum, quam in frigido ad reſiſtendum pro ſexto. Nam ſicut ex parte aquæ expeditur ad conſervandum ſextum gradum frigoris virtus aquæ antea occupata in conſervandis ſeptimo, & octavo; ita ex parte ignis expeditur ad producendum tertium caloris virtus ignis antea occupata in conſervando octavo expulſo in primo congreſſu per reactionem frigidi; ſed virtus eorum graduum caloris, quos ſuprà memoravimus coniuncta cum virtute expedita ignis, maior eſt, quam reſiſtentia ſexti frigoris coniuncta cum virtute expedita aquæ, vt conſideranti patebit; præſertim cum ignis activitas maior ſit activitate aquæ: ergo virtus graduum caloris, qui concurrere debent ſimul cum igne ad producendum tertium gradum, etiam poſtquam indiviſibiliter cum primo, & ſecundo conſervet duos productos in frigido, manet cum exceſſu ſufficienti ad producendum tertium gradum, & vincendam reſiſtentiam, quæ datur ex parte aquæ pro conſervatione ſexti.

§. II.

Proponitur, & probatur vera ſententia.

17 EA eſt, quàm primus docuit P. Oviedo controv. 6. cit. punct. 4. quamque poſt ipſum ſecuti ſunt ferè omnes noſtri RR. qui de hac re agunt; eamque ex parte apportabat Magiſt. Prado q. 28. §. 3. licet tandem ab ea diſcedat propter fundamentam plene ſoluta ab Oviedo. Igitur vera ſentia eſt, ſucceſsionem alterationis per ſe loquendo provenire à reſiſtentia formali qualitatis contrariæ: quia ſola reſiſtentia, formalis ſufficit ad inducendam ſucceſionem, & reſiſtentia activa ad id non ſufficit, niſi coniungatur cum formali. Pro maiori tamen doctrinæ claritate.

18 Dico 1. Succeſsio alterationis non provenit, neque provenire poteſt à ſola reſiſtentia activa. Probatur: quia non poteſt pro-

venire à ſola reſiſtentia activa, media qua frigidum reagendo in calidum imminuit vires illius: quia licet ea actio, & reſiſtentia frigidi ſit in cauſa, ne calidum producat in primo inſtanti quantum produceret deficiente ea reſiſtentia; tamen non poteſt eſſe in cauſa (niſi ad aliud caput recurratur) ne gradus caloris remanentes in calido producant in eo primo inſtanti quidquid continent in ſua virtute: ergo ſola illa reſiſtentia non poteſt cauſare ſucceſſionem alterationis. Explicatur: virtus qua calidum operari debet in ſecundo inſtanti eſt virtus remanens in ipſo poſt reactionem frigidi; ſed virtus ita comparatur cum frigido in primo inſtanti, vt non poſſit producere tertium gradum: ergo ita etiam comparabitur cum frigido in ſecundo inſtanti, vt non poſſit tertium gradum producere, niſi fiat recurſus ad aliud caput.

29 Deinde non poteſt provenire ſucceſſio à ſola reſiſtentia activa ſtante in exigentia, qua frigidum conatur impedire calidum, ne producat ſuam qualitatem in paſſo nudo omni qualitate. Applicentur calidum, & frigidum æqualis virtutis, quodvis in primo inſtanti producet quatuor gradus (ſupponamus hoc) & non plures ob octavam reſiſtentiam alterius, vt dicebamus ſect. 1. num. 4. ſed ſi in ſecundo inſtanti agentia perſeverant omnino invariata nihil vltra producent, attenta præciſſe activa eorum reſiſtentia: ergo hæc ſola non ſufficit ad ſucceſſionem alterationis.

30 Tandem, neque poteſt provenire ſucceſſio à reſiſtentia activa, qua aqua v. g. conſervans ſuam frigiditatem exigit ne calidum producat in illa calorem. Quia ea exigentia identificata cum aqua ſemper eſt eadem, nec maior in vno inſtanti, quam in alio: ergo ſi calidum non potuit ad præſentiam illius reſiſtentiæ producere in primo inſtanti tertium gradum caloris in aqua neque poterit ipſum producere in ſecundo inſtanti.

31 Dico 2. Reſiſtentia activa neceſſaria non eſt, vt alteratio fiat ſucceſsivè. Probatur: quia quando Deus ob defectum cauſæ creatæ conſervat, vt Author naturæ frigiditatem in paſſo, non datur vlla reſiſtentia activa ex parte Dei conſervantis, vt dictum eſt ſect. 1. num. 3. ſed ſola datur reſiſtentia formalis ipſius frigiditatis: at etiam in eo caſu intenſio caloris producitur ſucceſsivè, vt conſtat experientia: ergo ad ſucceſsionem alterationis non eſt neceſſaria reſiſtentia activa.

Di-

32 Dico 3. Reſiſtentia activa coniuncta cum formali multum iuvat ad ſucceſsionem alterationis. Probatur: quia quando frigus conſervatur ab aqua activè reſiſtente calido, minor calor producitur in ſingulis inſtantibus actionis, magiſque ſucceſsivè, & paulatim producitur, quam ſi frigus in paſſo extraneo conſervaretur à Deo non reſiſtente activè; id enim experientia notum eſt: ergo quia reſiſtentia activa coniuncta cum formali conducit ad ſucceſsionem alterationis.

33 Dico 4. Sola reſiſtentia formalis independenter ab activa ſufficit ad ſucceſsionem alterationis. Probatur ex dictis: quando frigus conſervatur à Deo, vt Authore naturali in paſſo extraneo non datur reſiſtentia activa, ſed ſola reſiſtentia formalis frigoris informantis ſubiectum, & tamen in eo paſſo ſucceſsivè producitur calor, ſucceſsivèque expellitur frigus: ergo ſola reſiſtentia formalis independenter ab activa ſufficit ad ſucceſsionem alterationis. Ex his ducitur concluſio principaliter intenta.

34 Dico 5. Succeſsio alterationis quoad intenſionem provenit per ſe à ſucceſsiva diminutione reſiſtentiæ formalis. Eſt dicere, ideo calidum producit in frigido in ſecundo inſtāti gradum, quem in primo inſtanti non producit, quia in ſecundo inſtanti eſt minor reſiſtentia formalis frigidi, quam in primo. Probatur: ideo calidum non produxit in primo inſtanti tertium gradum caloris in frigido, ſed præciſe primum, & ſecundum (ſupponamus id ita accidiſſe in primo congreſſu) quia impediebatur à reſiſtentia formali frigidi; ſed in ſecundo inſtanti eſt minor reſiſtentia formalis frigidi: ergo in ſecundo inſtanti poterit producere tertium gradum, & conſequenter ſucceſsiva productio caloris proveniet à ſucceſsiva diminutione reſiſtentiæ formalis. Minor, in qua eſt difficultas probatur: in primo inſtanti non ſolum reſiſtebat formaliter introductioni tertij gradus caloris ſextus gradus frigoris, ſed etiam ſeptimus, & octavus expulſi in eo inſtanti, in ſecundo autem inſtanti ſolum reſiſtit ſextus gradus ergo in ſecundo inſtanti eſt minor reſiſtentia formalis frigidi.

35 Antecedens probatur ex obſervatis ſect. 1. Nam id reſiſtit formaliter in primo inſtanti introductioni tertij gradus caloris, quod exigit ſextum gradum frigoris conſervari in eo inſtanti; ſed in primo inſtanti non ſolum exigit conſervationem ſexti gradus ipſe ſextus, ſed etiam ſeptimus, & octavus, quia gradus ſuperiores exigunt conſervationem inferiorum; & in ſecundo inſtanti ſolus ſextus exigit ſuam conſervationem, quia in-

inferiores non exigunt conſervationem ſuperiorum: ergo in primo inſtanti non ſolum reſiſtebat formaliter introductioni tertij gradus caloris ſextus gradus frigoris, ſed etiam ſeptimus, & octavus expulſi in eo inſtanti.

36 Confirmatur 1. Id reſiſtit formaliter in primo inſtanti pro conſervatione ſexti gradus frigoris, quod in inſtanti antecedenti exigebat illius conſervationem pro primo inſtanti: ſed in inſtanti antecedenti non ſolum ſextus, ſed etiam ſeptimus, & octavus exigebant conſervationem ſexti pro primo inſtanti: ſiquidem exigebant ſuam conſervationem pro eo inſtanti, & eadem exigentia, qua tendunt in propriam conſervationem, feruntur etiam in conſervationem ſexti, ſine quo conſervari non poſſunt: ergo in primo inſtanti non ſolum reſiſtit formaliter pro conſervatione ſexti gradus ipſe ſextus, ſed etiam reſiſtunt formaliter ſeptimus, & octavus. Confirmatur 2. Si in inſtanti antecedenti ad inſtans primum actionis calidi non præceſſiſſent in frigido ſeptimus, & octavus gradus exigentes conſervationem ſuam, & ſexti gradus, calidum produxiſſet tertium gradum caloris, per quem expulſus eſſet ſextus frigoris, vt dicebamus num. 11. ergo ideo non producitur in primo inſtanti tertius gradus caloris, neque expellitur ſextus frigoris; quia ſeptimus, & octavus præceſſerunt in inſtanti immediato exigendo illius conſervationem; ſed hoc eſt ſeptimum, & octavum gradum reſiſtere formaliter in primo inſtanti pro conſervatione ſexti: ergo in eo primo inſtanti reſiſtunt formaliter pro ſexto gradu frigoris ipſe ſextus, & vlterius ſeptimus, & octavus.

37 Dices: ſeptimus, & octavus gradus frigoris expulſi, & non exiſtentes in primo inſtanti reſiſtunt in eo inſtanti pro conſervatione ſexti gradus: ergo etiam reſiſtent in ſecundo inſtanti licet in eo non exiſtant. Nego conſequentiam, quia eatenus ſeptimus, & octavus gradus frigoris reſiſtebant in primo inſtanti pro ſexto gradu frigoris, quatenus vt exiſtentes in inſtanti immediate antecedenti exigebant ſuam, & ſexti gradus conſervationem; cùm autem in inſtanti immediatè antecedenti ad ſecundum iam non exiſtant, non exigunt ſexti conſervationem pro inſtanti immediato, ſcilicet pro ſecundo; ideoque in eo inſtanti non reſiſtunt quia reſiſtentia in eo inſtanti fundari debebat in ipſorum phyſica exiſtentia in primo inſtanti.

38 Sed replicabis. Ideo ſeptimus, & octavus gradus frigiditatis reſiſtunt in primo inſtanti, quia præceſſerunt in inſtanti antecedenti exigen-

tia ſuę conſervationis pro primo inſtanti; ſed etiam præceſſerunt cum exigentia ſuæ conſervationis pro ſecundo iſtanti: ergo etiam reſiſtunt pro ſecundo inſtanti. Minor probatur: nam quævis res ſemel exiſtens exigit, quod ſibi bonum eſt; cum autem non ſolum ſit bonum rei conſervari in inſtanti immediato, ſed etiam in reliquis, non ſolum exigit conſervari in inſtanti immediate præcedenti ad inſtans in quo exiſtit, ſed etiam in reliquis.

39 Pro ſolutione noto, rem quamvis dum exiſtit aliter exigere ſuam conſervationem pro inſtanti immediato, & aliter pro mediato, & reliquis ſuccedentibus. Exigit quidem exigentia abſoluta conſervationem ſuam pro inſtanti immediato: tum quia nihil eſt quo impediatur ab huiuſmodi exigentia tum quia communi omnium conſenſu conſtat rem abſolute petere ſuam conſervationem, & contra innatam eius exigentiam deſtrui à rebus (ſermo eſt de rebus natura ſua permanentibus, & capacibus plus, minuſve durandi) ſi autem abſolute ſuam conſervationem petit, pro nullo inſtanti aptius eam petet quam pro inſtanti immediato ad illud, in quo exiſtit. Pro reliquis verò inſtantibus ſuccedentibus ad immediatum exiſtentiæ rei, hæc non exigit exigentia abſoluta ſuam conſervationem; ſed exigentia quadam implicite conditionata ex parte obiecti termini petiti; hoc eſt, exigit abſolute ex parte ſui durare in inſtantibus mediatis, ſub conditione tamen, quod duret in immediato. Ratio eſt: quia durationem, & conſervationem in inſtanti mediato ſolum poteſt innate exigere ſub ea ratione, quę iuxta naturam rerum poteſt illam conſequi, & obtinere, prout in ſimili diximus lib. 1. Phyſic. diſp. 2. ſect. 4. §. 2. agentes de appetitu innatu materiæ primæ; non autem poteſt iuxta naturas rerum conſequi, & obtinere conſervationem, & durationem in inſtanti mediato, niſi ſub conditione, quod exiſtat in immediato; nam ſi non exiſtat in inſtanti immediato ad inſtans, in quo ſupponitur exiſtens, ſolum poteſt exiſtere in mediato per reproductionem ſui: reproductio autem non eſt poſsibilis iuxta naturas rerum, vt ſuppono cum communi ſentent. de qua tract. 2.

40 Inde ad inſtantiam reſpondeo, ſeptimum, & octavum gradum exigere abſolutè ſuam conſervationem pro primo inſtanti actionis, quod eſt immediatum ad inſtans ſuæ exigentiæ; pro ſecundo autem, & reliquis mediatis ſolum exigere ſuam cõſervationẽ ſub cõditione, quod exiſtant in immediato.

Cum autem hæc conditio non purificetur, ſed potius in inſtanti immediato expellantur, exigentia, qua petebant conſervari pro ſecundo inſtanti nunquam facta eſt abſoluta, ſed manſit conditionata. Inde etiam fit, ſeptimum, & octavum gradum reſiſtere in primo inſtanti, & non in ſecundo: quia reſiſtentia conſiſtit in ea exigentia, qua retardat actionem contrarij, & ad quam Deus, vt Author naturæ tenetur attendere, vt contrario paret concurſum ad plus, minuſve producendum: & neque exigentia pure conditionata habet vim ad retardandam actionem contrarij, neque ad eam Deus tenetur attendere, vt contrario paret concurſum; benè tamen exigentia abſoluta: quia agenti naturali abſolutè petenti, debet Deus annuere; agenti vero petenti ſub aliqua conditione annuere non debet, ſi conditio non purificatur: ergo ſeptimus, & octavus gradus frigoris quia abſolutè petunt ſuam conſervationem pro primo inſtanti, in eo reſiſtunt, & non reſiſtunt in ſecundo, quia exigentia, qua petebant pro eo conſervari ex defectu purificationis conditionis, non fit abſoluta.

41 Dico 6. Succeſsio alterationis quoad extenſionem in diverſis partibus paſsi provenit etiam à reſiſtentia formali, & ab eius ſucceſsiva diminutione. Probatur ſic: poſtquam agens produxit ſuam intenſionem in prima parte ſphæræ, ſi in ſecunda ſit qualitas contraria formaliter reſiſtens, ſucceſsivè producit in ea ſuam qualitatem: idemque contingit in tertia, & in reliquis partibus ſphæræ agentis. Si vero in ſecunda parte non ſit qualitas contraria formaliter reſiſtens, in inſtanti producit agens, quod in illa poteſt producere: ergo ſicut á reſiſtentia formali qualitatis contrariæ provenit, quod in ſecunda parte ſphæræ non producat agens in inſtanti totam ſuam qualitatem; à ſucceſsiva diminutione reſiſtentiæ formalis proveniet, quod producat in ſecundo inſtanti, quod non produxit in primo.

42 Duo tamen advertere oportet. *Primum*, reſiſtentiam formalem partium paſſi proximarum agenti conducere poſſe ad ſucceſsivam actionem in partibus remotioribus paſsi. Nam quo pauciores gradus ſuæ qualitatis producit agens in partibus proximis paſsi propter earum formalem reſiſtentiam, pauciores gradus producit in partibus remotioribus; & quo plures gradus producit in partibus proximis propter minorem reſiſtentiam formalem, eo extendit ſuam actionem ad novas partes extenſionis paſsi. *Secundum*, non ſemper ita accidere ſucceſſionem, ſivè quoad extenſionem, ſivè quoad intenſionem, vt in ſingulis inſtantibus non pro-

producat agens pluſquam vnum gradum ſuæ qualitatis. Nam poteſt accidere, & accidit ſæpè, quod agens multum excedat reſiſtentiam paſsi, & in tali caſu in primo inſtanti actionis reliquos gradus ſimul producet.

§. III.

Soluuntur obiectiones.

43 Militãtes pręcipuæ contra quintam concluſionem. Objic. 1. In primo inſtanti actionis calidi in frigidum, non reſiſtunt formaliter pro conſervatione ſexti gradus frigoris ſeptimus, & octavus gradus expulſi in eo inſtanti, ſed ſolus ſextus gradus; ſed in ſecundo inſtanti datur etiam reſiſtentia ſexti gradus, vt fatemur: ergo non datur in ſecundo inſtanti minor reſiſtentia formalis pro conſervatione ſexti, quam in primo inſtanti. Maior probatur 1. Reſiſtentia eorum graduum eſt eorum exigentia; ſed quod reſiſtit per exigentiam non reſiſtit quando non exiſtit: ergo in primo inſtanti non reſiſtunt ſeptimus, & octavus expulſi, & non exiſtentes in eo inſtanti. Probatur 2. ſeptimus, & octavus gradus reſiſtunt formaliter per ſui informationem in ſubecto; ſed in primo inſtanti in quo expelluntur, non informant ſubiectum: ergo non reſiſtunt formaliter.

44 Si autem dicas, re-

ſiſtere in eo inſtanti, in quo non exiſtunt, quia pręceſſerunt in inſtanti immediato cum exigentia exiſtendi, & conſervandi in primo inſtanti. Contra eſt: illos gradus præciſiſſe cum exigentia conſervandi in primo inſtanti non ſufficit, vt in primo inſtanti impediant, aut retardent actionem contrarij: ergo non ſufficit, vt in primo inſtanti reſiſtant formaliter. Antecedens probatur 1. Illos gradus pręceſiſſe cum tali exigentia, non ſufficit vt in primo inſtanti non vincantur à contrario, per cuius actionem expelluntur è ſubiecto; ſed quod vincitur à contrario, in eo inſtanti in quo vincitur non impedit, neque retardat actionem contrarij vt videtur manifeſtum: ergo illos gradus pręceſiſſe cum tali exigentia non ſufficit, vt in primo inſtanti impediant, aut retardent actionem contrarij. Probatur 2. Illi gradus etiam præceſſerunt in inſtanti immediato cum exigentia agendi, & operandi in hoc inſtanti; & tamen quia in hoc inſtanti non exiſtunt, non operantur in hoc inſtanti: ergo licet pręceſſerint cum exigentia exiſtendi in hoc inſtanti, & in eo impediendi, aut retardandi actionem contrarij, quia tamen in hoc inſtanti non exiſtunt, non eam impedient, neque retardabunt in hoc inſtanti. Probatur 3. Quia ſi Deus independenter ab actione calidi ex ſola ſua voluntate ceſſaret in hoc inſtanti à conſervatio-

tiæ ne ſeptimi, & octavi frigoris præcedentis in inſtanti immediato, eodem modo produceretur calor, ac ſi illi gradus non præceſſiſſent in inſtanti immediato; nec ſi non præceſſiſſent in inſtanti immediato non impedirent, neque retardarent actionem calidi: ergo licet præceſſerint non impediunt eius actionem.

45 Ad obiectionem nego maiorem; & ad primam eius probationem: quod reſiſtit per exigentiam non reſiſtit, neque phyſice, neque moraliter, concedo: quando non exiſtit phyſicè, exiſtit tamen moraliter, nego minorem, & conſequentiam: quia ſeptimus, & octavus gradus frigoris, quando non exiſtunt phyſice, exiſtunt moraliter in ſuo effectu; ſcilicet in impeditione productionis tertij gradus caloris, quem calidum produxiſſet in primo inſtāti, ſi nō præceſſiſſent in inſtanti antecedenti ſeptimus, & octavus frigoris, & quia præceſſerunt intuitu exiſtentiæ, & exigentiæ phyſicæ ipſorum Deus non paravit calido concurſum, vt tertium gradum caloris produceret. Ad ſecundam probationem eiuſdem minoris diſtinguo ſimiliter maiorem: reſiſtunt formaliter per ſui informationem in ſubiecto exiſtentem phyſicè, vel moraliter, concedo; exiſtentem phyſicè determinate, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam informatio, per quam formaliter reſiſtunt, & quæ phyſicè exiſtit in inſtanti antecedenti, in hoc inſtanti exiſtit moraliter, quatenus, vt Deus paret calido concurſum ad agendum in hoc inſtanti, attendit ad exigentiam ſeptimi, & octavi gradus frigoris, & intuitu exigentiæ illorum non parat concurſum calido, vt producat tres, ſed duos tantum gradus caloris.

46 Ad inſtantiam factam contra hanc ſolutionem nego antecedens; & ad primam eius probationem diſtinguo maiorem: illos gradus ſic præceſſiſſe non ſufficit, vt in primo inſtanti non vincantur quoad omnia à contrario, nego, quoad aliquid, concedo maiorem: & diſtinguo minorem: ſi quod vincitur, vincitur quoad omnia, permitto; ſi vincitur ſolū quoad aliquid, nego minorē, & conſequentiam. Itaque ſeptimus & octavus gradus frigoris vincuntur à contrario ne conſequātur ſui conſervationē, quam petebant pro hoc inſtanti; ſed nō vincuntur ne obtineant conſervationem ſexti gradus, & nō productionem tertij caloris, quas etiam petebant; imò quoad hoc vincunt per ſuam reſiſtentiam activitatem calidi.

47 Adde gratis nos permiſiſſe, quod falſo ſupponitur ab objiciente; nempè non ſtare reſiſtentiam alicuius, ſi non vincat ſuum contrarium, ſaltem in aliquo. Hoc, inquam, falſò ſupponitur: nam reſiſtere eſt conari in oppo-

oppoſitum, & ſtat benè conatum in oppoſitū omnino vinci à contrario. Quando enim corpus grave omninò detinetur, ne verſus centrum deſcendat, omnino vincitur ab oppoſito obſiſtente; & tamen in eo ipſo inſtanti reſiſtit, quia licet inefficaciter, & fruſtra cōnatur deſcēdere, & contra propriā exigentiā detinetur. Et quidem ſcire vellem, quando ſeptimus, & octavus gradus frigoris reſiſtunt formaliter ſuæ expulſioni imminenti à cōtrario? Nā per te non reſiſtunt in primo inſtanti, in quo deficiunt, neq; in ſequentibus. Deinde per te, & iuxta veritatē non reſiſtunt formaliter in inſtanti antecedenti expulſionem: quia neq; exigunt cōſervari pro eo inſtāti, neq; contrarium in eo inſtanti expellere: quia cōſervatio propria pro eo inſtanti eſt neceſſaria, & contrarij expulſio pro eo inſtāti, in quo exiſtere ſupponimus, eſt impoſsibilis: ergo nunquam reſiſtunt formaliter illi gradus. Cum vero hoc dici non poſsit, conſequens eſt, vt dicamus reſiſtere formaliter in primo inſtanti in quo deficiunt: & quidem reſiſtere eficaciter, & in actu ſecundo pro conſervatione, quam obtinēt, ſexti gradus frigoris; inefficaciter vero, & in ſolo actu primo pro ſua conſervatione, quam non conſequuntur.

48 Iam ad ſecundam probationē eiuſdē antecedētis ex n. 44. cōceſſo antecedēti, nego cōſequentiā. Diſparitas eſt quia agere, & operari eſt dare eſſe *phyſicè* effectui per cauſalitatē phyſicè egrediētem ab agente; & hoc accidere nō poteſt dū agens non exiſtit phyſice, vt ſatis conſtat ex dictis lib. 2. Phyſic. diſp. 2. ſect. 3. à n. 58. at reſiſtere eſt impedire, vel retardare actionē contrarij, & hoc fit, dum intuitu exigentiæ præcedentis phyſicè, & nō exiſtētis modo, Deus vel non parat cōtrario concurſum, vt aliquid producat, vt contingit in caſu de quo n. 5, vel ſaltē parat concurſum, vt minus producat, quam produceret ſi illa exigentia non præceſſiſſet, vt contingit in caſu argumenti. Si enim Deus hoc modo ſe gerit cum contrario intuitu exigentiæ phyſicè præcedentis alterius contrarij, id ſufficit, vt huius exigentiæ tribuatur impeditio, vel retardatio actionis contrarij. Ad tertiā probationem ex eodem n. 44. conceſsis præmiſsis, diſtinguo cōſequens: licèt præceſſerint nō retardabunt, neque impedient actionem calidi, ſi Deus independēter ab exigentia calidi eos expellit, neq; attendit ad eorum exigentiam, vt calido paret concurſum; concedo: ſi expellit illos dependenter ab actione calidi, & eorū exigētiæ attendit, vt calido paret concurſū, nego: nā intuitu talis exigentiæ nō parabit cōcurſū calido, vt producat tantū quantū alias produceret, ideoq; illa exigētia præcedens in actu ſecundo impediet productionē tertij gradus caloris, & cōſequēter retardabit actionē calidi. Ob-

49 Objic. 2. Licet in ſecundo inſtanti detur minor reſiſtentia formalis ex parte frigidi; ea tamen reſiſtentia nō eſt minor, quā activitas calidi, ac proinde hoc non poterit producere in ſecūdo inſtanti, quod non produxit in primo: ergo licet reſiſtentia formalis frigidi ſucceſsivè minuatur, ab ea ſucceſsiva diminutione ſola non poteſt provenire alterationis ſucceſsio. Major, in qua eſt difficultas probatur: nam licet in ſecundo inſtanti deficiat reſiſtentia formalis ſeptimi; & octavi gradus frigoris tamen ea virtus aquę, quę antea illos conſervabat, revocatur tota ad reſiſtendum activè pro conſervatione ſexti gradus; ſed hæc reſiſtentia activa aquæ tantum præſtabit, quantum præſtabat reſiſtentia formalis ſeptimi, & octavi gradus frigoris: ergo omnibus penſatis non eſt minor in ſecundo inſtanti reſiſtentia formalis frigidi, quàm activitas calidi.

50 Sed in primis hæc ratio nihil probat in caſu, quo frigus non conſervetur ab aqua, ſed ab agente extrinſeco, vel à Deo activè non reſiſtente. Deinde reſpondeo, pone calidum intendens producere in ſecundo inſtanti tertium gradum caloris eſſe ignem: tunc enim, ſicut virtus aquæ antea conſervans gradus deperditos revocatur ad reſiſtendum activè, pro conſervatione ſexti gradus frigoris, ita virtus ignis antea conſervans gradus, quos perdit per reactionem frigidi, revocatur, vt ſimul cum gradibus relictis operetur contra aquam; ſed coniunctum ex gradibus caloris relictis, & virtute ignis expedita ab aliorum graduum conſervatione potentius eſt ad producendum tertium gradum caloris, quam coniunctum ex ſexto gradu frigoris, & virtute aquæ expedita à conſervatione ſeptimi, & octavi gradus, ad impediendam eam actionem: ergo in ſecundo inſtanti minor eſt reſiſtentia frigidi, quam activitas calidi.

51 Si vero conficiat argumentum in caſu, quo frigus conſervetur ab aqua, & calor agens non eſt in igne, adhuc reſpondeo activitatem calidi in ordine ad producendum in ſecundo inſtanti tertium gradum caloris, excedere reſiſtentiam frigidi. Nam virtus productiva tertij gradus caloris coaleſcit ex tertio, quarto, quinto, & ſexto gradu caloris, qui non agunt de recuperatione ſeptimi, & octavi gradus caloris amiſſi, quia videlicet non continent eos in ſua virtute; ſed præciſſe intendunt in productionem tertij. Virtus autem reſtitiva coaleſcit ex ſexto gradu frigoris reſiſtente formaliter, & ex duobus, vel tribus gradibus; vt ſic loquar, virtutis aquæ; eis nimirum, quę antea cōſervabant gradus frigoris, quos amittit in primo, & ſecundo cōgreſſu;

greſſu; ita tamen, vt gradus illi virtutis aquæ etiam conentur recuperare gradus frigoris deperditos, vt ſic reducatur ad ſtatum connaturalem. Conſtat autem activitatem vt quatuor illius calidi nihil aliud conantis, quam producere tertium gradum ſuperare reſiſtentiam vt tria, vel vt quatuor frigidi, quando hæc reſiſtentia non ſolum conatur impedire productionem tertij gradus caloris, ſed vlterius recuperare duos gradus frigoris expulſos; nam exigentia petens indiviſibiliter duos terminos, minorem efficaciam habet, vt obtineat quemlibet illorum, quam ſi vnum ſolum exigeret. Patet id exemplo deducto ex moralibus. Si enim duo homines haberent æqualia merita ad dignitatem, vt quatuor, alter ſua merita applicaret indiviſibiliter pro duplici dignitate, vt quatuor, alter vero pro vna tantum, maiorem efficaciam haberet hic, vt obtineret dignitatem, quàm petit, quam alter, vt quamlibet illarum obtineret.

52. Hæc dixerim admittendo aquam expeditam à conſervatione ſeptimi, & octavi gradus frigoris, quos perdidit in primo inſtanti ita revocari ad conſervandos gradus reſiduos, vt plus iam reſiſtat activè pro illis, quā antea; ac proinde, ita vt in ſecundo inſtanti detur pro conſervatione ſexti gradus reſiſtentia formalis ipſius ſexti, & maior reſiſtentia activa ſubſtantiæ aquæ. Hæc enim doctrina difficilis eſt. Nam reſiſtentia activa ſubſtantiæ aquæ contra calidum ſtat, vel in exigentia, qua petit ſuos gradus conſervare, & non introduci calorem expellentem ipſos, vel in actione, per quam conſervat ſuos gradus ad præſentiam calidi; at in nullo horum ſenſu reſiſtentia activa aquæ videtur eſſe maior in vno inſtanti, quam in alio. Non in primo: quia illa exigentia identificatur cum ſubſtantia aquæ, quæ eadem ſemper eſt & indiviſibiliter exigit habere omnes ſuos gradus pro quocumque inſtanti. Non in ſecundo: nam quomodo reſiſtentia activa identificata cum conſervatione ſexti poterit in ſecundo inſtanti eſſe maior, niſi quia ea actio in ſecundo inſtanti fortior ſit; At fortior eſſe non poteſt: quia illa actio provenit à ſubſtantia aquæ quatenus propenſa, & innate inclinata in ſuam frigiditatem & ea propenſio, vt dictum eſt, ſemper eſt eadem.

53. Objic. 3. Quantum minuitur reſiſtentia formalis frigoris minuitur etiam activitas calidi: ergo licet reſiſtentia formalis frigoris ſit in ſecundo inſtanti minor, quàm in primo, non ideo producet calidum in ſecundo inſtanti, quod non produxit in primo. Antecedens probatur: quia activitas calidi minuitur in ſecundo inſtanti ex duplici capite. Primo quia occupatur in con-

ſer-

ſervandis duobus gradibus caloris productis in frigido. Secundo, quia per reactionem frigidi amittit aliquem gradum caloris.

54 Reſpondo negando antecedens, ad probationem dico, non ita minui activitatem calidi, vt non maneat cum activitate excedente reſiſtentiam frigidi: nam primo, virtus productiva tertij caloris non occupatur in conſervandis duobus productis in primo inſtanti; primus enim, & ſecundus caloris producti conſervantur ſufficienter à primo, & ſecundo agentis, qui ad productionem tertij non poſſunt concurrere. Imò licet gradus reſidui caloris agentis vltra primum, & ſecundum debeant indiviſibiliter cum illis concurrere ad conſervationem productorum; adhuc manet virtus activa tertij ſuperior multò ad reſiſtentiam paſſi, vt probatum eſt §. 1. Secundo, licet per reactionem frigidi amittat calidum octavum gradum, qui ſi exiſteret concurreret etiam ad producendum tertium, manet tamen in gradibus reſiduis virtus ad producendum tertium excedens reſiſtentiam frigidi, vt conſtat ex dictis loco cit. & in præſenti in ſolutione ſecundi argumenti.

(S)

SECTIO III.

De continuatione alterationis, tàm quoad intenſionem, quàm quoad extenſionem.

55 Diximus ſect. præcedenti alterationem fieri ſucceſivè, quia agens impeditum à reſiſtentia contrariæ qualitatis non poteſt in primo inſtanti producere quidquid continet in ſua virtute; poteſt tamen in ſecundo inſtanti producere, quod non produxit in primo, quia reſiſtentia formalis qualitatis contrariæ minor eſt. Agemus modo, an alteratio etiam fiat continuè, tàm quoad intenſionem, quàm quoad extenſionem?

56 Erit continua quoad intenſionem, ſi agens in quolibet inſtanti temporis, nulla facta mora, aliquid qualitatis producat in eadem parte ſubiecti, quouſque in ea producat totam intenſionem, quam continet in ſua virtute. Erit etiam quoad extenſionem continua, ſi agens in quolibet inſtanti temporis, nulla facta mora, extendat ſuam qualitatē ad novam partē ſubiecti, & quidem in ſententia Zenonis de cōpoſitione cōtinui phyſici, ita fiet continuatio alterationis, ſi fortè datur, vt agens, iuxta maiorem, aut minorē efficaciam ſuę virtutis, producens in primo inſtanti unum, aut plura indiviſibilia qualita-

litatis, in ſecundo inſtanti producat aliud, aut alia, attenta etiam paſsi reſiſtentia. Dum autem duo indiviſibilia qualitatis produxerit, producet in eodem inſtanti indiviſibile continuativum, & vnitivum vnius indiviſibilis qualitatis cum alio. Hoc poſito, loquendo in ſententia Zenonis, quàm propugnavimus in Phyſicis pro compoſitione conſtitui phyſici.

59 Dico 1. Alteratio qualitatis non fit continue quod extenſionem. Ita Arriaga hic diſp. 3.n.33. Oviedo controv.6. punct. 7. & RR. plures. Imò, & favet Ariſt.8.Phyſic.text. 28.& D.Th. ibi lect.5. à §. *Contradicit prædictæ poſitioni*. Et Philoſophi comment. in 8. Phyſic. comment. 8. & ex Thomiſtis antiquioribus idē docent Soncinas, Capreolus, Ferrara, & alij relati à Mag. Prado. q. 17.§.2. probatur: quia ſi ignis v. g. extenderet in quolibet inſtanti calorem ad novam partem extenſionis paſsi, in ictu oculi,& in quovis breviſsimo tempore ſenſibili extenderet calorem per totam ſuam ſphæram; ſed hoc eſt contra manifeſtam ſenſum experientiam: ergo ignis non extendit calorem in quolibet inſtāti ad novam partem extenſionis paſsi, & conſequenter alteratio non fit continuè quoad extenſionem. Antecedens probatur: quia in icto oculi, & in quovis breviſſimo tempore ſenſibili plura elabuntur inſtantia, quam ſunt partes ſphæræ ignis: ergo ſi ignis extenderet in quolibet inſtanti calorem ad novam partem extenſionis paſsi, in ictu oculi, & in quovis breviſsimo tempore ſenſibili extendere calorem per totam ſuam ſphæram. A priori conatur Oviedo ſuprà probare eandem concluſionem: ſed probationi diffido.

58 Dico 2. Alteratio non fit continuè quoad intenſionē. Probatur eadem ratione: quia in ictu oculi, & breviſsimo tēpore plura elabuntur inſtantia, quam ſunt gradus conſtituentes intenſionem in quavis parte paſsi: ergo ſi ignis in quovis inſtanti ſine vlla mora produceret vnum gradum caloris in eadem parte paſsi, quam cępit calefacere, in ictu oculi,& in breviſsimo tempore producerer in ea parte paſsi totam ſuam intenſionem, quod etiam eſt contra experientiam.

59 Probatur 2. Si alteratio caloris fieret continuè quoad intenſionem, fieret etiam continuè quoad extenſionem; ſed iuxta primam concluſiōnem non fit continuè quoad extenſionem: ergo neque quoad intenſionē. Probatur maior; & ponamus ignem produxiſſe in primo inſtanti duos gradus caloris in prima parte ſphæræ, & vnū in ſecunda. Tunc ſic, ſi ignis producit in ſecundo inſtanti tertium gradum in prima parte ſphæræ, in eodem inſtanti producet ſecundum in ſecunda, & primum in ter-

tertia, ſurſuſque in tertio inſtanti producet in prima parte quartum gradum, tertium in ſecunda, ſecundum in tertia, & primum in quarta, & ſic procedet vlterius alteratio; ergo ſi alteratio caloris fieret continuè quoad eius intenſionem fieret, etiam continuè quoad extenſionem.

60 Sed inſurgit gravis difficultas. Nam ideo alteratio fit ſucceſsivè, quia ſucceſsivè minuitur reſiſtentia formalis qualitatis contrariæ ſed ea reſiſtentia formalis etiam minuitur continuè: ergo alteratio continuè fit. Minor probatur: nam iuxta dicta ſuprà ſect. 2. in primo inſtanti actionis calidi datur ex parte frigidi reſiſtentia octo graduum, in inſtanti immediato ſolum datur reſiſtentia ſex gradum, ideoque calidum in ſecundo inſtanti poteſt producere tertium gradum, quem non produxit in primo: ergo in inſtanti immediatè ſuccedenti ſecundo ſolum dabitur reſiſtentia quinque graduum, & eadem ratione decreſcet continuè reſiſtentia in inſtantibus continuè ſuccedentibus: ergo reſiſtentia formalis qualitatis contrariæ minuitur continuè.

61 Reſpondeo non impediri continuationem alterationis ex capite reſiſtentiæ formalis, nam quod ad hoc caput attinet rectè poſſet agens producere in ſecundo inſtanti, quod non produxit in primo, quia, vt rectè dicitur in obiectione, in ſecundo inſtanti minor eſt reſiſtentia formalis, ſi autem in ſecundo inſtanti produceret agens quod non produxit in primo, in tertio poſſet producere: quod non produxit in ſecundo, quia in tertio daretur minor reſiſtentia formalis, quam in ſecundo, & idem accideret in reliquis inſtantibus. Dicimus tamen continuationem alterationis impediri à natura ipſorum agentium, quæ natura ſua determinata ſunt, vt non operentur continuè, ſed paulolum otientur, morulaſque faciant in agendo, vt vires reſumant ad vlterius operandum. Sic experimur intellectum perfectiorem igne non poſſe per longum tempus operationi incumbere, quin aliquoties otietur in exercitio intelligendi. Nec mirum debet videri, nos recurrere in præſenti ad naturam agentium, cum ad eam ſæpè recurſus ſit Phyloſophis, dum rationem eorum, quæ certo experimur, non agnoſcimus. Sic ad naturam agentium recurrimus, vt cauſam demus, cur ſonus carens contrario non producatur continuè, vti non produci conſtat, ex eo quod non parum temporis inſumit, vt perveniat ad aures etiam quando aures non multum diſtant a cauſa ſonum producente.

62 Inſtabis cum RR. Cur ſimiliter non reducimus ad na-

naturam agentium, quod ſucceſſivè operentur, ſicut ad eam reducimus, quod non operentur continuè? Reſpondeò cauſam eſſe, quia de experientia ſucceſsionis alterationis rectam rationem aſsignare poſſumus, & aſsignavimus ſupra; & iuxta rectam Phyloſophiam non debemus ad occultam naturam agentium recurrere, dum adeſt ratio pro concluſione. At cur alteratio non fiat continue, vel non fieri videtur convinci, non invenimus rectam, quam aſsignemus rationem. Nam ſi aliqua eſſet ratio præcipuè deſumenda erat ex reſiſtentia contrariæ qualitatis; inde autem ſumi non poteſt, quia reſiſtentia non ſolum ſucceſsivè; ſed etiam continuè minuitur, ideòque potius iuvat, quam impedit alterationis continuationem. Reſtat ergo, quod id reducamus ad agentium naturam, ſicut ad eam reducimus plura alia in Phyloſophia.

SECTIO IV.

De actione, & reactione.

63 Commune proloquium eſt: *Agens in agendo repati à ſuo contrario, & paſſum in patiendo reagere* in agens quod illud oppugnat ſua actione. Quando enim duo agentia oppoſita ſe oppugnant agens fortius dicitur *repaſſum* relate ad actionem, per quam eius vires minuuntur à contrario, & agens debilius dicitur *paſſum* relate ad actionem, quam patitur à contrario, & *reagens* relate ad actionem, per quam agit in agens fortius ſe. Hoc proloquium non debet intelligi tanta vniverſalitate, vt nullum agens operari poſsit, quin repatiatur. Tùm quia albedo habens contrarium producit ſpeciem intentionalem ſui abſque vlla repaſsione. Tùm quia calidum, vt octo poteſt applicari paſſo adeo remiſſe frigido, vt in primo congreſſu expellat ab eo totam frigiditatem, in quo caſu ſi nihil frigoris maneat in paſſo, nihil ab eo repatietur. Hoc poſito.

64 Dari ſæpè inter agentia contraria mutuam actionem, & reactionem adeò concors eſt Phyloſophorum ſententia experientiæ, & rationi conformis, vt dixerint PP. Conimbric. hic cap. 9. quæſt. 3. art. 2. *qui reciprocam agentis, & repatientis actionem negant, & ſenſibus, & rationi, & Peripateticæ diſciplinæ refragantur.* Probatur 1. ab experientia: nam quando aqua fervens miſcetur cum alia intensè frigida, vtraque ita attemperatur, vt ex vtraque reſultet aqua tepida; quod ſane aliunde provenire nequit, niſi quia aqua prius nimis frigida agit in nimis calidam, & hæc vicisſim in nimis frigidam. Idem contingit quando manus calida alteri frigidæ applicatur: & quando ferrum candens in lebetem aqua plenum proijcitur.

95 Probatur deinde à ratione: nam vt agentia contraria applicata mutuo in ſe agant, & reagant, ſufficit, quod cuiuſvis activitas ſuperet reſiſtentiam, qua alterum reſiſtat gradui in ſe producendo, nam ſic ſervabitur illud principium ab omnibus conceſſum, nempe, quod *actio producit ſemper à proportione maioris inæqualitatis*, hoc eſt à virtute excedente reſiſtentiam paſſi, *oportet*, ait D. Thom. in 2. diſt. 19. q. 4. ad 2. & cum eo omnes, *quod virtus alterantis virtutem* (intellige reſiſtivam) *alterati excedat*. Sed res ita ſe habet: ergo datur actio, & reactio. Minor probatur: nam frigidum vt octo applicatum calido vt octo ita recipit ab hoc duos gradus caloris, vt maneat cum exceſſu virtutis ad producendum in calido aliquem gradum frigiditatis: quia licet per actionem calidi perdat ſeptimum, & octavum gradum frigiditatis, manent in eo ſex alij gradus continentes primum frigiditatis, cui ex parte calidi ſolum reſiſtit octavus, qui cum eo opponitur. At maior eſt activitas ſex graduum frigiditatis ad producendum primum in calido, quàm reſiſtentia ſolius octavi ne producatur: ergo agentia contraria ita inter ſe comparantur ſæpè, vt cuiuſvis activitas ſuperet reſiſtentiam, qua alterum reſiſtit gradui in ſe producendo.

66 Obijcies 1. ſi frigidum poſſet producere aliquem gradum frigoris in calido, melius poſſet illud producere in ſe, & medio illo expellere calorem productum à calido. Sed hoc accidere non poteſt, quia aliàs in eodem inſtanti exiſteret, & non exiſteret calor in frigido: ergo neque accidere poteſt, quod reagat in calidum. Maior probatur: nam cum frigidum ſit propinquius ſibi, quam calido cur non poterit producere in ſe gradum illum frigoris, quem dicimus poſſe producere in calido? Confirmatur 1. Calidum poteſt producere duos gradus caloris in frigido? Ergo nihil repatitur à frigido. Probatur conſequentia: virtus ſufficiens ad producendum duos gradus caloris in frigido poterit conſervare in ſe octavum gradum caloris ad præſentiam frigidi. Sed ſi conſervat in ſe octavum gradum caloris, nihil repatietur à frigido: ergo ſi poteſt producere duos gradus caloris in frigido, nihil repatietur à frigido.

67 Confirmatur 2. Pone ignem palmarem, cuius prima medietas ſit extra ſphæram aquæ, & arguitur ſic. Aqua iuxta nos producet in ſecundo ſemipalmo ignis contento intra ſuam ſphæram primum gradum frigoris expellentem octavum gradum caloris. Sed in eodem inſtanti recuperabitur octavus ille gradus caloris à primo ſemipalmo ignis exiſtente extra ſphæram

ram aquæ: ergo ſi datur actio, & reactio octavus gradus caloris erit, & non erit in eo inſtanti in ſecundo ſemipalmo ignis. Minor probatur, primus ſemipalmus ignis continet octavum gradum caloris, & aplicatus eſt ſecundo ſemipalmo, vt producat octavum gradum: ergo illum producet.

68 Sed hoc argumentum nullum eſt, quando calidum, & frigidum non ſunt aqua, & ignis; ſed alia ſubiecta, in quibus à Deo conſervatur calor, & frigus. Nam in tali caſu frigidum non poteſt producere in ſe frigiditatem, quam producit in calido. Tùm quia qualitas non intendit ſe ipſam. Tùm quia frigidum producit in calido primum gradum frigoris, ad quem concurrunt in diviſibiliter omnes gradus frigoris perſeverantes; & in ſe deberet producere octavum gradum, ad quem ſeptem gradus inferiores non poſſunt concurrere. Vnde etiam patet ineſficacia primæ confirmationis.

69 Cæterum ſupponendo agentia applicata eſſe ignem, & aquam, vt ſæpè accidit, nego maiorem argumenti, & eius probationem: quia licet frigidum poſsit producere in igne primum gradum frigoris non inde deducitur poſſe producere in ſe octavum, quem ignis expellit per ſuam actionem. Tùm quia cum octavus ſit perfectior primo, rectè ſtat non ſufficere ad producendum octavum virtutem ſufficientem ad producendum primum. Tùm quia cum frigidum deberet producere in ſe octavum ad præſentiam totius, activitatis ignis conantis eum gradum expellere neceſſarium erat, quod aqua ſua reſiſtentia ſuperaret activitatem ignis quam vincere non poteſt; minor enim eſt reſiſtentia aquæ, quàm activitas ignis, vt ſect. ſeq. dicemus. Poteſt tamen vincere reſiſtentiam, qua ignis petit, ne producat in ſe primum gradum frigoris, quia reſpective ad eum gradum, maior eſt activitas aquę quam reſiſtentia ignis, vt conſtat ex probatione concluſionis. Ad primam confirmationem conſtat ſolutio ex dictis. Ad ſecundam confirmationem, nego minorem, & ad huius probationem dico, primum ſemipalmum ignis exiſtentem extra ſphæram aquæ non continere in ſe octavum gradum producendum in paſſo non penetrato, niſi detur magnus exceſſus partium agentium, aut agentium multitudo. Si autem hæc multitudo, & hic exceſſus daretur, aqua non reageret in ignem, neque in eo valeret producere primum gradum.

70 Obijcies ſecundo. Saltem non dabitur actio, & reactio quando calidum, & frigidum non applicantur immediatè; ſed inter vtrumque mediat aër. Proba-

tur aſſumptum: quia ſi in hoc caſu agerent, & reagerent hæc agentia, cum alias nullum poſsit agere in diſtans quin agat in medium, vt quodlibet ageret in alio, deberet producere ſuam qualitatem in aère medio; ſed hoc eſt impoſsibile ne aër ſimul moveatur motibus contrarijs, ſcilicet calefactione, & frigefactione: ergo in hoc caſu non datur actio, & reactio. Nego aſſumptum, & ad eius probationem nego minorem, ad cuius ſubiunctam probationem dico, calidum tunc producturum in aère medio tres, aut quatuor gradus caloris, & frigidum duos, aut tres frigoris, qui compoſsibiles ſunt in eodem ſubiecto (reſpectu cuius non contrariantur, niſi in gradibus intenſis) & rurſus quodvis illorum media ſua qualitate producta in medio agere in aliud, in quo nullum eſt abſurdum.

71 Rogabis: vtrum calidũ, vt octo, & frigidum, vt octo poſsint mutuo agere, & reagere in primo inſtanti, quo ad invicem applicantur? Eſt quæſtio de voce, in re enim omnes, meo iudicio, convenire debent. Melius tamen loquuntur, qui cum P. Alphonſo. diſp. 4. ſect. 5. dicunt non poſſe agere, & reagere ad invicem prædicta agentia in ſenſu compoſito quod ſint vt octo; bene tamen in ſenſu diviſo. Eſt dicere: calidum, quod in inſtanti antecedenti ad applicationem ad frigidum, erat vt octo, in inſtanti, in quo applicatur frigido per huius reactionem amittit octavum gradum caloris, & manet calidum, vt ſeptem, & cum ea virtute producit in eo inſtanti in frigido duos gradus caloris. Similiter frigidum, quod in inſtanti antecedenti erat, vt octo, in inſtanti in quo applicatur calido per huius reactionem amittit duos gradus frigoris, & manet frigidum, vt ſex, & cum ea virtute producit in calido in eo inſtanti primum gradum frigoris. Vno verbo: *Deus* in inſtanti applicationis concurret cum ſeptem gradibus caloris in eo inſtanti exiſtentibus, vt producant duos in frigido; & cum ſex frigoris in eo inſtanti manentibus concurrit, vt producant vnum gradum in calido. Vnde pro priori naturæ ad expulſionem ſeptimi, & octavi frigoris præcedunt ſeptem gradus caloris; & pro priori naturæ ad expulſionem octavi caloris præcedunt ſex gradus frigoris; & pro eo priori, pro quo Deus parat ſuum concurſum ad dictas actiones, neque intelligitur octavus gradus caloris, neque ſeptimus, & octavus frigoris, neque eorum expulſio, ſed hæc intelligitur in eodem inſtanti pro ſigno poſteriori naturæ.

Di-

72 Dices: ergo ſeptem gradus caloris perſeverantes non applicantur gradibus frigoris expellendis, neque è contra. Reſpondeo, id verum eſſe quia nullum agens debet applicari formę expellendæ, ſed ſubiecto, à quo eam expellit, ſicut accidit in præſenti: nam ſeptem gradus caloris applicati in hoc inſtanti paſſo frigido producunt in illo primum, & ſecundum gradum caloris, vt quorum pro ſigno poſteriori naturæ in eodem inſtanti reali intelligitur expulſio ſeptimi, & octavi frigoris per incompoſsibilitatem, quam habet cum primo, & ſecundo gradu caloris. Sic forma cadaveris expellens formam viventis non applicatur ipſi, vt eam expellat, ſed introducitur in ſubiecto habente in inſtanti antecedenti formam viventis, & in hoc inſtanti, in quo introducitur in ſubiecto datur expulſio formæ viventis pro poſteriori naturæ ad introductionem formæ cadaveris.

SECTIO V.

Quo ordine conveniat qualitatibus reſiſtentia activa, & formalis?

73 INter primas qualitates calor excedit frigus in activitate; nam calor, & citius operatur, & per maiorem ſphæram, quam frigus, vt patet experientia. Deinde in activitate ſuperat frigus humiditatem: nam manus in aquam frigidam immerſa prius frigiditatem, quam humiditatem experitur. Tandem humiditas in activitate vincit ſiccitatem, nam humidum magis humectat, quam ſicat ſiccum. Imò ſiccitatis adeò eſt debilis activitas, vt de illa aliqui dubitarint, apud Oviedo controv. cit. punct. 3. Inde autem certum eſt, qualitates magis activitas eſſe magis reſtitivas activa reſiſtentia ſtante in actione imminuente vires contrarijs ſiquidem, quæ magis activa eſt plus ſuæ qualitatis producit in ſubiecto alterius. Eſt tamen quęſtio de reſiſtentia formali, quo ordine prædictis qualitatibus conveniat.

74 Nonnulli ſine nomine citati ab Oviedo ſupra, & à Carleton diſp. 7. ſect. 2. dicunt omnes primas qualitates æquales eſſe in reſiſtentia formali, licet aliæ ſuperent alias in activa reſiſtentia. Ratio eorum eſt: quia reſiſtentia formalis ſtat in qualitate vt informante ſubiectum, & exigente in eo conſervari ipſam, & non introduci qualitatē oppoſitam, cum qua habet incōpoſsibilitatem; ſed omnes qualitates ęqualiter informant ſubiectū; omneſque petunt in eo conſervari, & non produci qualitatem incompoſsibilem: ergo omnes æquales ſunt in reſiſtentia formali.

75 Sed hæc ratio vim non habet : nam licet omnes qualitates æque informent ſubiectum, & æque ſint incompoſſibiles cum ſuis contrarijs ; aliæ tamen poſſunt fortius inhærere ſubiecto , & ab eo expelli difficilius; quia ſuperant alias in exigẽtia propriæ conſervationis, & conſequenter in reſsiſtentia formali. Sed dices, licet calor v.g. fortius , & tenatius informet ſubiectum, ab eo tamen expelletur per frigiditatem productam à frigido: ergo ea fortior informatio non iuvat ad fortiorem, & maiorem reſiſtentiam. Conceſſo antecedenti , nego conſequentiam: quia licet verum ſit calorem quomodolibet informantem ſubiectum, expellendum ab eo eſſe per productionem frigiditatis; ſi tamen tenatius informat ſubiectum; quia habet maiorem exigentiam ſuæ conſervationis, magis etiam reſiſtet actioni frigidi , & hoc difficilius producet frigiditatem : quia eadem exigentia, qua calor petit ſuam conſervationem in ſubiecto petit etiam ne frigidum producat in eo frigiditatem; ideoque frigidum difficilius producet ; quia producere non poteſt niſi vincendo maiorem exigentiam caloris.

76 Quare reliqui AA. ſicut agnoſcunt qualitates inæquales in reſiſtentia activa , ita etiam in formali ; ſed diſsident in explicando , quo ordine ipſis conveniat inæqualis hæc reſiſtentia. PP. Conimbric. dict. cap. 9. quæſt. 3. art. 3. quos ſequuntur plures ex noſtris, docent qualitates magis activas eſſe minus reſtitivas; & è converſo minus activas eſſe magis reſtitivas ; ita vt ſiccitas ſuperet reliquas in reſiſtentia formali ; deinde humiditas ſuperet frigiditatem , & hæc calorem. Eandem ſententiam ſequuntur communiter Thomiſtæ apud Magiſt. Prado quæſt.28. §.2. & Magiſt. Lerma quæſt. 49. Alij autem relati à Prado ſupra , quibus adhærent P. Oviedo vbi ſupra , & P. Alphonſ. diſp. 4. ſect. 4. & plures RR. dicunt reſiſtentiam formalem eodem ordine convenire qualitatibus, quo eis convenit reſiſtentia activa; ideoque qualitates magis activas eſſe magis reſtitivas.

77 Placet hæc ſecunda ſententia. Nam reſiſtentia formalis qualitatis eſt exigentia , qua vt informans ſubiectum exigit vlterius cõſervari, & ab eo non expelli per qualitatem contrariam ; ſed qualitates magis activæ vt informantes ſubiectum , fortius exigunt vlterius conſervari ; & ab eo non expelli : ergo qualitates magis activæ ſunt magis reſtitivæ formaliter. Minor probatur : quia ſi ſemel concedatur , vt concedunt adverſarij; alijs qualitatibus maior , & fortior exigentia ſuæ conſer-

va-

vationis, quam alijs, ea maior, & fortior exigentia tribuenda eſt qualitatibus perfectioribus, niſi aliunde probetur oppoſitum; ſed qualitates magis activæ ſunt perfectiores minus activis; & aliunde non probatur in minus activis exigentia maior, & fortior ad ſuam conſervationem, vt conſtabit infra: ergo qualitates magis activæ, vt informantes ſubiectum fortius exigunt vlterius conſervari, & ab eo non expelli.

78 Dices: maiorem perfectionem caloris ſupra frigus bene ſtare cum iure caloris ad minorem durationem, conſequenterque cum minori reſiſtentia formali: nam materia prima eſt imperfectior homine, & excedit hominem in iure durandi, & iuxta noſtra principia primus gradus caloris eſt imperfectior reliquis, & habet ius ad maiorem durationem, quam reliqui. Sed contra eſt: quia non dicimus abſque reſtrictione vlla entitatem perfectiorem habituram ius ad maiorem durationem; ſed ius ad maiorem durationem tribuendum eſſe entitati perfectiori, niſi aliunde probetur oppoſitum. Probatur autem oppoſitum in materia prima: quia ingenerabilis, & incorruptibilis eſt; & in primo gradu caloris: quia tota ea perfectio, quam habet ex iure ad maiorem durationem compenſatur abunde per alia prędicata graduum ſuperiorum, vt probatum eſt diſp. 2. In præſenti verò oppoſitum non probatur, vt iam videbimus.

79 Obijc. 1. Siccitas difficilius expellitur à ſubiecto, quam calor: ergo magis reſiſtit formaliter, quam calor. Antecedens probatur: quia morbi, qui ex ſiccitate orignem ducunt difficilius curantur, quàm qui originem ducunt ex calore: ergo quia ſiccitas difficilius expellitur à ſubiecto, quam calor. Confirmatur: facilius corrupuntur ignis, aër, & aqua, quàm terra, in qua viget ſiccitas in ſummo: ergo quia ſiccitas ſuperat alias qualitates in reſiſtentia.

80 Nego primum antecedens argumenti: ad cuius primam probationem reſpondeo, morbos ex ſiccitate ortos non curari difficilius, propter maiorem ſiccitatis reſiſtentiam; ſed quia ſiccitas expellenda eſt media humiditate, quæ non ita facile ab arte medica attemperatur, vt poſſit applicari viventi abſque eius nocumento. Prætérquamquod ea difficilior medicina poteſt provenire, quia ſiccitas cauſans infirmitatem expellit à vivente aliquas partes humidi radicalis, quod damnum difficilimè reparatur à medicina. Vel reſpondeo ſecundo, ideò difficilius curari infirmitates ex ſiccitate provenientes, quia ſiccitas maiori ex parte exiſtit in-

ſubiecto denſo, quo fit, vt partes ſiccitatis magis vnitæ inter ſe difficilius expellantur, quàm partes caloris, quæ propter raritatem, quam frequenter cauſant in ſubiecto minus vniuntur, & ideo facilius oppugnantur à contrario. Hæc ſolutio adhibenda etiam eſt ad confirmationem.

81 Obij c. 2. Si calor excederet frigus activitate, & reſiſtentia ſemper calor ſuperaret frigus, abſque vlla victoria ex parte huius; nam quo pacto agens minoris activitatis, & reſiſtentiæ, vel in aliquo poterit vincere agens vndequaque fortius: ergo ſi calor eſt magis reſtitivus quam frigus nunquam dabitur reactio frigoris in calidum. Nego antecedens: nam vt frigus reagat in calidum non eſt comparanda reſiſtentia formalis caloris cum reſiſtentia formali frigoris, ſed cum frigoris activitate; quia frigidum non pugnat ſua reſiſtentia contra calidum; ſed ſua activitate; & licet perfectior ſit reſiſtentia cuiuſvis gradus caloris, quam reſiſtentia cuiuſvis gradus frigoris; perfectior tamen eſt activitas aliquorum graduum frigoris, quam reſiſtentia vnius vel alterius gradus caloris, ideoque illa activitas frigoris vincere poteſt hanc reſiſtentiam caloris, & reagere in calidum.

82 Itaque ſi frigidum vt octo applicetur calido vt octo, poterit expellere octavum gradum caloris, & producere primum frigoris: quia ad producendum primum gradum frigoris expellentem octavum caloris concurrunt ſex gradus frigoris perſeverantes poſt actionem, qua calidum expulit à frigido ſeptimum, & octavum gradum frigiditatis: ex parte vero calidi ſolum reſiſtit expulſioni octavi ipſe octavus iuxta dicta ſupra. Sed maior eſt activitas ſex graduum frigoris ad producendum in calido, primum gradum expellentem octavum caloris, quam reſiſtentia ſolius octavi, ne expellatur: ergo cum maiori reſiſtencia formali qualitatis magis reſtitivæ active ſtat reactio qualitatis minus activæ minuſque reſtitivæ.

TRAC

TRACTATVS SECVNDVS.

De Generatione ſubſtantiali.

PEractis diſputationibus de alteratione, quæ generationem ſubſtantialem præcedit, agendum eſt iam de Generatione ipſa, & eius ſpeciebus, & de oppoſita corruptione ſubſtantiali. Quorum occaſione tractabimus de augmentatione quantitativa, ſeu accretione; & de rarefactione, & condeſatione ſubſtantiæ, & quantitatis, quæ generationem viventium, & non viventium commitantur.

DISPVTATIO I.

De his, quæ ordine naturæ antecedunt generationem ſubſtantialem.

GEnerationem ſubſtantialem antecedunt ordine naturæ diſpoſitiones præparantes, & diſponentes materiam ad productionem formæ, quæ in materia non diſpoſita produci non poteſt; eamque determinantes, vt potius recipiat formam huius ſpeciei, quam alterius. Cum autem certum ſit quantitatem, & alia accidentia materiam diſponere ad ſuſceptionem formæ ſubſtantialis; dubium eſt; in quo ſubiecto prædicta accidentia recipiantur, & an non ſolum præcedant ordine naturę primam productionem formæ, ſed etiam eiuſdem conſervationem?

SECTIO I.

Vtrum accidentia recipiantur in materia prima; vel in toto compoſito?

1 NON eſt quæſtio de accidentibus ſpiritualibus, ſive vitalibus, quales ſunt actus intellectus, & voluntatis; ſive non vitalibus, quales ſunt gratia, & alij habitus ſupernaturales: quia omnia hæc accidentia in ſubiecto adæquatè ſpirituali recipi debent, vt dicemus lib. 1. de Anima ideoque neque inadæquatè recipi poſſunt in materia prima. Neque quæſtio procedit de accidentibus materialibus vitalibus quales ſunt ſenſationes materiales hominis, & bruti: quia acci-

cidentia hæc propter immanentiam, quam ex eo quod vitalia ſunt, debent habere in principio viventi, indigent alio ſubiecto ſaltem inadæquato diſtincto à materia prima. De quo tamen loco cit.

2 Tandem neque procedit quæſtio de potentijs, aut paſsionibus rerum: nam potentiæ, ſive activæ, ſive paſsivæ, ſi à ſubſtantijs diſtinguuntur, neceſſariò recipiuntur in ſubſtantijs, quarum ſunt potentiæ; & præſentia, durationque recipiuntur apud omnes in rebus quarum ſunt propriæ, quia cum illis comparantur tanquam propriç paſsiones. Quare quæſtio ſolum procedit de quantitate, & temperamento primarum qualitatum, & de alijs communibus accidentibus, albedine, videlicet, nigredine, pallore, & ſimilibus.

3 Et quidem tanquam certum ſupponi debet contra Soncinas lib. 12. met. quæſt. 88. & Iavell. quæſt. 8. quos ſequitur Averſa quæſt. 21. ſect. 6. accidentia enumerata non eſſe recipienda in ſubſtantia media alia potentia ſuperaddita accidentali, & eiuſdem rationis cum accidente recipiendo. Ratio eſt facilis: nam vel illa potentia ſuperaddita accidentalis recipitur immediatè per ſe ipſam in ſubſtantia; vel media alia potentia accidentali? Si ſecundum dicas, illa ſecunda potentia recipietur media alia, & ibimus in infinitum potentiarum. Si primum dicas: ergo ſicut illa potentia, quæ per te, eſt eiuſdem rationis cum accidente recipiendo, recipitur immediate in ſubſtantia, poterit ſimiliter quodvis accidens recipi immediatè in ſubſtantia; & conſequenter ſuperfluè omnino adſtruitur potentia accidentalis ſuperaddita ſubſtantiæ ad munus recipiendi accidentia.

4 Igitur cum inde fiat, quantitatem, primas qualitates, & accidentia materialia communia recipi debere in ſubſtantia, dubium eſt, an in materia prima ſola, an in toto compoſito recipiantur? Thomiſtæ omnes, quibus ex noſtris adhæret PP. Vazq. & Rubio docent accidentia hæc non recipi in materia prima, ſed in toto compoſito, quod appellant ſubiectum *quod* inhæſionis, & receptionis accidentium, quia eſt ſubiectum in quo immediatè recipiuntur; materiam verò ſubiectum *quo*, quia eſt conſtitutivum compoſiti recipientis, & quaſi prima ratio omnis receptionis repertæ in compoſito, vt explicatiùs, quam alij tradit Magiſt. Lerma hic q. 11. Noſtri autem conſtanter defendunt accidentia non in toto compoſito, ſed in materia prima recipi tanquam in ſubiecto *quod*. Ita P. Suarez cum pluribus ex antiquis à ſe relatis diſp. 14. met. ſect. 3. quibus conſentiunt PP. Conimbric. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Alphonſus, Quiros, & Autores quos ſequitur

tur Spinula hic diſp. 1. ſect. 1.

5 Hæc ſecunda ſententia vera eſt, pro eaque ſtare videtur Ariſt. lib. 2. de Generat. vbi docet, quod quando ex aëre generatur aqua, datur vna materia aëri, & aquæ communis, quæ ſe habet, vt ſubiectum qualitatum elementorum: ergo iuxta Ariſt. eadem materia, quæ eſt ſubiectum commune formis aëris, & aquæ, eſt etiam ſubiectum commune accidentibus vtriuſque formæ; ſed ſubiectum commune vtrique formæ non eſt totum compoſitum, ſed ſola materia prima: ergo ſola materia prima, & non totum compoſitum eſt ſubiectum commune accidentium, ſaltem diſponentium ad formarum generationem.

6 Favet etiam D. Thomas, tùm quatenus in lib. de Anima, & alibi ſæpè, docet Animam hominis non ſubijci albedini, & nigredini; ſi autem albedo, & nigredo hominis non recipiuntur in forma, ſed in ſola materia, in hac ſola reliqua accidentia recipientur: quia fundamenta Thomiſtarum, vel probant omnia accidentia communia debere recipi etiam in forma, vel non probant aliqua in forma, & compoſito recipi debere. Tunc quatenus in 4. diſtinct. 12. q. 1. art. 2. docet materiam præparari ad recipiendam formam per quantitatem, quæ erat cum forma præcedenti, eamque quantitatem, & alia accidentia diſponentia perſeverare cum forma adveniente; at ſi quātitas, & alia accidentia reciperentur in toto compoſito, vt Thomiſte volunt, quantitas, & alia accidentia diſponentia materiam ad formam non poſſent perſeverare cum forma, & compoſito adveniente: quia iuxta ipſos accidentia etiam communia, quę erant in compoſito corrupto non poſſunt perſeverare in genito, vt videbimus infra diſp. 3. ergo iuxta D. Th. ſubiectum quantitatis, & accidentium communium non eſt totum compoſitum, ſed ſola materia prima.

7 A ratione verò probatur noſtra ſententia 1. Quia vltima diſpoſitio præparans materiam ligni ad formam ignis non recipitur in toto compoſito: ergo accidentia non recipiuntur in toto compoſito. Antecedens probatur vltima diſpoſitio præparans materiam ligni ad formam ignis non recipitur in ligno, quod deſtruitur; non in igne, qui de novo generatur: ergo non recipitur in toto compoſito: nullum enim aliud compoſitum eſt, in quo recipi poſsit. Antecedens probatur: vltima diſpoſitio præparans materiam ligni ad formam ignis exiſtit realiter producta, & recepta in aliquo ſubiecto pro priori naturæ ad productionem, & introductionē formę ignis; quia nō aliter poteſt præparare materiam ad receptionem formæ, niſi media ſui exiſtentia, & receptione phyſica

in

in aliquo ſubiecto; nam præparare ſubiectum ad formam quid phyſicum eſt non aliter præſtabile à diſpoſitione, quam per ſui receptionem in ſubiecto; ſed ſubiectum illud, in quo pro priori naturæ ad formam ignis recipitur vltima diſpoſitio, non eſt compoſitum lignum: quia pro eo priori non eſt forma ligni, quæ in eodem inſtanti reali, in quo eſt vltima diſpoſitio, deſtruitur per formam ignis, & quod in aliquo inſtanti deſtruitur per aliquam formam, nequit exiſtere in eodem adhuc pro priori naturę ad ipſam formam; alias vtraque forma incompoſsibilis exiſteret ſimul in aliquo inſtanti, licet alia pro priori, & alia pro poſteriori, quod implicat; deinde ſubiectũ illud, in quo pro priori naturæ ad formam ignis recipitur vltima diſpoſitio, non eſt compoſitum ignis: quia pro priori naturæ ad formam ignis, nondum eſt hoc compoſitum, quod per ipſam formam conſtituitur, vt ſatis de ſe patet: ergo vltima diſpoſitio præparans materiam ad formam ignis non recipitur in ligno, quod corrumpitur; neque in igne, qui generatur reſtat: ergo quod recipiatur in materia ligni, quę & exiſtit realiter pro priori naturæ ad formam ignis, & non perit, ſed permanet adveniente forma ignis.

8 Confirmatur: nam vt conſtat ex ijs, quæ diximus lib. 2. Phyſicor. diſp. 1. quod eſt prius natura alio ſupponitur exiſtens, & productum independenter ab alio, & antequam exiſtat illud: ergo vltima diſpoſitio ad ignem ſuponitur exiſtens, & producta independenter ab igne, & antequam exiſtat ignis; ſed productio illius diſpoſitionis eſt eius receptio; recipitur enim in ſubiecto per eandem actionem, per quam producitur, vt etiam conſtat ex his, quæ de actione, & paſsione diximus lib. 3. Phyſic. ergo vltima diſpoſitio ad ignem ſupponitur exiſtens, & recepta in ſubiecto independenter ab igne, & ante quam exiſtat ignis; ſed non ſupponitur exiſtens, & recepta in compoſito igne, vtpote, quod nondum exiſtit pro priori ad ſe ipſum; neque in compoſito ligno, quod deficit in eo inſtanti, in quo eſt vltima diſpoſitio ad ignem: ergo ſupponitur exiſtens, & recepta in ſola materia ligni, quæ perſeverat in eodem inſtanti reali cum igne.

9 Confirmatur 2. In inſtanti reali, in quo eſt ignis eſt etiam vltima diſpoſitio præparans, & determinans materiam ad ipſum; ſed ea diſpoſitio non eſt recepta in ligno, quod in eo inſtanti iam non exiſtit, ſed potius deficit; neque eſt recepta in igne: ergo in ſola materia. Minor quoad ſecundam partem probatur ſic: ea vltima diſpoſitio pręcedit natura ad gi-

ignem; ſed ſi reciperetur in igne, ignis eſſet prior naturâ ad illam, illaque eſſet poſterior igne; conſequenterque eſſet prior, & poſterior naturâ reſpectu ignis, quod implicat: ergo vltima diſpoſitio non eſt recepta in igne.

10 Dices: vltimam diſpoſitionem eſſe priorem, & poſteriorem ſecundum naturam reſpectu ignis in diverſo genere cauſę, non in eodem; nam vltima diſpoſitio eſt prior igne in genere cauſæ materialis, quia ad hoc genus cauſę reducitur antecedentia diſpoſitionum; & eſt poſterior igne in genere cauſæ efficientis, quia videlicet producitur à forma ignis, ad quam diſponit.

11 Sed hæc ſolutio inſufficiens eſt; nam licet mutua prioritas in diverſo genere cauſæ ſit poſsibilis, quando altera cauſarum eſt intentionalis, & non influit, vt phyſice exiſtens, vt accidit inter finem, & media; quando verò vtraque cauſa phyſica eſt, influitque vt phyſicè exiſtens, impoſsibilis eſt adhuc in diverſo genere mutua prioritas, & cauſalitas, vt probatum eſt lib. 2. Phyſic. Deinde hęc mutua prioritas in præſenti difficilior eſt. quia, vt ſupra dicebam, vltima diſpoſitio, vt phyſicè exiſtens; & recepta in aliquo ſubiecto præcedit natura ad formam ignis; ſed vt phyſice exiſtens, & recepta neceſſario ſupponit cauſam efficientem, à qua habeat eſſe: ergo vt præcedit natura ad formam ignis ſupponit neceſſario cauſam efficientem, a qua habeat eſſe; at vt præcedit natura ad formam ignis non poteſt habere eſſe ab illa tanquam à cauſa efficiente, neque illam ſupponere, ſiquidem pro eo ſigno nondum exiſtit, aut producta eſt forma ignis: ergo vltima diſpoſitio non eſt poſterior forma ignis in genere cauſæ efficientis.

12 Atque inde fit, mutuam prioritatem, ſi datur inter vltimam diſpoſitionem, & formam ignis, eſſe in eodem genere cauſæ materialis. Nam vltima diſpoſitio, quia præcedit ex parte materiæ, & ex huius indigentia ad recipiendam formam, præcedit ad formam in eodem genere, in quo materia, videlicet in genere cauſæ materialis: & quia rurſus recipitur in forma tanquam in ſubiecto, eſt poſterior illa in eodem genere cauſæ materialis, nam recipere, & materialiter cauſare idem ſunt, vt ſæpè oſtendimus in Phyſic. præſertim lib. 2. diſp. 3. ſect. 1. ſed mutua prioritas in eodem genere, etiam apud Thomiſtas, eſt impoſsibilis: ergo impoſsibile eſt quod vltima diſpoſitio materialiter præcedens ad ignem recipiatur in toto compoſito igne.

13 2. Probatur noſtra ſententia. Diſpoſitiones, & acciden-

dentia diſponentia materiam ad formam ignis pro tempore antecedenti huius productionem, non recipiuntur in forma ignis, vt patet. Sed neque recipiuntur in forma ligni: ergo in ſola materia. Minor probatur: forma ligni nullo modo diſponitur per eas diſpoſitiones, vt recipiat formam ignis: ergo illæ diſpoſitiones non recipiuntur in forma ligni. Antecedens eſt certum: quia forma ligni non poteſt recipere formam contrariam ignis, per quam expellitur, & deſtuitur. Conſequentia verò probatur: quia diſpoſitiones eo fine intenduntur, & producuntur à natura, vt diſponatur ſubiectum illud quod recipere debet formam ignis: cur ergo intendet natura diſpoſitiones ad formam ignis recipi in forma ligni, quæ recipere non poteſt formam ignis?

14 Dices: quod licèt forma ligni non poſſit recipere formam ignis, debet tamen recipere diſpoſitiones ad ipſam; quia diſpoſitiones non poſſunt recipi in materia, niſi materia ſit *actu*, & *exiſtat*; cum autem exiſtat per exiſtentiam formæ, & in caſu argumenti nulla alia forma ſit in materia, niſi forma ligni, per eius exiſtentiam exiſtit, conſequenterque forma ipſa præcedit ad diſpoſitiones, ipſas recipiendo.

15 Sed contra eſt 1. Quia falſo ſupponit ſolutio, materiam primam exiſtere per exiſtentiam formæ. 2. Quia hoc admiſſo, inde non arguitur accidentia, & diſpoſitiones recipi in forma; ſed ad ſummum exiſtentiam formæ eſſe conditionem & prærequiſitum, vt materia adæquatè recipiat, vt rectè notavit Aſtudillo 1. de Gener. q. 2. Primò: quia iuxta Thomiſtas, & iuxta omnes, vt cauſa operetur debet actu exiſtere; quia *vnumquodque operatur ſecundum quod eſt in actu*; & tamen exiſtentia cauſæ, ſi ab eius eſſentia diſtinguitur, non eſt ratio formalis efficiendi, & cauſandi, ſed prærequiſitum, vt cauſa efficiat. Secundò: quia iuxta ipſos Thomiſtas, humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam Verbi; & nihilominus licet ea exiſtendi ſupponatur ex parte humanitatis, vt recipiat accidentia propria compoſiti, accidentia neque recipiuntur in ipſa, neque in Verbo, cuius eſt exiſtentia. Tertiò: quia apud omnes, extenſio, & præſentia ſupponitur ex parte materiæ, vt hæc recipiat formas; & tamen ea extenſio non eſt ſubiectum recipiens, neque ratio formalis recipiendi formas: ergo licet exiſtentia formæ ſit ratio exiſtendi materiam poteſt ex parte materiæ ſupponi tanquam conditio, & prærequiſitum, vt materia recipiat accidentia, quinvel ipſa, vel forma, cuius eſt exiſtentia, ſit ratio formalis recipiendi.

Con-

16 Contra hanc ſententiam 1. Obijci poſſunt plura Ariſtotel. & Div. Thom. teſtimonia oppoſitum inſinuantia. Sed, cum adeò expreſſe nobis faveant locis adductis ſupra, ita intelligendi ſunt, vt ſolum velint compoſitum eſſe ſubiectum denominationis accidentium. Nam licet in ſolà materia recipiantur, compoſitum tamen eſt, quod ab eis denominatur album, & quantum ratione quantitatis, & albedinis, non aliter ac compoſitum denominatur intelligens ratione intellectionis adæquatè productæ ab anima, & in ea adæquatè receptæ. Dum vero dicunt, in igne de novo generato non manere eadem accidentia, quæ præceſſerunt in ligno corrupto, non negant calorem præcedentem in ligno permanere in igne; ſed affirmant, calorem eſſe intenſiorem in igne, quia in ligno non præcedit calor vt octo ante formam ignis, & hæc forma dum advenit producit in ſe, augetque calorem vſque ad intenſionem, vt octo, quæ eſt propria illius paſſio. Adde D. Thom. & Ariſt. ita explicari poſſe, vt ſolum doceant, exiſtentiam formæ, & ipſam formam præcedere ex parte materiæ ad receptionem accidentium tamquam conditionem prærequiſitam, vt materia recipiat, non vero tamquam rationem formalem, quâ recipiendi, adhuc inadæquatè, iuxta dicta num. præcedenti.

17 Obijc. 2. Accidens Ideo exigit ſubiectum, cui inhæreat, & in quo recipiatur, quia eſt ens incompletum, habetque actualitatem ſecundam, & dependentem à ſubiecto ſubſtantiali; ſed materia prima, vtpote quæ eſt pura potentia, non habet actualitatem à qua poſſit depédere accidens, vt actualitatem recipiat: ergo materia prima non eſt ſubiectum inhæſionis, & receptionis accidentium. Confirmatur: nam licet admittatur materiam habere propriam exiſtentiam, & actualitatem, ea certe exiſtentia diminuta eſt, & incompleta; & ſolùm compoſitum habet actualitatem ſimpliciter, & completam: ergo cum accidens exigat ſubiectum, vt in eo compleatur, & actuetur, non erit contentum exiſtentia propria materiæ, ſed exiget exiſtentiam compoſiti.

18 Confirmatur 2. Materia prima nihil poteſt recipere, niſi pro priori ſubſiſtat; Sed materia ſubſiſtit per ſubſiſtentiam formæ; vel ſaltem non ſubſiſtit quouſque ſit informata per formam ſubſtantialem: ergo materia non poteſt recipere accidentia, quin pro priori ſupponatur informata forma ſubſtantiali, in qua proinde recipientur accidentia, ſaltem inadæquatè.

16 Ad obiectionem, con-

conceſſa maiori, nego minorem cuius falſitas conſtat ex dictis lib. 1. Phyſic. circa exiſtentiam, & actualitatem propriam materiæ primæ. Ad *primam* confirmationem, conceſſa maiori, nego etiam minorem: quia exiſtentia propria materiæ, licet incompleta, & partialis, ſufficientiſsima eſt, vt accidens in materia compleatur: nam accidens non ideo dicitur compleri in ſubiecto, quia ab eo accipiat exiſtentiam, aut exiſtat per exiſtentiam illius, ſed quia natura ſua non poteſt exiſtere niſi in alio, & inhærendo; vt autem accidens inhæreat, neſcio cur opus ſit, quod ſubiectum habeat exiſtentiam completam, & totalem propriam compoſiti, & non ſufficiat exiſtentia partialis propria materiæ.

20 Ad *ſecundam* confirmationem permiſſa, vel conceſſa maiori, nego minorem: materia enim non ſubſiſtit per ſubſiſtentiam compoſiti, ſed per partem propriam ſubſiſtentię ipſi reſpondentem, vt ſuo loco probatum eſt. Cæterum admittendo materiam primam non habere ſubſiſtentiam, & exiſtentiam propriam; ad vtramque confirmationem facilis eſt ſolutio, dicendo, ſupponi quidem ex parte materiæ exiſtentiam, & ſubſiſtentiam compoſiti, non tanquam rationem formalem *qua* recipiendi accidentia; ſed tanquam conditionem, & prærequiſitum ſe tenens ex parte materiæ, vt hæc ſola recipiat.

21 Obijc. 3. Prius eſt vnum per ſe reſultans ex materia, & forma ſubſtantiali, quam vnum per accidens reſultans ex ſubiecto, & forma accidentali: ergo materia, quæ primario ordinatur ad totum ſubſtantiale, & per ſe, prius recipiet formam ſubſtantialem, & media ipſa recipiet formas accidentales. Confirmatur: quia ſi accidentia recipiuntur in materia prima immediatè, forma ſubſtantialis informaret materiam media forma accidentali in illa præcedente: ergo ex materia, & forma ſubſtantiali non fieret vnum per ſe, ſed vnum per accidens. Probatur conſequentia: quia ex pluribus entibus in actu non fit vnum per ſe, ſed vnum per accidens; ſed ſi forma ſubſtantialis informat materiam media forma accidentali, informaret materiam, vt conſtitutam in actu per formam accidentalem: ergo ex materia, & forma ſubſtantiali non fieret vnum per ſe, ſed vnum per accidens.

22 Ad obiectionem reſpondeò, vnum per ſe ſubſtantiale reſultans ex materia, & forma ſubſtantiali eſſe prius ordine intentionis, & perfectionis, quam vnum per accidens reſultans ex materia, & accidenti: quia natura intendit totum per ſe propter ipſum, & tanquam finem; totum vero per accidens

ſolum intendit propter totum per ſe, & tanquam medium ad ipſum. Cum hoc autem optime ſtat, quod ordine executionis, & cauſalitatis totum per accidens ſit prius: quia nimirum accidentia debent in materia præcedere, vt ipſam diſponant ad ſuſceptionem formæ ſubſtantialis, & ad conſtitutionem totius per ſe; non aliter ac finis eſt prior medijs ordine intentionis, & media ſunt priora fine ordine executionis; quia videlicet media debent phyſicè influere in exiſtentiam phyſicam finis. Et confirmatur ſolutio in ſententia Thomiſtarum, quos adducunt Carmelit. hic diſp. 2. quæſt. 5. § 2. dicentium generationem non recipi in toto compoſito, ſed in materia prima prout expreſſe aſſerit D. Thom. quæſt. 3. de pot. art. 3. ad 4. Et nihilominus totum per ſe reſultans ex materia, & forma ſubſtantiali prius intenditur à natura, quam totum per accidens reſultans ex materia, & generatione; ſed quia natura conſequi non poteſt totum ſubſtantiale, quod intendit, niſi media generatione, quæ natura ſua præcedit formam, tanquam via ad ipſam, ideo ordine executionis, & cauſalitatis prius exiſtit totum per accidens ex materia & generatione, quam totum per ſe ex materia, & forma ſubſtantiali.

23 Nec valet ſi dicas cum Carmelit. eadem quæſt. §. 4. num. 61. generationem prout ſubordinatam generanti eſſe eſſentialiter accidens, & eandem prout eſt mutatio ſubſtantialis, per quam tranſit ſubiectum ab vna forma ſubſtantiali ad aliam, eſſe ſubſtantiam ſaltem modalem. Hoc inquam, nihil valet. Tùm quia impoſsibile eſt, quod eadem actio per duas illas formalitates generationis, & mutationis ſit eſſentialiter accidens, & ſubſtantia modalis: nam ſubſtantia etiam modalis, & accidens conſtituuntur in eſſe talium per differentias eſſentialiter oppoſitas, quæ nequeunt in eadem entitate inveniri. Tùm quia generatio, prout mutatio non dicitur ſubſtantialis, quia in ſua entitate ſit ſubſtantia; ſed quia prout diſtincta à mutatione ſubiecti ab vno accidenti ad aliud habet terminum ſubſtantialem; in ſua tamen entitate accidens eſt pertinens ad genus, & prædicamentum accidentis: ſi ergo hoc accidens recipitur in ſola materia prævìè ordine naturæ ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, manet inſtantia facta in ſuavi.

24 Ad confirmationem ex num. 21. Reſpondeo formam ſubſtantialem informare materiam media forma accidentali tanquam conditione, & diſpoſitione requiſita ad informationem; non

vero tanquam extremo, in quo recipiatur, aut cui vniatur forma; hæc enim, neque recipitur in forma accidentali prævia, neque ei vnitur, ſed ſoli materiæ cum qua componit totum. Quod autem ante formam ſubſtantialem ſupponatur materia informata, & actuata per formam accidentalem; non obeſt quominus ex materia, & forma ſubſtantiali fiat vnum per ſe. Tùm quia forma non conſtituit totum cum materia, vt actuata per formam accidentalem, ſed cum illa vt actuata per proprium actum, & exiſtentiam ſubſtantialem; ex forma autem, & materia vt ſubſtantialiter exiſtente, fit vnum per ſe. Tùm quia eſtò materia ante formam ſubſtantialem ſupponatur in actu per accidentalem, non ſupponitur in actu completo, ſed in actu incompleto cum intrinſeca ordinatione ad actum ſubſtantialem, quem primariò intendit; eo autem ipſoquod materia ſolum ſupponatur in actu incompleto, apta eſt componere totum per ſe cum forma, vt ſæpè diximus in Phyſicis.

25 Obijc. 4. Quantitas eſt proprietas compoſiti materialis; ſed omnis proprietas recipitur in eo, cuius eſt proprietas: ergo quantitas recipitur in compoſito materiali; & conſequenter in eodem recipiuntur reliqua accidentia; nam reliqua omnia ſupponunt quantitatem in ſubiecto in quo recipiuntur. Confirmatur: formę materiales ſunt localiter extenſæ in proprio ſubiecto: ergo recipiunt in ſe eam formam, per quam extenduntur localiter; ſed extenduntur localiter per quantitatem: ergo recipiunt in ſe quantitatem.

26 Ad obiectionem reſpondeo, quantitatem eſſe proprietatem compoſiti materialis ratione materiæ intrinſece conſtituentis compoſitum; materia enim cauſat in ſe quantitatem tanquam propriam paſsionem, ideoque compoſito materiali ex materia conſtituto debetur quantitas; ſed illi debito ſatisfit per receptionem quantitatis in ſola materia, vt de ſe patet. Confirmationis inefficacia patet per inſtantiam: nam omnia accidentia compoſiti ſunt localiter extenſa, quin iuxta Thomiſtas, aut iuxta alios, recipiant in ſe quantitatem; iuxta Thomiſtas enim quantitas recipitur in toto compoſito ſubſtantiali, & iuxta alios in materia prima: ergo ſimiliter formæ materiales poſſunt eſſe extenſæ localiter, quin recipiant in ſe quantitatem. Deinde reſpondeo: formas materiales *formaliter* eſſe extenſas à propria præſentiâ, per quam correſpondent ſpatio diviſibili; & *radicaliter* à quantitate; non quidem quia quantitatem recipiant; ſed quia cum exiſtere debeant in

co-

eodem loco cum materia, & hæc in loco quantitatis, quantitas immediatè determinans materiam, vt habeat præſentiam per quam localiter extendatur, mediate determinat formam ad præſentiam eiuſdem conditionis. Etenim ſicut iuxta adverſarios quantitas immediatè determinans compoſitum, in quo recipitur, vt habeat extenſionem localem, mediate determinat ad eandem extenſionem reliqua alia accidentia, quæ exiſtunt in eodem loco, in quo eſt compoſitum; ita iuxta nos, eadem quantitas recepta in ſola materia, & eam determinans immediatè ad extenſionem localem, mediate determinat ad ſimilem extenſionem formas, quæ exiſtere debent in eodem loco cum materia.

SECTIO II.

Vtrum accidentia diſtincta à quantitate recipiantur immediatè in materia, an potius immediatè in quantitate, & mediatè in materia?

27 Cùm certum ſit AA. ſupra relatis pro noſtra ſententia, tùm quantitatem, & alia accidentia non recipi in toto compoſito, ſed in materia; tùm etiam quantitatem immediatè recipi in ſola materia, cuius eſt proprietas; circa ſubiectum immediatum aliorum accidentium inter ſe non conveniunt. Nam PP. Hurtado, & Arriaga, quos cum alijs RR. ſequitur Carleton in Phyſica diſp. 15. ſect. 2. cenſent omnia prorſus accidentia communia immediatè recipi in ſola materia. At Exim. Doct. diſp. 14. cit. ſect. 4. pro ſe afferens Div. Thom. & Durandum docet prædicta accidentia immediatè recipi in quantitate, & media quantitate in materia prima. Suar. ſequuntur Rubio 1. de Gener. cap. 4. tract. 2. quæſt. 10. Oviedo ſupra punct. 2. Alphonſus in phyſica diſp. 14. ſect. 3. & Quiros hic diſp. 20. ſect. 3. & alij, quibus conſentit Hurt. Complut. diſp. 7. de Euchar. diffic. 4. eſtque ſententia inter noſtros RR. longe communior.

28 Noſtra concluſio ſit cum ſecunda ſententia, accidentia communia diſtincta à quantitate recipi immediatè in quantitate, & ipſa mediante in materia prima. Cui ſententiæ multum favet D. Thom. 3. part. quæſt. 77. artc. 2. vbi expreſſe docet, vnum accidens, quatenus idem eſt in ſubiecto, poſſe eſſe ſubiectum alterius accidentis, & reddit rationem: *quia poteſt vnum accidens mediante alio recipi in ſubiecto*, & inde ſubiungit, *ſuperficiem eſſe ſubiectum coloris*. Quibus ſimilia habet 1. 2. quæſt. 7. art. 1. ad 3. & quæſt. de Spirit. creat artic. 11. ad 13. ergo iuxta Div. Thom. quantitas imme-

dlate recepta in materia poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium.

29 A ratione autem, alijs omiſsis, ſic breviter probatur. Quantitas eſt ſubiectum connaturale accidentium : ergo accidentia recipiuntur immediatè in quantitate, & media ipſa in materia prima. Antecedens probatur in accidentibus conſecratis. Primò: quia in hoſtia conſecrata datur aliquod ſubiectum connaturale, cui ſaltem vniuntur accidentia communia. Tùm quia cum illa accidentia diſtincta à quantitate non vniantur immediate inter ſe, quia ad hoc non eſt fundamentum, ſi rurſus non eſt aliquod ſubiectum connaturale, & commune, cui vniantur, omnia erunt inter ſe diſſoluta, & nullum poterit moveri ad motum alterius, quod eſt contra oculatem experientiam. Tùm quia ſine dubio datur aliquod ſubiectum commune, quod ab accidentibus conſecratis denominetur album, calidum, &c. (cùm enim calor non denominetur albus ab albedine, neque albedo calida à calore, aliud eſt aſsignandum ſubiectum, quod calidum, & album denominetur) atque quod inde deducitur tale ſubiectum erit ſaltem ſubiectum vnionis accidentium, quia accidentia denominare non poſſunt ſubiectum, cui non vniuntur, vt illi præſtent ſuum formalem effectum.

30 Tùm deinde, quia accidentia communia exercent in hoſtia conſecrata ſuam contrarietatem; ſiquidem experimur hoſtiam iam eſſe calidam, iam verò frigidam, quia per frigus denuo adveniens expellitur calor præcedens, & è contra; ſed omnis contrarietas exercetur circa ſubiectum commune, vt certo certius eſt : ergo in hoſtia conſecrata datur aliquod ſubiectum commune, cui ſaltem vniantur accidentia communia. Tunc ſic; ſed ſubiectum commune, & connaturale vnionis accidentium, eſt ſubiectum receptionis eorumdem, quia in accidentibus præſertim naturalibus idem prorſus eſt ſubiectum vnionis, & receptionis : ergo in hoſtia conſecrata datur aliquod ſubiectum commune, & connaturale vnionis, & receptionis accidentium communium; ſed nullum aliud præter quantitatem poteſt aſsignari, ſiquidem de fide eſt, deficere per conſecrationem materiam, & ſubſtantiam panis : ergo de primo ad vltimum quantitas eſt ſubiectum connaturale accidentium.

31 Vnde (præter dicta in Logica tractat. 5. diſput. 3. ſect. 2.) apparet, quam certum ſit, quantitatem diſtingui realiter à materia prima. Si enim eſſet idem cum illa, deficeretque deficiente per conſecrationem inte-

integra ſubſtantia panis, accidentia vtpote neque inter ſe, neque in aliquo tertio communi vnita diſſoluta eſſent; & nullum ad motum alterius moveri poſſet; deindeque nullum eſſet ſubiectum, quod ab ipſis denominaretur, aut in quo, & circa quod ſuam contrarietatem poſſent exercere.

32 Explicatur, & vrgetur ratio facta. Nam agentia naturalia in accidentibus conſecratis naturaliter producunt ſuas qualitates. Siquidem recurrere ad Deum, vt miraculoſè, & per creationem eas producat, parum phyloſophicum eſt; imo, & cõtra rectam Phyloſophiam, quæ ſine evidenti ratione in contrariũ nunquã negat agentibus naturalibus præſentibus, & proportionatis, effectus naturales qui ſub experientiam cadunt; at agentia naturalia producere non poſſunt per creationem, ſed per eductionem, & generationem; quæ pariter eſt paſsio, & receptio termini educti, & generati. Ex dictis loco ſupra cit. ex lib. 2. Phyſic. ergo in accidentibus conſecratis datur ſubiectum connaturale, in quo recipiantur qualitates, & accidentia producta ab agentibus naturalibus; illudque ſubiectũ eſt quantitas perſeverans poſt deſitionem ſubſtantiæ panis. Solutiones, quæ huic argumento parari poſſent reiectæ ſunt in Logica loco cit.

33 Obijc. Omnia accidentia diſtincta ab extenſione, & preſentia quantitatis, diſponunt immediatè materiam primam ad recipiendam formam ſubſtantialem: ergo recipiuntur immediatè in materia prima. Conſequentia probatur: quia accidentia, ſiquidem non aliter diſponunt ſubiectum ad formam quam per ſui receptionem in ipſo, in eo ſanè ſubiecto recipiantur immediatè, quod diſponunt immediatè ad recipiendam formam. Confirmatur: accidentia recipiuntur immediate in ſubiecto, in quo immediate recipitur forma, ad quam diſponunt. Sed forma ſubſtantialis ad quam diſponunt accidentia recipitur immediatè in materia: ergo, & accidentia.

34 Sed hoc argumentum inſtatur in extenſione, & præſentia quantitatis; quę quidem extenſio non mediate, ſed immediatè diſponit materiam, vt recipiat formam ſubſtantialem, & nihilominus apud omnes non recipitur immediatè in materia, ſed in quantitate: ergo eſto accidentia alia diſponant immediatè materiam, vt recipiat formas, non ideo debent recipi immediatè in materia prima. Deinde conceſſo antecedenti argumenti; nego conſequentiam, & eius probationem vniverſaliter ſumptam, propter proxime dicta in inſtantia. Nam accidentia diſponere in immediatè materiam ad formam ſubſ-

tantialem duo dicit: primum, illam præparare ad formam, quatenus ipſis non exiſtentibus, & præcedentibus ex parte materiæ, hæc ſua exigentia non movebit efficaciter Deum, vt formam producat; ſecundum autem, nullum eſſe alliud ſubiectum diſtinctum à materia, quod per accidentia præparetur ad formam. At vtrumque horum ſtat optimè cum immediata receptione accidentium in quantitate: quia quantitas medians inter materiam, & formam non præparatur ad illam recipiendam, quia videlicet quantitas non eſt id, quod ſimul cum forma conſtituit totum ſubſtantiale, & forma in eo ſolo ſubiecto recipitur, cum quo conſtituit totum.

35 Vnde accidentia immediatè recepta in quantitate diſponunt materiam, & immediatè diſponunt. Diſponunt materiam, quia hæc ſine quantitate, vt cum alijs accidentibus coniuncta nō eſt apta conſtituere totum: diſponunt deinde immediatè, quia nullum aliud ſubiectum diſponunt præter materiam, vt de extenſione, & præſentia quantitatis omnes tenentur dicere. Atque inde colliges, quod nō ideo præciſſe recipitur quantitas immediatè in materia, quia immediatè diſponit materiam, ſed quia illam diſponit, & inter ipſam, & materiam nihil mediat, in quo recipiatur immediatius: reliqua vero accidentia, licet immediatè in quantitate recepta, immediate diſponunt materiam propter rationem datam. Ad confirm. nego maiorem de accidentibus diſtinctis à quantitate.

36 Obijc. 2. Quantitas ſufficienter diſtinguitur ab alijs accidentibus, in eo quod radicaliter extendat materiam, vt recipiat diſpoſitiones ad formas, & ipſas formas: ergo in eo ſtabit totum quantitatis munus, quin opus ſit ipſi rurſus tribuere munus recipiendi reliqua accidentia, & diſpoſitiones. Nego conſequentiam: quia licet quantitas ſufficienter diſtinguatur metaphyſicè ab alijs accidentibus (demus hoc) in eo quod ſit radix extenſionis materiæ pro receptione diſpoſitionis, & formarum; dico tamen propter probationem concluſionis, de eſſentia phyſica eiuſdem quantitatis eſſe recipere immediatè alia accidentia, & diſpoſitiones ad formas ſubſtantiales.

SECTIO III.

Qua ratione præcedant ex parte materiæ diſpoſitiones ad introductionem, & conſervationem formæ ſubſtantialis?

37 Certum eſt primò diſpoſitiones, ſeu quod idem eſt, quantitatem cum temperamento primarum qualitatum aliqua ratione requiri, & prærequiri ex parte materiæ ad pri-

primam productionem formæ ſubſtantialis: nam experientia notum eſt, nullam formam produci in materia, quin prius producantur in ipſa aliqua accidentia; calor enim prævie producitur in ligno, vt producatur ignis, frigus in aëre, vt producatur aqua, calor, & levitas in aqua, vt ex eius materia generetur aër.

38 Certum mihi eſt ſecundò, non ideò ſemper produci prævie accidentia, & qualitates in materia, vt per ipſas auferatur indifferentia, quam habet materia ad omnes formas determineturque potius ad hanc, quàm ad illam. Nam ſæpè applicatur materiæ ligni ad producendam formam ignis agens fortius ad illam producendam, quàm eſt agens conſervans formam ligni; ſed hoc ipſo ſufficienter redditur materia determinata ad formam ignis potius, quam ad formam ligni: ergo non ideo agens applicatum materiæ ad producendum ignem producit prius in illa calorem, vt auferatur eius indifferentia, & determinetur potius ad formam ignis quam ad formam ligni. Certum mihi eſt tertiò diſpoſitiones, neque ad introductionem, neque ad conſervationem formæ ſubſtantialis præcedere in generè efficientis phyſici, quia iuxta dicta in phyſicis, accidentia, neque inadæquatè poſſunt concurrere ad productionem ſubſtantiæ. Quibus poſitis, dubium eſt, quodnam ſit illud genus præcedentiæ, quam habent diſpoſitiones reſpectu productionis formæ; & an in eodem genere præcedant etiam ad formę conſervationem?

39 Dico 1. Diſpoſitiones ideo præcedunt in materia ad productionem formæ ſubſtantialis, quia materia eſt intrinſecè improportionata, vt formam recipiat ſine accidentibus proportionatis naturę formæ ſuſcipiendæ, ideoque exigit ante formæ ſuſceptionem præparari, & diſponi per accidentia. Ita communiter AA. quibus ſolus, quem viderim, ſe opponit Spinula diſp. 1. ſect. 2. Probatur 1. Diſpoſitiones, iuxta naturas rerum, neceſſariò præcedunt in materia ante formæ productionem; ſed non præcedunt præciſſe, vt auferant indifferentiam materiæ, vt probatum manet; deinde non pręcedunt pręciſſe ex exigentia agentis productivi formæ; non in quam præcedunt præciſſe ex exigentia agentis præſcindendo ab exigentia materiæ; quia agens intendens producere formam, non eſt cur ante formam producat accidentia, niſi quia materia non poteſt eam recipere, niſi per accidentia pręparetur: ergo ideò diſpoſitiones præcedunt ex parte materiæ, quia hæc eſt intrinſicè improportionata, vt formam recipiat, niſi prius diſponatur, ideòque exigit accidentia, & diſpoſitiones pręmitti ad productionem formæ.

40 Probatur 2. Neceſſitas illius præviæ diſpoſitionis, quæ per accidentia fit in materia tribuenda eſt exigentiæ alicuius cauſæ, vt patet; ſed non alterius, quam materiæ: ergo exigentiæ materiæ tribuenda eſt; & conſequenter ideò diſpoſitiones præcedunt introductionem formæ; quia materia exigit phyſicè diſponi, & præparari per ipſas, vt poſsit formam ſuſcipere. Ideò ſolemne eſt Pyloſophis dicere diſpoſitiones præcedere ad formam in genere cauſæ materialis; quia videlicet ad formam præcedunt ex exigentia materiæ, quæ non aliter formam poteſt recipere neque exigit à Deo eius productionem, quouſque cum talibus determinatis accidentibus ſit coniuncta, & per illa diſpoſita, & præparata.

41 Cæterum præter hanc præcedentiam diſpoſitionum in genere cauſæ materialis, rectè tribuitur eiſdem alia præcedentia in genere cauſæ efficientis moralis, quam lib. 2. Phyſic. diſp. 2. ſect. 2. tribuimus conditionibus, & prærequiſitis ſe tenentibus ex parte cauſæ, vt bene obſervat Oviedo vbi ſupra punct. 3. Nam cauſa efficiens moralis ea dicitur, quæ cum nullum ponat influxum phyſicum in effectum ſua tamen exigentia movet Deum Authorem naturæ, vt vel ſe ſolo producat effectum, vel vt cauſæ creatæ præbeat ſuum generalem concurſum ad eum producendum; ſed diſpoſitiones ita ſe habent: ergo diſpoſitiones præter præcedentiam quam, ex eo quod diſponunt materiam, habent in genere cauſæ materialis, habent vlterius præcedentiam in genere cauſæ efficientis moralis. Maior conſtat ex dictis loco cit. Minor verò probatur: quia ſæpè dum in materia producitur forma aliqua non datur agens creatum eam continens; ſed producitur à Deo ad exigentiam accidentium exiſtentium in materia; dum enim in materia ſtupæ producitur ignis ad præſentiam caloris producti à luce traiecta per chriſtallum, nec lux, nec calor producunt formam ignis, ſed Deus ad exigentiam caloris, & aliorum ſtupæ accidentium, vt dictum eſt in Phyſica diſput. de cauſa efficiente creata, vbi omnem phyſicum influxum in ſubſtantiæ productionem negavimus accidentibus: ergo diſpoſitiones non influentes efficienter phyſicè in productionem formæ ſubſtantialis, ſua exigentia movent Deum, vt eam producat; conſequenterque ad illam concurrunt in genere efficientis moralis.

42 Dico 2. Diſpoſitiones, quæ ex parte materiæ præcedunt poſitivè, & per ſe ad primam productionem, & introductionem formæ, eodem iure

iure præcedunt poſitivè, & per ſe ad formæ conſervationem. Oppoſitum docent PP. Hurtado hic diſp. 1. ſect. 1. ſub ſect. 1. & Oviedo controv. 2. punct. 4. aſſerentes, ad introductionem, & conſervationem formæ ſolam quantitatem præcedere poſitivè, & per ſe ex parte materiæ; reliqua vero accidentia, præcedere quidem ex parte materiæ ad productionem huius formæ præ alia, vt auferant indifferentiam, quam materia habet ad omnes; at forma iam producta, & indifferentia materiæ determinata, nullam iam habere prioritatem reſpectu conſervationis formæ, ſed hanc potius conſervari in vi, & efficacia ſuæ exigentiæ. Vnde conſequenter dicunt omnia accidentia diſtincta à quantitate in primo inſtanti formæ, in quo ad illam præcedunt non conſervari à forma, ne detur mutua cauſalitas; conſervari tamen ab ipſa in inſtantibus ſequentibus, in quibus non præcedunt ad formæ conſervationem.

43 Pro noſtra autem concluſione ſtant expreſſè P. Alphonſ. diſp. 14. Phyſicæ ſect. 4. Quiros hic, diſp. 70. ſect. 3. pluresque RR. & probatur 1. ex communi ſenſu Phyloſophorum partim docentium, formas iam productas, & per aliquod tempus conſervatas, deficere poſtea à materia ex defectu diſpoſitionum. Atque inde etiam conſtat, quia anima ætherogeneè informans diverſas partes materiæ, etiam in conſervari dependet ab ætherogenea diſpoſitione conſtituta per temperamentum primarum qualitatum; ideoque eo temperamento deficiente deficit anima. Vnde ſic arguo; ſed non deficiunt ex defectu quantitatis, ſiquidem quantitas non deficit, ſed perſeverat ſemper in materia, quæ manet etiam dum deficit forma: ergo forma iam producta in materia non dependet in conſervari tanquam à diſpoſitione à ſola quantitate; ſed etiam ab alijs accidentibus: aliàs non deficeret ex eorum defectu; ſed quod ab alio dependet tanquam à diſpoſitione dependet ab eo à priori, nam omnis diſpoſitio, vt talis habet præcedentiam ad terminum ad quem diſponit: ergo non ſola quantitas, ſed alia etiam accidentia præcedentia poſitivè ad primam productionem formæ, præcedunt etiam ad eius conſervationem.

44 Probatur 2. ſupponendo, quod certiſsimum eſt; nempe materiam, non ſolum in inſtanti productionis, ſed etiam in inſtantibus conſervationis cauſare materialiter formam, vel ſaltem eius vnionem, quando forma ſpiritualis eſt. Ex quo ſic arguo materia in inſtanti productionis, & conſervationis formæ, cauſat materialiter formam aut eius vnionem: ergo in inſtanti productionis, & conſervationis formæ, & vnionis præcedit ad ip-

ipſam, vt proximè potens ipſam cauſare. Patet conſequentia: quia propriori naturæ cuiuſvis cauſæ ad effectum præcedit cauſa, vt proximè potens ad ipſum; ſed materia non eſt proximè potens cauſare formam, & vnionem per ſuam entitatem præciſſe, neque per ſolam additionem quantitatis; ſed ea potentia proxima cauſandi vltra materiæ entitatem addit ex parte ipſius entitatem prærequiſitorum, vt conſtat ex ea diſput. 2. cit. lib. 2. Phyſicor. ergo materia in inſtanti productionis, & conſervationis formæ, & vnionis præcedit ad ipſas, vt coniuncta cum diſpoſitionibus, & accidentibus, quæ ſunt prærequiſita, vt materialitèr cauſet; & conſequenter diſpoſitiones etiam diſtinctæ à quantitate præcedunt poſitivè ad productionem, & conſervationem formæ.

45 Deſumitur hæc ratio ex D. Thom in 4. diſt. 49. q. 2. art. 6. dicente. *Forma non coniungitur perfectibili, niſi quando perfectibile habet diſpoſitiones, quibus efficitur ſuſceptivum talis formæ; ſicut corpus non vnitur animæ, niſi quando in corpore ſunt diſpoſitiones convenientes ad animam ſuſcipiendam.* Ecce ait Div. Thom. corpus (quod apud Noſtros communiter ſervat materiam cum quantitate, ſeu materiam quantam) per diſpoſitiones fieri ſuſceptivum formæ, & eiuſdem cauſativum, ſiquidem receptio formæ eſt propria materiæ cauſalitas. Cum ergo materia in omni inſtanti, in quo recipit formam, ſit propriori ad ipſam illius receptiva, & cauſativa; & alias cauſet formam etiam in inſtanti conſervationis, patet inde iuxta Div. Thomam, diſpoſitiones, quibus materia fit ſubſceptiva formæ præcedere, tùm ad eius productionem, tùm ad eius conſervationem.

46 Obijc. 1. Accidentia diſtincta à quantitate, ideò ſolum requiruntur in materia, vt ſua exigentia determinet Deum, vt producat hanc formam præ alia, & ſic materiæ indifferentiam determinent; ſed dum iam eſt forma producta, ipſa in vi ſuæ ſolius exigentiæ poteſt obtinere à Deo ſuam conſervationem independenter ab exigentia accidentium: ergo prædicta accidentia, eſtò præcedant poſitivè ad primam productionem formæ deeſt titulus, vt præcedant etiam poſitivè ad formæ conſervationem. Reſpondeo negando maiorem: non enim præcedunt accidentia ad primam formæ productionem ex ſolo titulo aſsignato (imò eo ſolo titulo attento, neceſſaria non eſt ſæpè ea præcedentia, quia indifferentia materiæ ad hanc, & illam formam ſufficienter determinari poteſt per exigentiam, & efficaciam agentis fortioris intendentis producere novam formam) ſed præcedunt etiam, vt per ſuam phyſicam entitatem, & in-

informationem præparent, diſponant, & quaſi ornent materiam, & ſic eam faciant ſuſceptivam formæ, vt ait D. Tho. Cumque tam in reliquis inſtantibus, quam in primo materia ſuſcipiat, & cauſet formam, in omnibus fit ſuſceptiva per diſpoſitiones, & hæc conſequenter in omnibus præcedunt poſitivè ad formam.

47 Deinde permiſſa maiori, reſponderi poteſt ſecundo negando minorem: quia forma ſemel producta non exigit; vtcumque vlterius conſervari; ſed hæc ipſa exigentia eſt dependens à priori à diſpoſitionibus; ſiquidem forma non aliter, quàm vt connaturaliter exiſtens, & dependens à materia petit in materia conſervari; dependet autem à priori à materia, vt diſpoſita, ſicut dependet à materia, vt cauſante. Cuius vlterior ratio eſt: quia diſpoſitiones præcedentes poſitivè ad conſervationem formæ ex munere conſtituendi materiam diſpoſitam, & proximè cauſativam formæ, exigunt formam conſervari, ſicut in inſtanti antecedenti exigebant formam produci; ſed hoc ipſo conſervabitur forma, tùm propter ſuam exigentiam, tùm propter exigentiam diſpoſitionum; quia dum vtraque exigentia coniungitur ad vtramque Deus attendit, vt formam conſervet, ſicut, iuxta te, quia pro priori ad primam productionem coniungitur exigentia diſpoſitionum, & agentis extrinſeci continentis formam, ad vtramque exigentiam attendit Deus, vt præſtet ſuum concurſum ad primam productionem: ergo dum iam eſt forma producta, non conſervatur in vi ſuæ exigentiæ ſolius independenter ab exigentia diſpoſitionum.

48 Obijc. 2. Plures diſpoſitiones prærequiruntur ex parte materiæ ad primam productionem formæ, quam ad eius conſervationem; forma enim aquæ non producitur primo, niſi in ſubiecto intenſe frigido; & nihilominus conſervatur cum remiſſo frigore, vt patet in aqua ferventi: ergo diſpoſitiones, quæ ex parte materiæ præcedunt ad productionem formæ, non præcedunt ad eius conſervationem. Cõfirmatur. Forma aquæ (quod idem ſervata proportione de alijs formis ſentiendum eſt) in inſtantibus ſuæ conſervationis, conſervat, & producit ſuam frigiditatem. Quod patet primò: quia frigiditas eſt proprietas aquæ, & quævis eſſentia producit, & conſervat ſuas proprietates. Secundò: quia dum aqua calefit; ſi ſeparetur extrinſecum calefaciens, reddit ſe ad priſtinum ſtatum producendo, & conſervando frigiditatem. Tertiò: quia ita ſentire videtur D. Thom. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. vbi

de

de calorē diſponente ad formam ignis, dicit non perire ea forma adveniente; ſed potius remanere, *quaſi effectum talis formæ*: ergo, & formam aquæ conſervat, & producit ſuam frigiditatem, quia eadem eſt vtriuſque ratio. Tunc ſic: ergo frigiditas non præcedit ad conſervationem formæ aquæ. Probatur conſequentia: quia ſi præcederet ad conſervationem formæ, cum aliàs forma ipſa conſervet frigiditatem, inter frigiditatem, & formam daretur mutua prioritas, & cauſalitas.

49 Ad argumentum diſtinguo antecedens: plures diſpoſitiones prærequiruntur poſitivè, & per ſe ex parte materię ad primam formæ productionem, quam ad conſervationem, nego; negativè, & per accidens, concedo antecedens: & diſtinguo conſequens: diſpoſitiones, quæ ex parte materiæ præcedunt poſitivè, & per ſe ad produictionem formæ, non præcedunt ad eius conſervationem, nego: quæ ſolum præcedunt negativè, & per accidens concedo conſequentiam. Explicatur ſolutio. Illæ diſpoſitiones prærequiruntur, & præcedunt per ſe, & poſitivè ex parte materię ad introductionem formę, quibus poſitive indiget materia, vt abſolute habeat, & ſuſcipiat formam, & quibus indiget forma, vt abſolute ponatur, & ſuſcipiatur in materia; illæ vero præcedunt negativè ſolum, & per accidens, quibus, neque indiget materia, vt abſolute habeat formam; neque forma, vt abſolute ſit, & ſuſcipiatur in materia; ſed vt materia habeat formam ad præſentiam agentis contrarij conſervantis oppoſitas diſpoſitiones, & vt forma introducatur contra reſiſtentiam illius agentis, & vincendo eius conatum.

50 Priores diſpoſitiones præcedunt poſitivè, & per ſe ad introductionem, & conſervationem formæ: quia per ipſas materia conſtituitur potens proximè cauſare, & conſervare formam; & ideo, ex earum defectu, deficit formę conſervatio, vt apparet in aqua, quæ in vapores reſolvitur, dum per nimium calorem amittit debitum temperamentum frigiditatis. Poſteriores diſpoſitiones non præcedunt per ſe, & poſitivè ad productionem formæ; ſed per accidens, & negative: quia ſolum præcedunt, vt expellant, & removeant à ſubiecto diſpoſitiones oppoſitas conſervatas ab agente contrario, & quæ ſi non expellerentur impedirent, & prohiberent formæ productionem. Quod autem ſolum præcedit ad formam *tamquam removens prohibens*, non præcedit ad illam poſitivè, & per ſe, ſed ſolum per accidens ideoque; ſine illo rectè poteſt conſervari forma, & defacto conſervatur, vt patet in exemplo aquæ ferventis

tis adducto: imò, & ſine illius præcedentia produceretur connaturaliter forma, ſi non eſſent in materia oppoſitæ diſpoſitiones expellendæ. Vnde, tota ea intenſio qualitatis, quæ per ſe non præcedit ad formam introducendam, dicitur diſpoſitio *exuperans*, & præcedens *tanquam removens prohibens*, per accidens, & negative. Hinc.

51 Ad confirmationem reſpondeo, aquam in inſtanti ſuæ conſervationis non producere, aut conſervare frigiditatem; quoad eos gradus, qui poſitivè, & per ſe præcedunt ad eius productionem; hi enim gradus, ne detur mutua cauſalitas, conſervantur à Deo, vel ab agente naturali producente aquam, ſi tale agens ſit præſens. Producit tamen, & conſervat aqua eos gradus frigiditatis, qui in primo inſtanti præceſſerunt ſolum, vt removerent prohibens: quia cum in inſtantibus ſequentibus primum iam ſit expulſum, & victum contrarium, deeſt titulus præcedendi, adhuc negativè, & per accidens; ideoque abſque abſurdo mutuæ cauſalitatis gradus illi conſervantur à propria forma.

52 Neque vrgent rationes in contrarium factæ. Ad *primam* enim dicimus, non eſſe de ratione proprietatis, & propriæ paſſionis, quod producatur, & conſervetur à propria forma, & eſſentia quoad omnes ſuos gradus; ſed tantum quoad illos, qui per ſe, & poſitive non præcedunt ad eſſentiam producendam, & conſervandam. Ad *ſecundam*: verum quidem eſt aquam ſe moto extrinſeco calefaciente reducere ſe ad priſtinam frigiditatem, quia producit eos gradus quos conſervabat ante actionem contrarij; at illi gradus non erant ex præcedentibus *poſitivè* & *per ſe* ad aquam producendam, & conſervandam; ſed ex gradibus negative, & per accidens præcedentibus. Ad *tertiam*, ſimiliter dicimus. D. Thomam ſolum docere permanere cum igne, tanquam eius effectum calorem diſponentem; permanere inquam, tanquam eius effectum quoad eos gradus, qui ſolum negativè, & per accidens præceſſerunt ad ignem. Atque in eodem ſenſu explicandus eſt P. Suar. diſp. 18. ſect. 10. num. 10. vbi oppoſitum videtur docere.

53 Obijc. 3. Forma embrionis conſervatur in materia ſine vltima diſpoſitione per ſe, & poſitive præcedente ad eius introductionem: ergo diſpoſitiones poſitivè præcedentes ad introductionem formæ, non præcedunt poſitivè ad illius conſervationem. Antecedens probatur: quia cum materia embrionis non ſit ſecundum omnes ſuas partes æquè applicata agenti eam diſponenti ad formam viventis, neceſſarium eſt, quod prius diſponatur vltimo ſecundum

dum aliquas partes, quam ſecundum alias, & cum aliunde forma viventis non introducatur in prima generatione in aliqua parte materiæ, quouſque introducatur in tota ea extenſione materiæ, quam poſtulat, vt conſtituat compoſitum vivens iuxta dicenda in ſequentibus, conſequens eſt vltimam diſpoſitionem ad formam viventis exiſtere in aliqua parte materiæ ſimul cum forma embrionis, quæ non expellitur niſi per adventum formæ viventis. At in eo caſu forma embrionis exiſtit ſine vltima diſpoſitione poſitive præcedente ad eius introductionem; ſiquidem ea vltima diſpoſitio eſt incompoſſibilis cum vltima diſpoſitione ad formam viventis: ergo forma embrionis conſervatur in materia ſine vltima diſpoſitione per ſe, & poſitivè præcedente ad eius introductionem.

54 Reſpondeo cum communi negando antecedens; ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem, & ad rationem, per quam probatur, reſpondeo, vltimam diſpoſitionem ad formam viventis incompoſſibilem cum forma embrionis eſſe eam ſolam, cui debita, & annexa eſt introductio formæ viventis incompoſſibilis cum forma embrionis: nam tota incompoſſibilitas diſpoſitionum oritur ex repugnantia formarum, ad quas diſponunt; at vltima diſpoſitio, cui debita, & annexa eſt introductio formæ viventis, non eſt vltima diſpoſitio vnius, vel alterius partis materiæ, ſed omnium, quæ in prima generatione informari debent, vt bene ſupponitur in argumento; ideoque rectè ſtat, aliquam partem materiæ eſſe vltimo diſpoſitam ad formam viventis, & adhuc permanere in ipſa vltimam diſpoſitionem, quæ poſitivè præcedit, vt in eadem parte conſervetur forma embrionis.

DISPVTATIO II.

De Generatione ſubſtantiali.

Explicatis his, quæ generationem ſubſtantialem præcedunt, conſequens eſt, vt de generatione ipſa ſit ſermo.

SECTIO I.

Explicatur generationis ſubſtantialis natura, & eius terminus aſsignatur.

1 Generatio vniverſaliter ſumpta, prout diſtincta à creatione, nihil aliud eſt, quam eductio, cuius naturam explicuimus lib. 3. Phyſic. diſp. 1. ſect. 3. §. 1. ex ibi dictis generatio, vt ſic, & vt à ſuis ſpeciebus præciſſa definienda eſt: *actio producens ſuum terminum dependen-*

denter à præſuppoſito ſubiecto ſuſtentationis. Generatio dividitur in accidentalem, & ſubſtantialem. Illa eſt: *productio entis accidentalis dependenter à præſuppoſito ſubiecto ſuſtentationis.* Iſta verò: *productio entis ſubſtantialis dependenter à præſuppoſito ſubiecto ſuſtentationis.* Generatio ſubſtantialis alia eſt viventium, ſeu per quam ſubſtantia vivens producitur, de qua infra agendum eſt: alia non viventium, ſeu per quam producitur ſubſtantia non vivens, vt lapis, ignis.

2 Tripliciter autem conſiderari poteſt, quod contingat generatio ſubſtantialis, ſive viventium, ſive non viventium. Primo ſine mutatione ſubiecti, quia videlicet in eodem inſtanti reali, in quo creatur à Deo materia educatur ex ipſa forma ſubſtantialis, ideòque materia non tranſeat, nec mutetur à privatione formæ ad formam: quod an contingere poſsit dicemus ſect. 2. Secundo cum mutatione ſubiecti, quod tunc accidit, quando materia prima in aliquo inſtanti reali temporis præcedit ſine forma ſubſtantiali, quam poſtea recipit per generationem: in hoc enim caſu generatio eſt etiam mutatio ſubſtantialis, quia per ipſam mutatur, & tranſit materia à privatione formæ ſubſtantialis ad ipſam formam. Tertio cum mutatione ſubiecti ab vna forma ſubſtantiali ad aliam; quod accidit quando materia ex vi formæ advenientis per generationem amittit formam, quam habebat in inſtanti reali antecedenti, & hæc generatio dicitur generatio ſubſtantialis converſiva, ſeu converſio ſubſtantialis.

3 His circa generationem ſubſtantialem, & eius ſpeciebus conſtitutis, quæſtio eſt circa eius terminum. Et quidem terminus generationis ſubſtantialis alius dicitur totalis, alius formalis. Terminus totalis apud omnes eſt totum, & compoſitum; circa terminum vero formalem diſsident AA. nam Conimb. cum P. Vazq. ſentiunt terminum formalem generationis eſſe terminum illum, qui ſe habet, vt forma termini totalis; ideoque abſolutè cenſet formam compoſiti geniti eſſe terminum formalem generationis. Alij vero dicunt terminum formalem generationis, eſſe illam entitatem, cuius generatio dicitur, & denominatur generatio compoſiti: & quia generatio vnionis denominatur generatio compoſiti, quia, vt patet in homine, vnio ſola generatur, & inde homo generatus dicitur, diceretur que, non genitus, ſed creatus ſi vnio per creationem produceretur, ideò iuxta hunc dicendi modum vnio eſt terminus for-

ma-

malis generationis. Ita Hurt. apud, & cum Oviedo hic controv. 2. punct. 4. qui adit cum Cardinalis de Lugo diſp. 11. de Incarnat. Sect. 2. terminum formalem generationis, ſi hæc conſideratur, quatenus per ipſam inducitur, & communinicatur forma materiæ, eſſe formam termini totalis, quia per generationem non dicitur vnio inducta in materia; ſed forma.

5 Alij autem cum P. Alphonſ. hic diſp. 6. ſect. 2. dicunt terminum formalem generationis coaleſcere ex vnione, & forma, quia terminus formalis debet eſſe ille, per quem terminus totalis conſtituitur in eſſe talis: ſed compoſitum, quod eſt terminus totalis generationis conſtituitur in eſſe talis per vnionem, & formam; ergo coniunctum ex vtraque eſt terminus formalis generationis.

5 In hac quæſt. quæ levis eſt momenti, ego iudico loquendum eſſe cum diſtinctione. Nam terminus formalis generationis, & poteſt ſumi pro entitate illa, quæ per generationem denominatur genita: & pro entitate illa, quæ nō ſolum denominatiuè; ſed propriè, & formaliter generatur. Terminus formalis in primo ſenſu coincidit cum termino totali, & compoſito, quod à generatione vnionis denominatur genitum; at in ſecundo ſenſu, in generatione hominis ſola vnio eſt terminus formalis; quia ipſa ſola propriè generatur; in alijs vero compoſitis, in quibus vnio, & forma generantur, vtraque erit terminus formalis generationis; ſicut enim cuiuſvis actionis, vt productio eſt, ille dicitur terminus eius formalis, qui non ſolum denominatiuè; ſed propiè per illam producitur, ita terminus formalis generationis, prout eſt talis productio, dicetur quidquid per ipſam propriè, & non ſolum denominatiuè producitur.

6 Sed quia, vt verius reor, diſputatio procedit de termino formali generationis, pro vt generatio eſt productio compoſiti, cenſeo abſolute dicendum eſſe cum Oviedo, & Hurtad. ſup. terminum formalem generationis eſſe ſolam vnionem. Cuius ratio eſt: quia terminus formalis generationis, in hoc ſenſu, eſt id, cuius generationi tribuitur, quod compoſitum ſit generatum: ſed ſola vnio eſt id, cuius generationi tribuitur, quod compoſitum ſit generatum: ergo ſola vnio eſt terminus formalis generationis. Maior conſtat, quia ſi vnio generatur, licet non generetur forma, compoſitum dicitur genitum, ſecus autem ſi vnio non generetur, licet generetur forma; cum enim productio vnionis ſit, & dicatur productio compoſiti, vt ſæpè dictum eſt in Phyſicis, generatio vnionis dicitur compoſiti generatio; compoſitumque conſequen-

quenter non diceretur genitum, ſi non generaretur vnio.

7 Dices: compoſitum non dicitur generari, niſi vltra generationem vnionis, forma communicetur materię: ergo forma etiam adintegrat terminum formalem generationis; ſed contra eſt, quia ſola vnio eſt communicatio formę ad materiam, neque agens aliter communicat activè formam materię, quam eam materię vniendo: ergo ſola vnio eſt communicatio formę ad materiam, ideoque ipſa ſola eſt terminus formalis generationis.

SECTIO II.

Duplex quæſtio deciditur circa generationem ſubſtantialem.

8 PRima eſt: vtrum generatio ſit eſſentialiter mutatio? Affirmant Thomiſtæ plures, quos ſequuntur Prado hic quæſt. 3. Lerma q. 2. & ex noſtris Conimbric. cap. 4. q. 9. art. 1. & Rubius tract. 1. q. 2. Negant communiter AA. noſtri, præſertim Hurt. Arriag. Oviedo, Carleton, & Alphonſ. cum P. Suarez diſp. 18. met. ſect. 10. quibus conſentiunt Carmelit. Complut. diſp. 2. q. 2. §. 4. qui dicunt hanc ſententiam eſſe communem inter Thomiſtas.

9 Noſtra concluſio eſt cum ſecunda ſententia, generationem non eſſe eſſentialiter mutationem. Probatur 1. Quia ſi Deus, vt verè potuit in primo inſtanti creationis materiæ produceret in illa formam per eductionem ſe ipſa dependentem à materia, daretur vera generatio ſubſtantialis; nam vt ſuprà dicebamus, ſicut generatio vt ſic prout à creatione diſtincta, nihil aliud eſt, quam eductio, ita generatio ſubſtantialis, nihil aliud eſt, quam eductio termini ſubſtantialis ex materia; ſed in eo caſu, nulla eſſet mutatio; ergo de eſſentia generationis non eſt mutatio. Minor probatur, quia cum mutatio ſit tranſitus ſubiecti à privatione formæ ad formam, & aliunde forma, & eius privatio non poſsint in eodem inſtanti reali coniungi in materia, vt detur in generatione ſubſtantiali mutatio opus eſt, quod materia ſaltem per vnum inſtans reale temporis ſit ante formam, cum formæ privatione; at in caſu poſito, nec per vnicum inſtans eſſet materia ante formam, & cum formæ privatione, vt patet: ergo in eo caſu nulla eſſet mutatio.

10 Dices tamen, adhuc in eo caſu dari in materia privationem formæ requiſitam ad mutationem; quia licèt materia per nullum inſtans temporis præcedat ſine forma, & cum formæ privatione, præcedit tamen cum ea privatione in inſtanti, aut ſigno na-

turæ: nam in eo primo inſtanti reali, in quo materia recipit formam per generationem, præcedit pro priori naturæ ſine forma, & cum formæ privatione. Quæ ſolutio confirmari poteſt ex D. Thom. quæſt. 4. de pot. art. 1. ad 6. vbi loquens de prima conditione rerum ait: *privatio non fuit tempore in materia ante formam; ſed quia materia ante formam intellecta cum privatione intelligitur.*

11 Sed contra, eſt: quia impoſsibile eſt, quod in inſtanti reali, in quo datur forma detur, adhuc pro priori ad formam, privatio formæ; etenim privatio formæ, & forma ipſa opponuntur contradictoriè, & quæ ſic opponuntur nequeunt intra idem inſtans reale exiſtere, adhuc pro diverſis ſignis naturæ, vt diximus ſæpe, & præcipuè lib. 1. Phyſicor. diſp. 1. ſect. 2. à num. 24. vbi hanc ſolutionem reiecimus, & ſolvimus quidquid à ratione ipſi favere poteſt. Non ergo datur in caſu argumenti privatio requiſita ad mutationem. Neque favet D. Thom. qui minimè docet in prima rerum conditione præceſſiſſe privationem formæ pro priori naturæ ad ipſam formam; ſed ſolum ait, facile nos decipi iudicando privationem formæ extitiſſe in illo ſigno naturæ, & prioritatis, in quo nondum intelligimus, neque affirmare poſſumus, quod exiſtat forma; hæc autem deceptio ex pravo intelligentia nihil facit ad rem præſentem.

12 Deinde roboratur probatio noſtra. Primo: quia nullum apparet caput propterquod privatio formæ debeat præcedere in materia ve ex ipſa generetur forma: ergo nullum eſt caput propterquod ad conceptum generationis pertineat intrinſecè, & eſſentialiter mutatio. Dices, privationem ex eo debere præcedere in materiâ ante generationem formæ, quia forma non generatur, niſi in materia prius diſpoſita, & toto eo tempore, quo materia diſponitur ad formam, nondum eſt forma; ſed eius privatio, ſed contra eſt: quia in primo inſtanti productionis materiæ produci etiam potuit à Deo tota diſpoſitio neceſſaria pro formæ generatione; abſurdè enim hoc negabitur potentiæ Dei: ergo vt forma generetur in materia diſpoſita, non eſt neceſſum, quod privatio formæ præcedat in materia.

13 Fateor de facto privationem præcedere in materia, dum ab agentibus naturalibus diſponitur ad formam: verum hoc non provenit ex conceptu, & natura generationis; ſed tum, ex eo quod ante productionem cuiuſvis

vis determinatæ formæ ſupponitur materia cum alia forma, & conſequenter cum privatione præducendæ: Tum ex limitata activitate agentium, quæ non niſi ſucceſsivè poſſunt producere in materia qualitates diſponentes propter reſiſtentiam contrariarum qualitatum; ſi verò præciſſe attendamus conceptum generationis, nihil vetat totam diſpoſitionem neceſſariam inſtantaneè produci, vt produci potuit à Deo in primo inſtanti creationis materiæ. Quare quod generatio ſit de facto mutatio eſt extrinſeca denominatio deſumpta ex præcedente privatione, quæ ad conceptum generationis neceſſaria non eſt.

14 Dices 2. Privationem debere præcedere in materia ex conceptu ipſo generationis: quia videlicet actio ipſa generativa ſecundum ſua intrinſeca prædicata exigit privationem præcedere; ſed hoc gratis videtur dici; nam cur generatio, quæ ſecundum ſua eſſentialia tendit, vt ponat in rebus formam cum intrinſeca dependentia à materia; cur inquam, exiget præcedere privationem? Quid enim refert privatio præcedens ad illam dependentiam? Dices, exigere præcedere privationem, quia ex eſſentia exigit materiam eſſe diſpoſitam, & toto tempore; quo diſponitur datur in materia formæ privatio; ſed contra, quia licet generatio ex conceptu ſuo petat materiam eſſe diſpoſitam; at non petit ex conceptu ſuo diſponi ſucceſsivè; ſed quod ad ipſam attinet, eodem prorſus modo ſibi intrinſeco produceret formam, licet materia inſtantaneè diſponeretur à Deo in ipſo primo inſtanti ſuæ creationis; ſed ſi ita diſponeretur, nullatenus præcederet ad formam eius privatio; vt patet: ergo generatio non petit ex conceptu ſuo pręcedentiam privationis.

15 Roboratur deinde noſtra probatio: quia formæ cælorum, & elementorum, ſaltem de potentia abſoluta potuerunt educi, & generari ex materia in prima rerum conditione, ita M. Prado 2. punct. met. controv. 4. licet ſentiat cum alijs Thomiſtis defacto pręlictas formas non fuiſſe eductas, & generatas ex materia in prima rerum cōditione, ſed potius concreatas cum ipſa materia. Tunc ſic; ſed in eo caſu poſsibili nulla præceſſiſſet privatio formarum, vtpote quæ in eodem inſtanti creationis materiæ generarentur ex ipſa, conſequenterque generatio illa non eſſet mutatio: ergo poſsibilis eſt generatio, quæ non ſit mutatio; ac proinde mutatio non eſt de conceptu intrinſeco, & eſſentiali generationis.

16 Reſpondet Mag. à

S. Thom. in eo adhuc caſu generationem forè mutationem, non quidem mutationem per quã excluderetur præcedens priuatio, & per quam fieret tranſitus à priuatione, quæ præceſsiſſet, ad ipſam formam; ſed per quam fieret tranſitus à priuatione, quæ eſſet in materia, ſi in eodem inſtanti non produceretur in ea forma; ſed hæc ſolutio inſufficiens eſt. Primò, quia improprijſsimè accipit mutationem: nam mutatio propriè dicta eſt verus, & realis tranſitus materiæ à ſtatu non habendi formam, ad ipſam habendam; ſed in caſu argumenti licèt per formam generatam in inſtanti creationis materiæ impediatur ne ſit in materia privatio, quæ certiſsimè eſſet, ſi in eo inſtanti non produceretur forma; impoſsibile tamen eſt, quod per eam generationem tranſeat materia à ſtatu non habendi formam ad ipſam habendam, quippè ad hunc tranſitum neceſſe eſt, quod materia, ſaltem per vnicum inſtans præcedat realiter ſine forma: ergo non ſufficit, vt generatio ſit mutatio, quod per ipſam impediatur, ne adveniat materiæ privatio formæ; ſed vlterius opus eſt, quod per ipſam excludatur privatio antecedenter exiſtens. Secundo confirmando præcedentem rationem: quia quando defacto totum alimentum productum fuit per creationem, iuxta Thomiſtas ſuprà; per creationem formæ in inſtanti creationis materiæ, revera impedita fuit privatio, quæ eſſet, ſi in eo inſtanti nullatenus produceretur forma: at ſic impedire privationem non fuit ſatis, vt in ea productione interveniret mutatio: ergo ſic impedire privationem in caſu poſsibili generationis formæ elementalis in primo inſtanti creationis materiæ, non ſufficeret, vt in ea generatione interveniret mutatio.

17 2. Reſpondet M. Prado, in eo caſu poſsibili generari quidem formam elementi; ſed per actionem ipſam, per quam materia creatur, ita vt illa actio prout eſt productio formæ ſit eductio. Licèt autem ea actio prout eſt creatio materiæ non ſit mutatio; prout tamen eſt eductio formæ, eſt mutatio, quia per illam materia tranſmutatur à potentialitate, quam habet ad formam, ad habendam, & recipiendam formam; ſed contra. Primò quia ex dictis in Phyſicis impoſsibilis eſt actio, quæ ſit vnius termini creatio, & alterius eductio: non ergo potuit totum elementum primo produci per vnicam actionem, quæ eſſet creatio materiæ, & eductio formæ. Secundo quia hoc admiſſo manet difficultas in ſua vi: nam ſi in eodẽ inſtãti, in quo creatur materia, imò, & per eãdẽ actionẽ educitur forma

ex

ex materia nulla poteſt eſſe vera, & realis tranſmutatio materiæ à privatione formæ ad formam: nulla enim invenitur in materia, neque inveniri poteſt privatio, à qua tranſmutetur, ſiquidem in inſtanti reali, in quo eſt forma, eius privatio dari non poteſt, adhuc pro ſigno prioritatis, & potentialitatis materiæ, vt iam dictum eſt: ergo de primo ad vltimum in generatione poſsibili elementi vera generatio daretur, quæ non eſſet mutatio.

18 Probatur 2. Concluſio argumento, cui inſiſtunt Camelit. ſuprà, deſumpto ex generatione vermis, aut ignis, quæ ſæpe accidit, dum corrumpitur ſpecies cõſecrata. In eo enim caſu verè generatur forma vermis, aut ignis; ſed non generatur ex materia panis præcedente cum privatione formæ generatæ; ſiquidem tota materia panis per conſecrationem deficit à rebus, vt certum, & extra controverſiam eſt: per conſecrationem enim deficit integra ſubſtantia panis, & eius loco ſub panis accidentibus ſuccedit ſubſtantia corporis Chriſti: ergo generatur ea forma ex materia, quæ in eo inſtanti creatur de novo, & quæ conſequenter non præceſsit cum privatione formæ nunc generatę, neque mutatur à privatione formæ ad formam: datur ergo defacto generatio, quæ non eſt mutatio, mutatioque proinde non eſt de conceptu generationis.

19 Huic argumento adhiberi poſſunt eædem ſolutiones, quæ præcedenti; ſed quia impugnatæ iam ſunt eas libenter omittimus, vt ad alias tranſeamus. Reſpondebis ergo 1. formam vermis, aut ignis generatam in caſu argumenti non educi ex materia prima, ſed ex quantitate panis, quæ cum alijs accidentibus permanet toto tempore miraculi: ea enim quantitas, aiunt, eſt vice materia, & illius vices gerit ad recipiendam formam, & cum aliunde quantitas illa toto tempore, quo ſub eius accidentibus fuit corpus Chriſti, præcedat cum privatione formæ vermis, generatio vermis ex ea quantitate eſt vera mutatio à privatione formæ ad forma. Quod autem ea quantitas ſit vice materia, & illius vices gerat pro generatione vermis, inde ſuadent quia ſicut in ſententia Thomiſtarum, calor, vt vices gerens ſubſtantiæ ignis, & vt illius virtus producit ſubſtantiam, ita ſine abſurdo dici poteſt qantitatem panis, vt vicariam materiæ panis, & vt illius virtutem, poſſe habere rationem ſubiecti generationis formæ vermis.

20 Sed contra eſt: quia ſi forma vermis educitur, & generatur ex quantitate panis, cum eadem quantitate, vt ſubiecto componet totum ſubſtantiale vermis: nam forma ſubſtantialis componit totum ſubſtantiale

I 3 cum

cum ſubiecto, ex quo educitur; ſed forma ſubſtantialis non poteſt componere totum ſubſtantiale cum quantitate: ergo neque poteſt educi, & generari ex quantitate. Maior conceditur ab adverſarijs; minor autem probatur ex communi ſenſu Phyloſophorum, qui pro vrgentiſsima ratione habendus eſt: nihil enim Phyloſophis frequentius, quam tanquam primum principium ſtatuere, totum ſubſtantiale conſtitui non poſſe ex aliquo accidenti, ſed ex partibus entitativè ſubſtantialibus; imò totum ex ſubſtantia, & accidenti reſultans appellant totum per accidens, & accidentale ad diſtinctionem totius ſubſtantialis; ſed quantitas panis, eſto gerat vices ſubſtantię in ſuſtentatione accidentium in Euchariſtia, in ſua tamen entitate, ſecundumquam componere debet, intrinſecè, eſt accidens: ergo forma ſubſtantialis vermis non poteſt componere totum ſubſtantiale cum quantitate.

21 Explicatur: nam eſtò quantitas gerat vices materiæ ad recipienda accidentia, quia non apparet cur ad hanc receptionem ſit opus ſubiecto entitativè ſubſtantiali; at non poteſt gerere vices materiæ ad componendum intrinſecè totum ſubſtantiale: nam quod in toto ſubſtantiale eſt ſubiectum, debet eſſe ſubſtantiale. Probo ſic: licèt calor, apud vos, ſit virtus ſubſtantialis formæ, & gerat eius vices ad producendam ſubſtantiam; tamen non poteſt gerere eius vices ad ſubſtantiam componendam; videlicèt, quia actus compoſiti ſubſtantialis illud conſtituens intrinſecè, debet eſſe ſubſtantialis entitativè, & in ſe, & non ſolum in munere; imò, vt ſit actus ſubſtantialis in munere componendi, debet eſſe ſubſtantialis etiam entitativè, & in ſe: ergo cum totum ſubſtantiale intrinſecè etiam conſtituatur ex ſubiecto, vt aliquid conſtituat intrinſece illud tanquam ſubiectum, debet eſſe entitativè, & in ſe ſubſtantiale, & non ſolum in munere; vel potius, vt ſit ſubſtantiale in munere componendi, debet eſſe ſubſtantiale entitativè, & in ſe, ac proinde quantitas, quæ ſemper entitativè, & in ſe eſt accidens, non poteſt gerere munus materiæ pro componendo toto ſubſtantiali.

22 Atque inde apparet diſparitas ad rationem deſumptam ex calore entitativè accidentali, pro lucente tamen ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ: Nam virtus efficienter producens ſubſtantiam, non conſtituit ipſam intrinſece, ſed extra ipſam manet tanquam quid adæquatè ab ipſa diſtinctum; ideoque ſi ex alijs capitibus non repugnat accidenti ea virtus (à quo modo præſcindimus) rectè poteſt gere-

re

re munus ſubſtantiæ in agendo, quia exinde non argueretur, terminum productum (vtpote quod nullo accidenti conſtituitur) eſſe accidens, aut totum accidentale; at verò cum ſubiectum, & actus ſint partes intrinſecè conſtituentes totum intra ipſum manentes, & ab eo non diſtinctæ adæquatè, nihil, quod non ſit ſubſtantiale entitativè, in ſe, poteſt gerere munus ſubiecti, aut actus ſubſtantialis pro compoſitione totius ſubſtantialis, quia ex tali compoſitione rectè argueretur, totum conſtitutum, quod nihil aliud eſt, quam complexum ex ſuis conſtitutivis, non eſſe entitativè, & in ſe ſubſtantiale, vtpote in recto, & formaliter includens aliquid, quod entitativè, & in ſe non eſt ſubſtantia: ergo licet calor poſſit gerere vices ſubſtantiæ in agendo, quantitas non poteſt gerere vices materię in componendo; non aliter ac calor ipſe gerens vices formę ſubſtantialis in agendo non poteſt gerere vices eiuſdem in componendo. Inde.

23 2. Argumentor contra præfatam ſolutionem. Nam ſi ex quantitate, vt virtute, & vices gerente materiæ, & ex forma ſubſtantiali poteſt conſtitui, & componi totum ſubſtantiale? Ergo ſimiliter ex forma entitativè accidentali, vt virtute, & vices gerente formæ ſubſtantialis, & ex materia prima poterit conſtitui, & componi totum ſubſtantiale. Audivi non ſemel Thomiſtas concedentes conſequentiam, & conſequentis doctrinam in publicis prælectionibus defenſantes, tanquam valdè probabilem iuxta propria principia; ſed certè quidquid ſit de eius probabilitate in principijs Thomiſtarum, hæc doctrina ex duplici capite mihi eſt difficilis. Primò, quia valde oppoſita communi, & receptæ Phyloſophiæ: etenim iuxta omnes, actus compoſiti eſt, qui ſe ipſo diſtinguit vnum compoſitum ab alijs, & qui compoſito tribuit ſpeciem, illudque conſtituit in determinata ſpecie: quomodo autem actus, vel forma compoſiti diſtinguet ſe ipſa compoſitum ſubſtantiale ab accidentali, quomodo etiam ſe ipſa conſtituet compoſitum in hac ſpecie ſubſtantiæ præ alia, ſi forma in ſua intrinſeca entitate, ſecundum quam conſtituit, non eſt ſubſtantia, ſed accidens?

24 Secundo: quia ſi probabile eſt in principijs Thomiſticis, quantitatem, vt vices gerentem materiæ poſſe ſimul cum forma ſubſtantiali componere intrinſecè totum ſubſtantiale: ſic etiam in eiſdem principijs, probabile eſt, formam entitativè accidentalem, vt gerentem vices formæ ſubſtantialis poſſe ſimul cum materia prima componere totum ſubſtantiale? Rogo, an in eiſdem principijs, probabile ſit, poſſibi-

le etiam eſſe compoſitum ſubſtantiale intrinſecè coaleſcens ex quantitate, vt generente vices materiæ, & ex forma accidentali, vt gerente vices formæ ſubſtantialis? Si neges, ſatis difficulter aſsignabis diſparitatem, & rationem, cur hoc tertium compoſitum non ſit poſsibile, cum ſint poſsibilia illa duo. Si autem affirmes, inde patebit ſatis difficultas ſententiæ Thomiſticæ in hac quæſtione, ſi aliter defendi non poteſt, quam his conſequentijs devoratis.

25. Propter hæc alij reſpondent 2. Ideo in generatione vermis, dum ſpecies ſacramentales corrumpuntur, dari mutationem, quia in inſtanti, & tempore præcedenti ad generationem formæ vermis, & ad creationem materiæ, privatio formæ fuit in quantitate: quia pro toto illo tempore quantitas, vt recipiens diſpoſitiones ad formam vermis, eam exigit, licèt non pro ſe, ſed pro materia, cuius vices gerit, ideo privatio præcedens in quantitate ſe habet tanquam terminus à quo ſubſequentis generationis, quæ conſequenter erit mutatio à privatione præcedente in quantitate, vt vice materiæ, ad formam generatam in materia, quæ de novo creatur.

26 Sed neque hæc ſolutio enervat difficultatem: quia vt generatio ſit vera mutatio, neceſſarium eſt, quod ſubiectum illius tranſmutetur per ipſam à privatione formæ ad formam; ſed in præſenti ſubiectum generationis non tranſmutatur per ipſam à privatione formę ad formam: ergo in præſenti generatio non eſt mutatio. Maior eſt certa, quia ſi ſubiectum non tranſmutatur per ipſam generationem à privatione formæ ad formam, deeſt tota ratio, vt generatio, quæ tantum afficit proprium ſubiectum ſit mutatio. Imò cum generatio non ſit mutatio formæ, ſed ſubiecti, & non poſsit intrinſecè afficere, & mutare, niſi ſubiectum, in quo eſt, inde conſtat, ideo ſolum generationem eſſe mutationem, quia eius ſubiectum tranſmutatur per ipſam, & transfertur à priuatione formæ ad formam. Minor autem probatur: quia materia de novo creata, & quæ ſola eſt ſubiectum generationis vermis, in nullo inſtanti præceſsit cum privatione huius formæ, ideoque per generationem, quam recipit, non poteſt tranſmutari à privatione formæ ad formam. Neque vlterius poteſt ſic tranſmutari quantitas præcedens cum privatione formæ, quia quantitas non eſt ſubiectum generationis; ideoque privatio in quantitate præcedens impertinens eſt ad mutationem per generationem faciendam: ergo in præſenti caſu ſubiectum generationis non tranſmutatur per ipſam à privatione formæ ad formam, conſequenterque ea generatio non eſt mutatio.

Ac

27 At pro oppoſita ſententia objic. Ariſt. qui locis adductis à M. Pardo generationem ſæpè definit per mutationem: ergo quia generatio quidditativè, & eſſentialiter eſt mutatio; ſed mihi ſimiliſſimum eſt Ariſt. nihil vrgens adduci poſſe contra nos. Primo, quia vt expendenti loca, quæ à Thomiſtis objiciuntur, conſtabit manifeſtè: nullibi dicit generationem eſſe mutationem; ſed ſolum docet eam mutationem, quæ eſt à privatione ad formam eſſe generationem, quod eſt veriſſimum, & non contra nos. Fatemur enim omnem talem mutationem eſſe generationem, ſecus autem omnem generationem eſſe mutationem, quia contendimus generationem latius patere mutatione, ac proinde dari poſſe, & dari de facto in caſu adducto generationis vermis, generationem, quæ non ſit mutatio. Secundo, quia licet daremus mentem Ariſt. eſſe nobis contrariam, de hoc non eſſet nimis curandum: quia vt notat P. Oviedo fuit in errore de creatione materiæ ab æterno, eoque errore ſuppoſito, nulla generatio poſſet accidere in tempore, quæ non ſupponeret temporaliter privationem formæ generandæ: igitur cum antecens ſit falſum, & erroneum, nec de bonitate illationis, nec de conſequentis veritate, curandum eſt.

28 Magis contra nos vrget authoritas D. Thom. qui licet inutiliter objiciatur ex eo quod dicat mutationem a privatione formæ ad formam eſſe generationem; quia inde non arguitur è converſo generationem omnem eſſe mutationem, vt dictum eſt num. præcedenti: art. 1. p. quæſt. 27. art. 2. ait: generationem nihil aliud eſſe, quàm mutationem de non eſſe ad eſſe. Et quæſt. 2. de pot. art. 1. ad 15. ait generationem eſſe ſpeciem mutationis. Liceat tamen nobis Angel. Mag. interpretari non de generatione, vt ſic, & genericè ſumpta; ſed de generatione prout de facto communiter accidit; ſic enim mutatio eſt, extrinſece que conſtituitur in eſſe talis per privationem, quæ in inſtanti antecedenti præceſsit formæ generatæ. Ita vero per eam privationem conſtituitur, & denominatur extrinſecè mutatio, vt eadem met generatio, quoad omnia ſua intrinſeca exiſtere poſſet, licet nulla præceſsiſſet formæ privatio. Sic D. Thom. interpretantur AA. noſtri, ſicque vel parum abſimiliter interpretantur Carmelit. (ſuprà §. 6.) qui ita denomine Thomiſtarum gloriantur, quod nulli facile cedent in indagine mentis D. Thom. & Thomiſtico rigore.

29 A ratione vnice arguit ſic. M. Lerma. Generatio ſubſtantialis eſſentialiter eſt tranſitus de privatione ad formam: ergo eſſentialiter eſt mutatio.

An-

Antecedens probatur. Generatio eſſentialiter eſt tranſitus ad formam; ſed non eſt tranſitus de eſſe formæ ad formam: ergo eſt tranſitus de non eſſe formæ ad formam; & quidem eſt tranſitus ad formam ex non eſſe eius privativè ſumpto, ſeu ex eius privatione: quia tranſitus ille exercetur in ſubiecto, & materia determinata, & capaci habendi formam. Nego primum antecedens, & ad eius probationem, nego minorem: conſtat enim ex dictis non eſſe de ratione generationis, quod ſit tranſitus alicuius ſubiecti ad formam; ſed ſolum, quod ſit productio formæ dependenter à ſubiecto ſuſtentationis præſuppoſito pro priori naturæ, qui totus conceptus ſalvatur ſine mutatione.

30 Inſtabis ex M. Prado. Generatio ſimpliciter, ſeu ſubſtantialis comparatur ad materiam primam, ſicut generatio ſecundum quid, ſeu accidentalis ad totum compoſitum; ſed generatio accidentalis, & ſecundum quid, eſt mutatio totius à privatione formę accidentalis ad ipſam formam: ergo generatio ſubſtantialis, & ſimpliciter eſt mutatio materiæ à privatione formæ ſubſtantialis ad ipſam formã. Conceſſa maiori, nego minorẽ, de generatione accidentali eſſentialiter ſumpta. Sicut enim dicimus accidentale quid eſſe generationi ſubſtantiali, quod ſubiectum, ex quo educit formam præcedat temporaliter ſine forma ſubſtantiali, quam producit, quãque eodem modo produceret, licèt inſtans, in quo ipſa primo eſt, eſſet primum inſtans exiſtentię materiæ; ita pariter dicimus, generationem accidentalem eodem modo producturam accidentia in compoſito, & ex compoſito (demus compoſitum eſſe ſubiectum accidentium) licet inſtans, in quo ipſa primo eſt, eſſet primum inſtans exiſtentiæ compoſiti. Quare accidentale, & extrinſecum quid eſt generationi accidentali, quod compoſitum, ex quo educit accidentia præcedat temporaliter ſine ipſis. Mitto aliam confirmationem, quam adducit Prado, quia ſolum probat generationem prout de facto accidit, non vero generationem eſſentialiter ſumptam, eſſe mutationem. Et hæc ſatis pro prima quæſtione.

31 Secunda quæſtio eſt. Vtrum generatio ſubſtantialis diſtinguatur realiter ab alteratione præcedente? Duplex alteratio diſtinguenda eſt: altera, quæ tempore præcedit generationem ſubſtantialem; illa videlicet, per quã producuntur accidentia diſponẽtia non vltimo ſubiectum ad generationem, & quæ proinde exiſtit in inſtanti, in quo nondũ exiſtit generatio; & de hac alteratione certũ debet eſſe diſtingui realiter à generatione: ſi enim exiſtit realiter per aliquod tempus, aut inſtans ſine illa, ab ea diſtingui

rea-

realiter neceſſe eſt. Alia est alteratio, per quam ſubiectum vltimò diſponitur ad generationem, & quę non ſeparatur realiter ab ipſa; ſed ſimul tempore exiſtit, quia forma ſubſtantialis neceſſario producitur, & generatur in inſtanti, in quo ſubiectum vltimo diſpoſitum eſt.

32 De hac alteratione cenſent Carmelit. q. 2. §. 3. cum alijs Thomiſtis non diſtingui realiter à generatione formæ ſubſtãtialis. Ab ea tamẽ diſtingui realiter affirmant ex Thomiſtis M. Lerma q. eſt. 4. alios pro ſe refferens; & M. Prado. q. etiam 4. addens eſſe communiorem inter Thomiſtas. Idem cum Scoto docent Scotiſtę apud Poncium, diſp. 52. q. 4. & docent communiter AA. noſtri cum Eximio Suario, qui diſp. 18. met. ſect. 2. ait n. 15. Ariſtotelem ita eſſe pro hac ſententia, vt lib. 1. Phyſ. & 1. de Generatione, præcipuè occupetur in diſtinguenda generatione ſubſtantiali ab alteratione. Pro eadem ſententia ſtat etiam expreſsè D. Thom. 3. contra gent. cap. 69. vbi ex profeſſo diſtinguit actionem generantem formamam ſubſtantialem ab alteratione diſponente materiam ad formam.

33 Hæc ſententia, quæ omnino vera eſt, iuxta noſtra principia, probatur facilè. Nam alteratio producens accidens vltimo diſponens ſubiectum ad formam ſubſtantialem, efficienter provenit ſaltem, inadæquatè ab accidentibus agentis producturi formam; calor enim vltimo diſponens lignum ad formam ignis, vel adæquatè, vel ſaltèm inadæquatè procedit à calore ignis intendentis ſuam formam producere; ſed generatio formæ ſubſtantialis, neque inadæquate procedit, aut procedere poteſt ab accidentibus agentis producturi formam, vt diximus in Phyſicis. ergo alteratio vltimo diſponens materiam ad formam ſubſtantialem, & generatio formæ, vtpote exercitia diverſorũ principiorum ſunt actiones realiter diſtinctæ. Hæc ratio, vt iacet, expreſſa videtur D. Thom. ait enim loco cit. ex 3. contra gent. *Si formæ accidentales, quæ ſunt in rebus corporalibus habent proprias actiones; multo magis forma ſubſtantialis habet aliquam propriam actionem; non eſt autem huiuſmodi actio diſponere materiam; quia hoc fit per alterationem, ad quam ſufficiunt formæ accidentales: ergo forma ſubſtantialis eſt principium actionis, vt forma ſubſtantialis introducatur ingeneratum.*

34 2. Probatur concluſio 2. quia vltima diſpoſitio ad formam iuxta Thomiſtas recipitur in toto compoſito genito: ergo in eodem recipitur alteratio, per quam vltima diſpoſitio producitur. Patet conſequentia: quia cum receptio termini nihil aliud ſit quam actio ipſum producens, non aliter recipitur terminus,

quam

quam media receptione ſuę productionis, ideoque actio producens terminum in eodem ſubiecto recipitur, in quo recipitur terminus; ſed generatio ſubſtantialis, non poteſt recipi in toto compoſito genito: ergo alteratio, & generatio, ſiquidem habent diverſum ſubiectum receptionis, diſtinguuntur realiter inter ſe. Minor ſubſumpta probatur: quia ſi generatio ſubſtantialis reciperetur in toto compoſito genito, reciperetur in forma, & hoc eſt impoſsibile; nam, quia iuxta proxime dicta, terminus recipitur in eodem ſubiecto, in quo recipitur eius generatio, ſi hæc reciperetur in forma, conſequenter reciperetur in ſe ipſa, quod implicat.

35 Dices, hanc actionem, quæ & alteratio eſt, & generatio, recipi in forma genita, prout eſt alteratio, & productio qualitatis; non vero prout eſt generatio, & productio formæ ſubſtantialis. Contra eſt, nam vel in caſu præſenti diſtinguitur realiter, & ex parte obiecti id, quod eſt alteratio, & productio qualitatis, ab eo, quod eſt generatio, & productio formæ; Et ſi hoc dicas, habeo intentum: vel non diſtinguuntur realiter illa duo; ſed ſolum per rationem noſtram: & ſi hoc dicas ſolutio non eſt ad rem; nam ſi entitativè, & realiter idem prorſus eſt in hac actione realitas alterationis, & realitas generationis; ſanè (quidquid ſit de diſtinctione per noſtrum conceptum) vel recipitur in forma genita, tam prout eſt realiter generatio, quam vt eſt realiter alteratio, & redit difficultas; vel neque recipitur in forma genita, vt eſt realiter alteratio, ſi non recipitur prout eſt realiter generatio.

36 3. Probatur concluſio: quia alteratio producens vltimam diſpoſitionem, ſicut, & vltima diſpoſitio producta, ſuo modo ſcilicet, vt quæ diſponit, & præcedit ex parte materiæ ad formam, & ad eius generationem; ſed generatio ſubſtantialis nullo modo præcedere poteſt, aut diſponere ad ſe ipſam: ergo generatio ſubſtantialis realiter diſtinguitur ab alteratione.

37 Dices; alterationem diſponere ad generationem formæ abſque vlla præcedentia reali reſpectu illius; quia videlicet generatio formæ non eſt actio nova; ſed emanatio quædam, & reſultantia, quæ non eſt actio. Eſt dicere alteratio eſt diſpoſitio, vt reſultet forma; ſed quia illa reſultantia non eſt actio, ſola datur actio alterationis, & hæc dicitur includere, & eſſe generationem formæ, quia ea poſita abſque vlla alia actione reſultat ex ipſa forma genita, ideo alteratio non habet præcedentiam realem ad generationem; conſequenterque non rectè arguimus diſtinctionem generationis ab alteratione ex eo quod hæc præcedit, & diſpo-

ponit ad generationem, & generatio non diſponit, neque præcedit.

38 Sed contra eſt. Primo: quia generationem eſſe actionem veram, & realem, & quidem novam plane aſſeritur à D. Thom. ex cuius principijs conantur reſpondentes deducere ſuam ſententiam; nam loco allegato clarè diſtinguit actionem diſponentem materiam ab actione producente formam, & pro vna, & altera ratione aſsignat diverſa principia. Neque obſtat D. Thom. aliquando appellare emanationem, & reſultantiam ex priori alteratione generationem ſubſequentem formæ ſubſtantialis. Nam. 1. p. q. 37. art. 6. eodem termino *productionis* vtitur ad ſignificandam actionem, per quam agens extrinſecum producit accidentia in ſubſtantia, & actionem, per quam forma producit ſuas paſsiones: non eſt autem credibile, quod Div. Thom. vtatur eo termino in ſignificatione adeo æquivoca, qualis profecto eſſet, ſi emanatio paſſionum non eſſet vera productio, cum tamen actio, qua agens extrinſecum operatur in ſubſtantia, ſit propria, & vera actio. Quod autem generationem formæ appellet reſultantiam ex alteratione præcedente; & quod rurſus productionem paſsionum appellet reſultantiam, & emanationem ex generatione formæ, non ideo eſt quia cenſeat, non eſſe veras actiones, vt benè notat P. Hurt. ſed quia propter perpetuam coniunctionem, & inſeparabilitatem vnius actionis ab alia vtriuſque termini, ita ſimul exiſtunt, ac ſi per eandem, & vnicam actionem producerentur.

39 Secundo contra eandem ſolutionem argumentor. Quia iuxta communiorem, & veriorem ſententiam de potentia abſoluta poteſt dari in materia vltima diſpoſitio ad formam, & huius productio impediri à Deo; detur hoc miraculum, & arguo ſic. In hoc caſu datur alteratio, quin detur forma, & conſequenter alteratio producens vltimam diſpoſitionem, non eſt exercitium actualiter, & in actu ſecundo producens formam; ſi quidem ab ea ſeparatur realiter, cum tamen nulla actualis productio poſsit à ſuo termino ſeparari. Velit deinde Deus annuere exigentiæ vltimæ diſpoſitionis ad formam: tunc certè aliquod exercitium, & aliqua actio dabitur vere producens formam; ſed illud exercitium, & illa actio non eſt alteratio præcedens: ergo generatio ſubſtantialis diſtincta eſt realiter ab alteratione tanquam nova, & propria actio.

40 Dices; quod adhuc in hoc caſu non datur nova actio, quæ ſit formæ generatio; ſed potius forma, tanquam connotato alterationis, iam alteratio præcedens habet rationem actua-

tualis productionis, & generationis formæ. Contra tamen eſt: nam *actu producere* formam non poteſt exiſtere, ſine omni connotato, & conditione neceſſaria, vt ſit in rebus *actu producere*, vt in ſimili diximus lib. 1. Phyſic. de hoc conceptu obiectivo *actu vivere*: ergo ſi exiſtentia formæ eſt connotatum alterationis neceſſarium, vt hæc ſit *actuale producere* formæ, vel exiſtet realiter forma quoties exiſtit alteratio, quod in caſu poſito patet eſſe falſum; vel alteratio non poteſt conſtitui per exiſtentiam formæ in eſſe actualis productionis illius, conſequenterque quando Deus vellet formam exiſtere, daretur nova actio, quæ & ab alteratione diſtingueretur, & eſſet generatio formæ 2. Contra eandem ſolutionem faciunt, quæ contra doctrinam de connotatis congeſſimus tum in Logica, tum in Phyſica, tum etiam ſuprà tract. 1. diſp. 1. videatur hic Ovied. controv. 2. punct. 2.

41 Objic. 1. D. Thom. aſſerentem quæſt. vnic. de Anima generationem eſſe terminum alterationis; & quodlib. 6. quæſt. 4. art. 9. formam ſubſtantialem eſſe terminum generationis; & alibi, hominem non aliter generare hominem, niſi in quantum diſponit materiam ad formam; ſed hæc non habent vim; ad duo priora dicimus, ſenſum eſſe generationem, & formam genitam eſſe terminos extrinſecos generationis, non intrinſecos. Non ſunt termini intrinſeci, quia, neque identificantur cum alteratione, neque per eam producuntur, vt ex eodem D. Th. probatum eſt. Ad vltimam dicimus D. Thom. ſolum dicere hominem non generare alium hominem, quia non generat eius formam, ſicut aliæ ſubſtantiæ generant ſubſtantias ſimiles per generationem formarum propriæ ſpeciei; nam anima rationalis, quæ eſt forma hominis non generatur, ſed creatur à Deo. Cæterum non negat, quod homo poſtquam diſpoſuit materiam, generet per novam actionem, vnionem, cuius generatio dicitur generatio totius compoſiti.

42 Objic. 2. Quia ſi generatio diſtinguitur ab alteratione inde fient duo *Primum* formam ſubſtantialem non procedere ab accidentibus alterantibus materiam; ſed à formâ ſubſtantiali, quæ proinde erit immediatè operativa. *Secundum* generationem, quæ entitativè eſt accidens non recipi in toto compoſito, ſed in materia prima. Concedo vtramque ſequelam nobis veriſſimam.

(§)

SEC 2

SECTIO III.

De Generatione ſubſtantiali converſitiva, ſeu de Converſione ſubſtantiali.

43. IN generatione ſubſtantiali, quæ de facto datur interuenit etiam ſubſtantialis conver ſio; quia forma, quæ de novo generatur ferè ſemper producitur in ſubiecto præexiſtente cum alia, quæ ex vi formæ advenientis deſinit eſſe, & in illam convertitur. Dixi *fere ſemper*, vt excludam generationem vermium, aut ignis in ſpeciebus ſacramentalibus, in qua de novo creatur materia iuxta dicta ſect. 2. & ideo non poteſt dari converſio formæ præcedentis in materia in formam de novo productam. Quia tamen in alijs generationibus datur converſio, ideo in hac diſputatione de ipſa agendum eſt.

§. I.

Explicatis terminis, proponitur præcipua queſtio, & ex parte reſolvitur.

44 COnverſio prout comprehendit converſionem accidentalem, & ſubſtantialem, definitur *tranſitus vnius rei in aliam.* Tranſitus idem eſt in præſenti, ac mutatio, non tamen quælibet; ſed quæ datur inter terminos poſitivos, ſiquidem eſt mutatio vnius rei in aliam; vnde conſequenter excluſa manet ab hac quæſt. mutatio negativa à privatione ad formam, & à forma ad ſui privationem. Igitur converſio eſt tranſitus, mutatio, ſeu tranſmutatio vnius rei in aliam; ſeu deſitio vnius rei antea exiſtentis ex vi alterius advenientis. Quod in converſione deſinit eſſe ex vi alterius dicitur *terminus à quo*, & res converſa, id verò, vi cuius terminus *à quo* deſinit eſſe, dicitur *terminus ad quem*, ſeu *in quem* convertitur terminus *à quo*.

45 Vnde fit 1. Converſionem dicere in recto deſitionem termini *à quo*, & in obliquo poſitionem termini *ad quem*, quia nimirum converſio formaliter, & quidditativè ſumpta eſt deſitio vnius in aliud inducta ex vi alterius advenientis. Fit 2. Terminos *à quo*, & *ad quem* debere eſſe ita inter ſe oppoſitos, vt vnus deficiat ex vi alterius. Ideo dum Petrus albus caleſit; non convertitur de albo in calidum quia calor adveniens, neque opponitur, neque deſtruit albedinem præexiſtentem; ſed neceſſarium non eſt ad hanc oppoſitionem, quod terminus *ad quem* opponatur determinatè cum termino *à quo* ſumpto ſecundum ſe; ſed vel cum ipſo ſecundum ſe, vel ſaltem cum ipſo prout exiſtente ſub aliquo tertio: nam in Euchariſtia ſubantia panis convertitur in corpus

Chriſ-

Chriſti, & tamen corpus Chriſti non opponitur cum ſubſtantia panis ſecundum ſe; ſed cum ipſa vt exiſtenti ſub accidentibus panis, ſub quibus conſtituitur corpus Chriſti.

46 Fit 3. Hanc oppoſitionem terminorum, ad converſionem neceſſariam, exercendam eſſe circa aliquod tertium proprium, & commune terminis *à quo*, & *ad quem*, ſivè illud tertium ſit ſubiectum vtriuſque, vt materia reſpectu formæ ignis, & ligni, ſivè ſit forma, aut quaſi forma vtriuſque, ſicut ſe habent accidentia panis reſpectu ſubſtantiæ panis, & corporis Chriſti. Cuius ratio eſt; quia non alia de cauſa negant omnes corpus pellens aliud à loco converti in illud per ſui ingreſſum, niſi quia locus ille nullius erat proprium, nulliuſque ſubiectum, aut forma.

47 Deinde converſio alia eſt accidentalis; alia ſubſtantialis, alia mixta. Prima quando vterque terminus, ſcilicèt *à quo*, & *ad quem* eſt accidentalis. Secundo, quando vterque terminus eſt ſubſtantialis Tertia, quando alter terminus eſt ſubſtantialis, alter accidentalis. Rurſus converſio ſubſtantialis, alia eſt partialis, alia totalis. Partialis, quando ſub tertio communi deſinit eſſe ſubſtantia partialis ex vi alterius, vt contingit quando ſub eadem materia deſinit eſſe forma ligni, ex vi formæ ignis. Totalis, quando ſub tertio communi deſinit integra aliqua ſubſtantia ex vi alterius, vt contingit, quando ſub accidentibus Euchariſticis deſinit integra ſubſtantia panis ex vi corporis Chriſti, & hæc converſio dicitur *tranſubſtantiatio*, ſeu tranſitus integræ ſubſtantiæ in aliam. Vbi adverte, aliam eſſe converſionem, quæ ſolum denominativè eſt totalis, quando ſcilicet totum denominatur converti, quamvis non omnes eius partes convertantur: lignum enim dicitur converti in ignem licet ſola forma ligni convertatur, & eius materia perſeveret cum forma ignis. Dicitur autem denominativè totalis, quia lignum quatenus eſt tale totum, & compoſitum deſinit eſſe, & ſuccedit ignis.

48 Converſio partialis dividi etiam ſolet in materialem, & formalem. Materialis, quando ſub eadem forma aliæ partes materiæ de novo acquiruntur, & aliæ deperduntur, vt contingit in mutatione viventium; ſed de hac converſione fere nulla eſt diſputatio inter Phyloſophos. Formalis, quando ſub eadem materia, variatur forma; vt contingit de facto in converſionibus naturalibus. Quoties autem datur hæc converſio formalis, datur etiam converſio totalis, quę denominativè talis eſt, quia ad variationem formarum variatur compoſitum, in eſſe compoſiti, & totius. Verum non

quoties datur converſio totalis, datur etiam converſio formalis, ſeu formarum: quia homo per mortem convertitur in cadaver, & tamen anima rationalis, quæ eſt forma hominis, quia non deſinit eſſe in rebus; ſed permanet, non convertitur in formam cadaveris propter rationem infra dandam.

49 Adhuc converſio dupliciter conſiderari poteſt. Primo quatenus per ipſam ſubiectum mutatur, & denominatur converti ab vna forma in aliam, ea ratione, qua per generationem ignis tranſit materia à forma ligni ad formam ignis præſcindendo ab eo, quod forma etiam ligni convertatur in formam ignis. Secundo, quatenus per ipſam, forma etiam precedens convertatur, & tranſeat in formam advenientem: & hæc ſecunda converſio definitur noſtra definitione: non enim definimus mutationem, & tranſitum ab vna re in aliam, ſed vnius rei in aliam. Tandem eſt obſervandum cum Oried. controv. 2. punct. 5. num. 4. converſionem eſſe phyſicam, quando verſatur inter terminos phyſicos, phyſicèque oppoſitos inter ſe; moralem vero, quando verſatur inter terminos oppoſitos ſolum moraliter, vt quando quis ex inimico convertitur, & tranſit in amicum, aut è contra.

50 His ſuppoſitis quæſtio præcipua in hac re eſt; vtrum ad veram converſionem neceſſaria ſit vera, & abſoluta deſitio termini *à quo*, per quam deſtruatur à rebus, & non ſolum deficiat à tertio communi ipſi, & termino *ad quem*? Et an etiam ſit neceſſaria vera actio productiva terminata ad terminum ad quem, vel potius ſufficiat actio, per quam nihil aliud fiat, quam ipſum ponere ſub tertio communi ipſi, & termino *à quo*? In hac quæſtione triplex eſt ſententia. Prima, quam ſequuntur plures cum P. Vazq. 3. part. diſp. 181. docet non eſſe neceſſariam deſitionem veram termini *à quo*; ſed ſufficere, quod deficiat ſub tertio communi ipſi, & termino *ad quem*. Secunda docet neceſſariam eſſe veram, & abſolutam deſitionem termini *à quo*, & etiam veram productionem termini *ad quem*. Ita ſentiunt Hurt. Ariag. Quiros, & aliqui RR. Cum P. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 50. ſect. 5. Tertia docet neceſſariam eſſe veram, & abſolutam deſitionem termini *à quo*; ſecus autem veram productionem termini *ad quem*. Refferuntur pro hac ſententia Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 1. & Antiqui plures, quos ſequuntur Vazq. ſup. Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 18. Lugo diſp. 7. de Euchariſt. ſect. 6. Valentia Turrecremata;

tu, Bonacina, quos reffert, & ſequitur Hurtado Complut. diſput. 4. de Euchariſt. diff. 7. Idem docent Turrian. Oviedo, Alphonſ. Carleton, & AA. noſtri communiter. Quid nobis verius videatur, explicabimus per varias concluſiones.

51 Dico 1. Ad converſionem, per quam ſubiectum denominatur converti ab vna forma in aliam, non requiritur vera, & abſoluta deſitio termini *à quo*. Hæc concluſio eſt facilis. Primo, quia, vt materia prima mutetur, & convertatur à forma hominis in formam cadaveris, non deſinit abſolutè à rebus, neque deſtruitur forma hominis; ſed verè permanet, quia immortalis eſt, ſolumque deficit ab informando, ſeu à ſtatu vnionis cum materia: ergo vt ſubiectum denominetur converti ab vna forma in aliam, non requiritur vera, & & abſoluta deſitio termini *à quo*. Secundo à priori: quia ſubiectum converti, & mutari ab vna forma in aliam eſt amittere primam ex vi alterius advenientis; ſed vt amittat primam ex vi alterius advenientis, non requiritur primam vere, & abſolute deficere à rebus ſed ſatis eſt, quòd ammittat eius vnionem, & receptionem, licèt alias Deus miraculoſe conſervet eam formam extra ſubiectum ergo vt ſubiectum convertatur ab vna forma in aliam, non requiritur primam verè, & abſolutè deficere à rebus.

52 Dico 2. Ad converſionem, per quam vna res verè convertatur in aliam, neceſſaria eſt vera, & abſoluta deſitio termini *à quo*. Ita præter ſupra relatos, D. Auguſt. D. Thom. ille lib. 1. de Trinit. cap. 7. vbi ait, ideo divinitatem in Incarnatione non eſſe converſam in creaturam: quia divinitas non deſinit eſſe. Et lib. 18. de Civit. cap. 18. dicit converſiones hominum inferas arte Dœmonum factas non fuiſſe veras converſiones; quia homines non deſtruebantur; ſed à Dœmone amobebantur alio, & eorum loco, ſub eorumque ſpecie ſupponebantur feræ. Hic autem 3. part. quæſt. 75. art. 2. in corp. dicens: *quod convertitur in aliquid facta converſione non manet*.

53 A ratione probatur 1. Rem aliquam in aliam converti, eſt fieri aliam, in aliam tranſire, & ſuum eſſe cum eſſe illius commutare, vt patet ex eo, quod in Euchariſtia panis, & vinum non ſolum dicuntur tranſire in corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed etiam verè *fieri* corpus, & ſanguinem Chriſti. At rem aliquam fieri aliam, in aliam tranſire, & ſuum eſſe cum illius eſſe cōmutare, involuit neceſſa

ceſſario veram, & abſolutam eius deſitionem à rebus: ergo vt res aliqua vere convertatur in aliam neceſſarium eſt, quod verè, & abſolute deficiat à rebus. Maior conſtat, & minor probatur: nam quomodo vna res fiet alia, tranſiet in aliam, ſuumque eſſe cum eſſe illius commutabit; ſi adhuc adveniente alia, & facta converſione, perſeverat ipſa in rebus cum ſuo eſſe ſimpliciter? Confirmatur: vt ſubiectum convertatur ab vna forma in aliam, ita debet tranſire à poſſeſſione vnius ad poſſeſſionem alterius, vt poſſeſſio primæ ſimpliciter deficiat: ergo vt vna forma convertatur in aliam, ita debet in aliam tranſire, vt ipſa ſimpliciter, & abſolute deficiat.

54 2. Probatur. Vt vna res convertatur in aliam, non ſufficit quod ex vi alterius deficiat à tertio vtrique communi: ergo requiritur vlterius, quod ſimpliciter deficiat à rebus. Antecedens probatur 1. Quia anima rationalis, quando deficit à materia ex vi formæ cadaveris non convertitur in cadaver, & forma equi, quando deficit à materia ex vi formæ cadaveris, convertitur in cadaver; ſed non alia eſt differentiæ ratio, niſi quia anima rationalis non deficit ſimpliciter à rebus, & ſic deficit forma equi; ergo quia ad rationem veræ converſionis neceſſum eſt, quod terminus *à quo*, & res converſa ſimpliciter, & abſolutè deficiat à rebus. 2. Probatur idem antecedens. Corpus Chriſti deficiens ſub accidentibus panis, quando hæc tranſeunt ad formam chili, non convertitur in chilum, neque Verbum divinum caſu, quo deficeret ab humanitate, ſi hæc tranſiret ad habendam ſubſiſtentiam creatam, converteretur in hominem reſultantem ex illa ſubſiſtentia, & humanitate præcedente; ſed non alia de cauſa, niſi quia Verbum divinum, & corpus Chriſti non deficerent abſolutè à rebus, licèt deficerent à tertio vtrique communi: ergo ad converſionem non ſufficit, quod terminus *à quo* deficiat à tertio communi; ſed vlterius debet ſimpliciter deficere.

55 3. Probatur: quia converſio, prout hoc nomine, & conceptu ſignificata, comprehendit omnem converſionem naturalem, & ſupernaturalem; ſed in omni converſione naturali, & ſupernaturali, quam novimus, datur abſoluta deſitio termini *à quo*; neque fundamentum eſt, vt aliter dicamus de converſionibus poſſibilibus: ergo vera, & abſoluta deſitio termini *à quo* eſt de ratione, & conceptu converſionis.

56 Sed dices 1.

Omnis productio creata, quam novimus, incipit in tempore; & tamen inceptio hæc temporalis non eſt de conceptu productionis creatæ, quia poſsibile eſt creaturam produci ab æterno, ut cum pluribus docuimus lib. 8. Phyſic. ergo licèt defacto in omni converſione detur abſolute defectus termini *à quo*, poteſt aliter contingere de poſsibili; ideoque talis defectus non erit de conceptu converſionis. Nego conſequentiam; & diſparitas eſt, quia quod de facto in converſione detur defectus termini *à quo* arguimus ex conceptu ipſo converſionis, nempè ex eo, quod eſt *tranſitus unius in aliud*, & fundamentum non eſt, ut converſioni poſsibili alius aſsignetur conceptus, conſequenterque rectè ex converſione defacto accidenti arguimus ad poſsibilem. At de ratione formali productionis ſolum eſt, quod ſit immediata, & eſſentialis determinatio agentis ad terminum, & hic conceptus tàm reperitur in productione æterna, quam in temporali.

57 Dices 2. Saltem in converſione Euchariſtica non apparet ratio, cur neceſſario debeat deficere ſubſtantia panis, quæ eſt terminus *à quo*. Reſpondeo optimam rationem eſſe, & apparere; quia cum forma panis non poſsit conſervari ſine ſuis proprijs accidentibus, à quibus omnino ſeparatur per conſecrationem, hac poſita, deficit neceſſario ea forma: deſficit deinde materia panis, propter ſimilem rationem; videlicet quia per conſecrationem ſeparatur à ſua quantitate, cum qua connectitur, tanquam cum naturali proprietate, & in eo inſtanti, in quo ab ea ſeparatur, non poteſt producere in ſe aliam quantitatem, eam ve recipere ab agentibus naturalibus; quia a quantitate corporis Chriſti, & à quantitate, quę prius erat panis, & manet cum accidentibus, impeditur, ne in eo inſtanti ſub illis accidentibus producat in ſe, aut aliunde recipiat aliam quantitatem proindeque non poteſt diſponi naturaliter ab agentibus naturalibus ad conſequutionem proprij finis, ſcilicet ad receptionem formæ, & compoſitionem totius.

58 Atque inde patet ſolutio ad inſtantiam, quæ fieri poſſet ex his, quæ lib. 1. Phiſicor. diſput. 2. diximus de materia prima, ſcilicèt poſſe naturaliter conſervari, adhuc in caſu, quo miraculosè ſpoliaretur, omni forma. Patet, inquam ſolutio, & diſparitas, quia in eo caſu miraculoſo, materia naturaliter poſſet ab agentibus na-

naturalibus diſponi ad recipiendam formam, & componendum totum ſubſtantiale, prout ibi explicatum eſt num. 126. at in præſenti, nulla eſt, aut eſſe poteſt virtus naturalis, quæ producat quantitatem in materia ſub accidentibus eucharistici, ſub quibus eſt quantitas corporis Chriſti Domini, & quantitas panis reſiſtens penetrationi ſui cum illa alia quantitate; ideòque materia, quæ ſine quantitate non poteſt conſequi naturaliter finem ad quem natura ſua ordinatur, debet deficere ex natura rei.

59 Dices 3. Ponatur lignum miraculosè ſimùl exiſtens Compluti, & Matriti, & accipiat formam ignis ab igne ſimili applicato Matriti. In hoc caſu forma ligni converteretur Matriti in formam ignis; ſed tamen forma ligni non deſtrueretur, nec deſineret eſſe in rebus, ſiquidem lignum maneret Compluti: ergo neceſſe non eſt ad veram converſionem vnius in aliud, quod terminus *à quo* converſionis abſolute deficiat à rerum natura. Reſpondeo dupliciter poſſe excogitari caſum. Primo aſſerendo Deum poſito ligno miraculosè in duplici illo loco, velle per novum miraculum conſervare ſimul in eius materia formam ligni, & formam ignis. Secundo aſſerendo non dari illud ſecundum miraculum; ſed formam ligni deficere à ſuo ſubiecto, quando in eo introducitur Matriti forma ignis. Si contingant res primo modo, non deficeret à rerum natura forma ligni; ſed neque daretur converſio ligni in ignem. Si vero res contingant ſecundo modo forma ligni, & lignum non ſolum deficerent Matriti; ſed deficerent abſolute à rebus, quia illarum formarum oppoſitio non eſt in ordine ad locum; ſed in ordine ad ſubiectum, quod vtrobique eſſet idem. Quare introducta forma ignis, & non ſuperaddito novo miraculo conſervationis formæ ligni, lignum deficeret abſolute, & Deus ceſſaret à miraculoſa conſervatione ligni in duplici loco.

§. II.

Concluditur reſolutio quæſtionis.

60 Dico 3. Ad veram, & realem converſionem non requiritur nova productio termini *ad quem*, ex præciſo conceptu converſionis. Dixi *ex præciſo conceptu converſionis*. Quia ſi verum eſt, quod docuimus in Phyſica, nempe durationes rerum permanentium eſſe eſſentialiter ſucceſivas, & identificatas cum productionibus rerum, quoties fiat converſio in terminum antea exiſtentem, & productum, vt accidit in converſione Euchariſtica, neceſſarium erit, quod in inſtanti con-

verſionis detur nova productio termini *ad quem*, ſicut neceſſarium erit, quod in eodem inſtanti detur nova duratio illius. Sed pro præſenti quæſtione præſcindendum eſt à conſtitutivo durationis, & concluſio noſtra abſolute probanda præciſſe attendendo id, quod converſio petit ex ſuo conceptu formali. Igitur concluſio poſita.

61 Probatur 1. Converſio eſt tranſitus, & deſitio vnius rei in aliam ſub tertio vtrique communi: ergo ea ſolum actio neceſſaria eſt ad converſionem (attento converſionis conceptu) quę neceſſaria eſt, vt ex vi termini *ad quem* deſinat terminus *à quo* ſub tertio vtrique communi; ſed ad hanc deſitionem termini *à quo* ex vi termini *ad quem* non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*: ergo ad veram converſionem, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*. Minor ſubſumpta probatur. Poſita præciſſe actione, quæ conſtituat terminum *ad quem* ſub tertio communi ipſi, & termino *à quo*, & quovis alio ſecluſo, terminus *à quo* deſinit ex vi termini *ad quem* ſub eo tertio vtrique communi, ſub quo opponuntur; ſed ad hoc non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*; nam per id præciſſe, quod anima rationalis antea producta à Deo extra ſubiectum vniretur ſubiecto in hoc inſtanti, deficeret ex vi illius in tali ſubiecto forma præcedens, & verificatur formam præcedentem deficere ex vi animæ propter opoſitionem, quam habent relate ad idem ſubiectum: ergo vt ex vi termini *ad quem* deſinat terminus *à quo* ſub tertio vtrique communi, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*.

62 Probatur 2. In converſione Euchariſtica, in qua integra ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva corporis Chriſti, vt ex vi huius deſinat ſubſtantia panis ſub proprijs accidentibus manentibus poſt conſecrationem ergo ad veram converſionem vnius in aliud, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*. Antec. prob. Vt ex vi corporis Chriſti deſinat ſubſtãtia panis ſub proprijs accidentibus ſufficit quod corpus Chrſti virtute conſecrationis conſtituatur ſub accidentibus ſpeciali quodam modo per quem eis ſubſtet, & ea ſubſtentet, de cuius modi natura agere, non eſt huius loci, ſed ſpectat ad tract. de Euchariſtia. Sed vt corpus Chriſti virtute conſecrationis conſtituatur ſub accidentibus panis ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva corpo-

poris Christi: quia ſufficit, quod adveniat ille modus illud inducens ſub accidentibus: ergo vt ex vi corporis Chriſti deſinat ſubſtantia panis ſub proprijs accidentibus ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva corporis Chriſti.

63 Confirmatur 1. Corpus Chriſti ſumptum ſecundum ſe non opponitur cum ſubſtantia panis, vt patet; ſed ſolum vt exiſtens ſub illius accidentibus exercet oppoſitionem cum illa: ergo vt ex vi corporis Chriſti, deſinat ſubſtantia panis non eſt neceſſaria nova actio productiva corporis Chriſti, ſed ſufficit actio, vi cuius fiat exiſtens, & contineatur ſub accidentibus panis. Confirmatur 2. Ea actio ſufficit ad converſionem Euchariſtiam, quæ ſufficit determinare veritatem huius propoſitionis *contentum ſub accidentibus panis eſt corpus Chriſti*; ſed actio per quam corpus Chriſti verè conſervatur ſub his accidentibus, ſecluſa omni nova actione de novo productiva immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſufficit determinare veritatem huius propoſitionis: ergo ad converſionem Euchariſticam ſufficit actio; per quam corpus Chriſti verè conſtituitur ſub accidentibus panis, ſecluſa omni actione de novo productiva, immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti.

64 Obijc. 1. De ratione, & conceptu formali converſionis, vt ſignificatæ per hoc nomen *converſio*, & conceptum illi correſpondentem, eſt nova productio termini *ad quem*: ergo ad veram, & realem converſionem eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*, ac per conſequens quando terminus *ad quem* eſt antecedenter productus, nova illius productio erit neceſſaria ad converſionem. Antecedens probatur multipliciter. 1. Nam converſio prout ſignificata per hoc nomen, & per conceptum illi correſpondentem, importat formaliter id, quod accidit in converſionibus naturalibus, ad quas ſignificandas impoſitum eſt; ſed in omnibus converſionibus naturalibus accidit, & datur nova productio termini *ad quem*: ergo de ratione & conceptu formali converſionis, eſt nova productio termini *ad quem*. 2. Quia in nutritione hominis alimentum non convertitur in animam rationalem, & in nutritione equi alimentum convertitur in animam equi; ſed non alia de cauſa, niſi quia in nutritione hominis non datur nova productio animæ rationalis; & in nutritione equi datur nova productio animæ equi, ſcilicet il-

lius novæ partis animæ, quæ producitur in materia alimenti, & eam informat; ergo.

65 3. Quia iuxta 2. concluſionem converſio prout ſignificata per hoc nomen, & per conceptum illi correſpondentem, importat formaliter veram: & abſolutam deſitionem termini *à quo*: ergo etiam veram, & novam productionem termini *ad quem*. 4. Si Divinitas vnita humanitati deficeret ab humanitate adveniente gratia habituali, non converteretur in gratiam, quia divinitas non deficeret à rerum natura; & ſi gratia antecedenter exiſtens in humanitate deficeret adveniente vnione divinitatis, non converteretur in divinitatem, non alia de cauſa, niſi quia divinitas de novo non produceretur, vt colligi videtur ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1: ergo quia converſio prout hoc nomine ſignificata importat novam productionem termini *ad quem*.

66 Ad argumentum nego antecedens; & ad eius primam probationem reſpondeo, conceptum converſionis correſpondentem huic nomini *converſio* præciſe ſignificare, id quod homines imponentes ſignificationem vocibus voluerunt ſignificare per hanc vocem *converſio*, homines autē non voluerunt ſignificare per hanc vocem, omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, ſed aliquid, nempè deſitionem termini *à quo* ex vi termini *ad quem* ſub tertio communi vtrique termino; deſitio vero termini *à quo* ex vi termini *ad quem*, non importat productionem novam termini *ad quem*; vt probatum eſt. Quod autem homines non voluerunt ſignificare per illam vocem omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, facile probatur. Nam in converſionibus naturalibus non datur tranſubſtantiatio, ſeu converſio totius ſubſtantiæ præcedentis, in ſubſtantiam advenientem; nam id ſolum accidit in converſione Euchariſtica. Deinde in converſionibus naturalibus reperitur frequenter prima productio termini *ad quem*, quia ſubiectum non acquirit per converſionem terminum antea productum, & exiſtentem extra omne ſubiectum; vt patet; neque terminum antea exiſtentem, & iam deſtructum ante inſtans converſionis; quia terminus ſemel deſtructus, naturaliter non producitur ſecundo propter impoſſibilitatem naturalem reproductionis; ſed homines non voluerunt ſignificare per vocem *converſio* carentiam tranſubſtantiationis, aut primam productionem termini *ad quem*; alias per hanc vocem *converſio*, & conceptum illi correſpondentem, converſio Euchariſtica, in qua, & datur tranſubſtantiatio, & non datur prima productio corporis Chriſti, non ſignifica-

re;

retur vnivocè cum alijs converſionibus, vt eſt manifeſtum: ergo homines non voluerunt ſignificare per illam vocem *converſio* omne id quid accidit in converſionibus naturalibus. Quare in converſionibus naturalibus non datur nova productio termini *ad quem* ex conceptu converſionis (ſicut neque ex eo conceptu datur prima productio eiuſdem termini) ſed ex impotentia naturali, vt terminus *ad quem* exiſtat prius in rerum natura, vel ſine ſubiecto, cui per converſionẽ vnitur, vel ex impotentia, vt re producatur in inſtanti cõveſionis.

67 Ad 2. probationem nego antecedens: nam eadem veritate, qua lignum dicitur converti in ignem, quia forma ligni deficit ex vi formæ ignis, dicitur etiam alimentum cõverti in hominem, qui forma alimenti deficit ex vi animæ rationalis vnitæ materiæ alimenti. Ad 3. conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, diſparitas conſtat eſt dictis: nam res converſa non fit aliud, nec in aliud commutatur, ſi in inſtanti converſionis perſeverãt in ſuo eſſe. Dicitur tamen deſinere ex vi termini *ad quem*, licèt de novo non producti, penes id ſolum, quod hic terminus in actu ſecundo exerceat ſuam oppoſitionem cum termino *à quo* ſub tertio ſibi, & termino *à quo* communi. Ad 4. conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam. Ratio enim cur gratia non converteretur in divinitatem, non eſt, quæ aſſignatur in obiectione; ſed defectus oppoſitionis gratiæ cum divinitate ſub tertio communi; ſiquidem optimè de facto compatiuntur gratia, & divinitas, in humanitate Chriſti Domini.

68 D. Thom. non eſt contra nos. 1. Quia dum dicit loco cit. nihil converti in divinitatem, quia divinitas eſt ingenerabilis, non ſignificat terminum *ad quem* converſionis ex neceſitate debere produci in inſtanti converſionis; ſed præciſſe vul terminum *ad quem* converſionis deberé eſſe natura ſua generabilem (cuius conditionis non eſt divinitas) & hoc ideò docet S. Doct. quia homines imponentes ſignificationem vocibus voluerunt id ſignificare per vocem *converſio*. Iuxta quam doctrinam, ſi Verbum divinum aſſumpſiſſet humanitatem prius, ſubſiſtentem ſubſiſtentia creata, vt de potentia ſaltem abſoluta potuit accidere, in eo caſu ſubſiſtentia creata, quæ deficeret ab humanitate ex vi ſubſiſtentiæ Verbi, non converteretur in hanc, quia hæc non eſt natura ſua generabilis, & producibilis per actionẽ creatã, & tẽporalem.

69 2. Et fortè verius reſponderi poteſt D. Thom. non agere loco cit. in obiectione de converſione ſtricta, de qua in præſenti agimus; ſed de alia imperfecta, quæ fit per mixtionem duo-

duorum ; ex quibus permixtis reſultat tertium quoddam adæquatè diſtinctum ab vtroque, ut contingit in mixtione elementorum : ad quam neceſſarium eſt, quod vel forma, vel aliquod accidens illius de novo inducatur, & introducatur in materia alterius. De converſione autem ſic accepta veriſsimè dixit D. Thom. nihil poſſe in Deum converti, quia Deus eſt ingenerabilis. Quod vero S. D. loquatur de converſione ſumpta pro miſtione patet ex eius verbis : in corp. art. ait ſic: *Alio modo ſit aliquid vnum ex perfectis, ſed tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum ; & ſic aliqui dixerunt vnionem. Incarnationis factam eſſe per modum complexionis ; ſed hoc non poteſt eſſe quia natura divina eſt omnino immutabilis, vt in 1. p. dictum eſt. Vnde nec ipſa poteſt converti in aliud cum ſit incorruptibilis, nec aliud in ipſam, cum ſit ingenerabilis.* Et reddit proſecunda rationē. *Quia id quod eſt commixtum nulli miſcibilium eſt idem ſpecie : differt enim caro à qualibet elementorum ſpecie, & ſic Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum Patre, nec cum Matre.*

70 Obijc. 1. Converſio Euchariſtica eſt converſio ſubſtantialis ; ſed non eſſet converſio ſubſtantialis, ſi in ea non daretur actio nova terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, illamque de novo producens : ergo in converſione Euchariſtica datur actio de novo productiva corporis Chriſti. Maior eſt certa, & minor probatur 1. Converſio ſubſtantialis eſt actio ſubſtantialis : ergo ſi in converſione Euchariſtica non datur actio terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non erit converſio ſubſtantialis. 2. Ea converſio non eſt ſubſtantialis, in qua termini qui opponuntur ſub tertio communi non ſunt ſubſtantiales; ſed ſi in converſione Euchariſtica, non datur actio immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, termini, qui opponuntur ſub tertio communi, non ſunt ſubſtantiales, quia ſubſtantia panis non opponitur cum corpore Chriſti, ſed cum accidentali vnione illius cum accidentibus proprijs panis, vi cuius vnionis deſinit eſſe in rerum natura : ergo in converſione Euchariſtica datur nova actio ſubſtantialis terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti. Confirmatur. Nam quomodo converſio Euchariſtica erit actio ſubſtantialis, ſi per eam non producitur aliquis terminus ſubſtantialis ; ſed per eam nullus terminus ſubſtantialis producitur diſtinctus à ſubſtantia corporis Chriſti, quidquid dicat Valent. 3. part. diſp. 6. quæſt. 3. ergo producitur ſubſtantia corporis Chriſti.

Ne

71 Nego minorem obiectionis. Ad cuius primam probationem nego antecedens. Quia conversio ſubſtantialis, ſtrictè loquendo non eſt actio ſubſtantialis; ſed deſitio, & *tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam.* Quare ea ſolum actio neceſſaria eſt ad converſionem, quæ ſufficit verificare vnam ſubſtantiam deſinere in aliam, ſivè illa actio ſit ſubſtantialis, ſivè accidentalis ſic denominata à termino, quem immediatè producit. Dicitur tamen in communi modo loquendo converſio ſubſtantialis, quando termini, quorum alter convertitur in alterum, & deſinit ex vi illius, ſunt ſubſtantiales, prout re vera ſunt in converſione Euchariſtica. Itaque, vt bene obſervat Carleton, actio converſiva in Euchariſtia, & poteſt comparari cum termino, quem immediatè producit, & poteſt comparari cum terminis, inter quos intercedit converſio. Comparata cum termino, quem immediatè producit non dicitur converſio, ſed actio accidentalis, quia nullam ſubſtantiam producit; ſed modum accidentalem exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis; ſed quia dum hæc actio producit modum illum accidentalem, convertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ideò illa actio comparata cum terminis converſionis dicitur converſio ſubſtantialis. Simile quid accidit in generatione hominis, quæ tota conſiſtit in actione productiva vnionis; quæ quidem actio comparata cum vnione, ad quam immediatè terminatur, dicitur, & eſt vera productio; comparata verò cum anima rationali per vnionem immediatè, & formaliter vnita materiæ, non dicitur productio, quia reverà non producit animam; ſed inductio, ſeu introductio, quia media vnione, quam immediatè producit, affert, & introducit animam in materia.

72 Ad *Secundum.* In converſione conſiderare oportet terminos, qui opponuntur *vt quod*, idest, qui converti dicuntur; & terminum, medio, quo exercent eam oppoſitionem, & opponuntur in actu ſecundo: vt converſio ſit ſubſtantialis, ſufficit, quod termini oppoſiti *vt quod* ſint ſubſtantiales, licèt id, medio *quo* opponuntur ſit accidentale. In converſione autem Euchariſtica termini oppoſiti, *vt quod* ſunt ſubſtantiales; ſcilicèt ſubſtantia panis & ſubſtantia corporis Chriſti, licèt modus exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis, & quo mediantè exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem, ſit accidentalis; ideoque converſio Euchariſtica, eſt ſubſtantialis, licèt in ea non interveniat actio ter-

terminata immediate ad aliquem terminum ſubſtantialem. Vnde conſtat ſolutio ad confirmationem.

73 Obijc. 3. PP. Eccleſię ſæpè aſſerentes, quod in converſione Eucharistica, corpus Christi *fit*, *producitur*, *creatur*: ergo in hac converſione intervenit actio immediate terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti; illiuſque productiva. Vrgetur ex RR. in Euchariſtia vinum fit ſanguis Chriſti, & ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantia corporis Chriſti; ſed ſi non datur actio nova productiva corporis Chriſti, vinum non fit ſanguis Chriſti neque ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo datur illa actio. Minor probatur: quia ſecluſa illa actione, ſolum verificabitur, quod vnio vini cum ſuis accidentibus fit vnio ſanguinis Chriſti cum eiſdem; & quod vnio, & modus exiſtendi ſubſtantiæ panis ſub propris accidentibus, mutatur in vnionem, & modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem.

74 Ad argumentum reſpondet optime P. Vazq. PP. nihil aliud aſſerere, quam ſubſtātiam corporis, & ſanguinis Chriſti, ita conſtitui ex vi verborum conſecrationis ſub accidentibus panis, & vini, & ita ex vi eius cōſtitutionis deſinere ſub illis accidentibus ſubſtantias, quarum ſunt propria, ac ſi per conſecrationem produceretur de novo quoad ſuam entitatem ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti quæ ſolutio ſic explicari poteſt, & confirmari. Quando in converſione accidentali frigidi in calidum dicitur lignum ex frigido fieri calidum, non ſignificatur lignum fieri, & produci, quoad ſuam entitatem; ſed fieri hoc quod eſt eſſe *calidum*, quod fit per calorem advenientē ligno: ergo quando verè dicitur *panis fieri corpus Chriſti* nō ſignificatur corpus Chriſti fieri, & produci quoad ſuam entitatem, ſed per verba conſecrationis fieri, quod corpus Chriſti contineatur ſub accidentibus panis; quod ſanè nihil aliud eſt, quam fieri eius *eſſe ſacramentale*, & modum ſpecialem exiſtendi ſub panis accidentibus. Id expreſſiſſè videtur D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. corp. dicens: *non enim faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti* (facerent autem, ſi illud phyſicè producerent) *ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti*.

75 Ad confirmationem RR. facilis eſt ſolutio. Etenim in conſecratione Euchariſtica duplex datur converſio. Alia accidentalis, nempè vnionis panis cum ſuis accidentibus in vnionem, ſeu modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem. Alia ſubſtantialis, nempè ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Quia non ſolum deſinit vnio illa accidentalis accidentibus

dentium cum pane in vnionem, ſeu modum exiſtendi corpus Chriſti ſub ipſis; ſed etiam ſubſtantia ipſa panis deſinit in ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ vt *quod* opponitur cum ſubſtantia panis, licet intercedat, vt cauſalitas modus ille ſpecialiter exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus, in quem modum deſinit vnio accidentalis præcedens accidentium cum pane. Igitur non ſolum eſt verum vnionem accidentalem accidentium cum pane converti, & mutari in modum exiſtendi corpus Chriſti ſub eiſdem accidentibus; ſed etiam eſt verum ſubſtantiam panis, & vini mutari, & converti in corpus, & ſanguinem Chriſti. Quare notavit bene Oviedo vbi ſupra in omni converſione ſubſtantiali intercedere converſionem accidentalem, per quam productio vnionis formæ præcedentis deſinit in productionem vnionis formæ advenientis: quia ſicut formę & earũ vniones opponũtur inter ſe; ita etiam opponuntur earum productiones, & productiones vniorum; ſed non ideò converſio formarum non eſt ſubſtantialis; nimirum quia converſio accidentalis, quæ ſimul reperitur, ſolùm eſt cauſalitas, media qua formæ exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem.

(§)

SECTIO IV.

De Generatione viventium.

76 GEneratio ſubſtantialis viventium ſic definitur cum Div. Thom. 1. part. q. 27. art. 2. *Origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Dicitur *origo*, idest influxus efficientis, vel quaſi efficientis, quia verbum divinum oritur à Patre per generationem, & tamen Pater non eſt cauſa efficiens ipſius; ſed principium productivum citra omnem veram cauſalitatem. Nam, vt diximus lib. 2. Phyſic. diſp. 2. ſect. 1. omnis vera cauſa eſt talis reſpectu termini diſtincti in eſſentia, & natura; & Pater producit filium habentem eandem numero naturam, & eſſentiam cum Patre. *Viventis à vivente*, per quæ denotatur, generationem hanc eſſe influxum, per quem ſubſtantia vivens procedit à ſubſtantia viventi. Ideò productio, qua vivens producit ſubſtantiam non viventem, v. gr. ſanguinem, capillos, & vnguens non eſt generatio viventis: neque productio, qua ſubſtantia non vivens producit ſubſtantiam viventem, v. gr. productio per quam cadaver producit vermes, vel per quam veſtis, aut lignum aridum producit tineam; nec tandem actio per quam aliud vivens deſcendit ex alio citra influxum acti-

tivum illius? qua de cauſa, Eva efformata ex Adę coſta, non fuit Adæ filia, quia videlicèt non per actionem Adæ, ſed Dei producta eſt ex coſta Adæ.

77 *A principio coniuncto*, per hanc particulam ſignificatur, quod in vivente genito debet permanere aliquid, quod ſit, vel fuerit pars vtilis generanti. Quare in omnibus generationibus naturalibus perſeverat in genito ſemen deciſum à Patre; & in æterna generatione perſeverat in filio natura Patris. Ex defectu huius conditionis Adamus à Deo procedens, non proceſsit tanquam propriè filius, quia nihil proprium Dei manſit in Adamo. Neque avis, quæ medio ſuo incubatu educit pullos ex ovis alienis producit illos per generationem ſtrictà, & tanquam verus Pater, quia in pullis non manet aliquid proprium avis incubantis; ſed avis parientis ova, cuius verè ſunt filij. Et propter eandem rationem, ſi Dæmon poneret in matrice fœminæ ſemen formatum, & elaboratum ab homine, filius inde genitus non eſſet filius Dæmonis; ſed hominis, cuius erat illud ſemen. Cæterum vna arbor dicitur verè generare aliam, nam efficienter elaborat ſemen, ex quo alia procreatur; licet hæc alia non dicatur filia prioris, quia nomina hæc *filius*, & *filia* ex hominum impoſitione ſolum ſignificant viventia cognoſcitiva, & arbor ab alia genita caret cognitione. Quare generatio hæc licèt viventis à vivente, non comprehenditur in præſenti definitione.

78 *In ſimilitudinem naturæ*, ideſt, vivens generans ita producit vivens genitum à principio coniuncto, vt medio eo principio intendat prolem evadere ſimilem ſibi. Ideo actio, per quam in vivente generantur vermes viventes non eſt generatio, quia licèt producantur ex aliquo viventis generantis, tamen hoc vivens non intendit producere per eam actionem prolem ſibi ſimilem.

79 Dices: Vel ſimilitudo requiſita inter generans, & genitum, debet eſſe generica, vel ſpecifica? Si generica: vermes producti à vivente, cui evadunt ſimiles in ratione generica viventis, erunt eius filij. Si ſpecifica: mulus genitus ab aſino, & equa non erit eorum filius, ſiquidem non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis. Neque Verbum Divinum erit filius Patris: nam in natura non habet ſimilitudinem, ſed identitatem cum Patre, & in perſonalitate non habet cum Patre ſimilitudinem ſpecificam; ſiquidem vnius, & alterius perſonalitates non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diverſæ.

80 Reſpondeo ſimilitudinem geniti cum generante

ex intentione generantis debere eſſe ſpecificam; id eſt, generans intendere producere prolem ſibi ſimilem in ſpecie, niſi hæc ſimilitudo, & vnitas ſpecifica aliũde impediatur a natura, vel compenſetur alia perfectiore vnitate. Vnde vermes producti à vivente non ſunt eius filij, quia media materia ex qua vermes fiunt non intendit vivens ſimilitudinem ſpecificam. At mulus verè eſt filius aſini, & equæ, quia quivis eorum, medio ſemine, quod ad generationem miniſtrat intendit producere prolem ſuæ ſpeciei: impeditur tamen hæc ſimilitudo per accidentalem coniunctionem, & per mixtionem vtriuſque ſeminis, & evadit partus monſtroſus, quin monſtroſitas partus impediat ab eo rationem filij. Vnde, & partus monſtroſi, qui in hominibus contingere ſolent ſunt verè hominum filij quia per verum ſemen à ſe deciſſum intendebant in prole ſimilitudinem ſpecificam, quæ impeditur per accidentalem coniunctionem aliarum cauſarum naturalium potentiorum, quæ vehementer immutant qualitates ſeminum Parentum. Tandem Verbum Divinum eſt filius Patris; quia licet non habeat cum Patre ſimilitudinem ſpecificam in natura; habet tamen vnitatẽ, & identitatem numericam, quę perfectior eſt ſpecifica ideò que compenſat vnitatem ſimilitudinis ſpecificæ.

81 Inſtabis: ergo Spiritus Sanctus eſt etiam filius Patris, & filij, quod eſt contra fidem. Probatur conſequentia, Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, tam evadit ſimilis in natura ſuo principio ſcilicèt Patri, & filio, quam filius evadit ex vi ſuæ proceſsionis ſimilis in natura Patri: quia natura Patris, Filij, & Spiritus Sancti eadem eſt numero, eamque tam accipit Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis à Patre, & Filio, quam candem accipit filius ex vi ſuæ proceſsionis à Patre: ergo ſi Verbum ideò eſt Filius Patris, quia ex vi ſuæ proceſsionis habet naturam vnam cum Patre vnitate identitatis; propter eandem rationem. Spiritus Sanctus erit Filius Patris, & Filij. De hac difficultate agunt Theologi tract. de Trinit. vbi proprium habet locum. Ex his autem, quæ ibi docentur, duplex ſolutio ſatis probabilis occurrit inſtantiæ. Vtramque breviter inſinuabo.

82 Prima eſt, ideò Verbum Divinum, potius quam Spiritum Sanctum eſſe Filium, licèt vterque ex vi ſuæ proceſsionis accipiat candem naturam numero ſui principij, quia Verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ; & Spiritus Sanct. eſto accipiat à Patre, & Filio vtriuſ-

que

tivum illius: qua de cauſa, Eva efformata ex Adę coſta, non fuit Adæ filia, quia videlicet non per actionem Adæ, ſed Dei producta eſt ex coſta Adæ.

77 *A principio coniuncto*, per hanc particulam ſignificatur, quod in vivente genito debet permanere aliquid, quod ſit, vel fuerit pars vtilis generanti. Quare in omnibus generationibus naturalibus perſeverat in genito ſemen deciſum à Patre; & in æterna generatione perſeverat in filio natura Patris. Ex defectu huius conditionis Adamus à Deo procedens, non proceſsit tanquam propriè filius, quia nihil proprium Dei manſit in Adamo. Neque avis, quæ medio ſuo incubatu educit pullos ex ovis alienis producit illos per generationem ſtrictã, & tanquam verus Pater, quia in pullis non manet aliquid proprium avis incubantis; ſed avis parientis ova, cuius verè ſunt filij. Et propter eandem rationem, ſi Dæmon poneret in matrice fœminæ ſemen formatum, & elaboratum ab homine, filius inde genitus non eſſet filius Dæmonis; ſed hominis, cuius erat illud ſemen. Cæterum vna arbor dicitur verè generare aliam, nam efficienter elaborat ſemen, ex quo alia procreatur; licet hæc alia non dicatur filia prioris, quia nomina hæc *filius*, & *filia* ex hominum impoſitione ſolum ſignificant viventia cognoſcitiva, & arbor ab alia genita caret cognitione. Quare generatio hæc licèt viventis à vivente, non comprehenditur in præſenti definitione.

78 *In ſimilitudinem naturæ*, idest, vivens generans ita producit vivens genitum à principio coniuncto, vt medio eo principio intendat prolem evadere ſimilem ſibi. Ideo actio, per quam in vivente generantur vermes viventes non eſt generatio, quia licèt producantur ex aliquo viventis generantis, tamen hoc vivens non intendit producere per eam actionem prolem ſibi ſimilem.

79 Dices: Vel ſimilitudo requiſita inter generans, & genitum, debet eſſe generica, vel ſpecifica? Si generica; vermes producti à vivente, cui evadunt ſimiles in ratione generica viventis, erunt eius filij. Si ſpecifica: mulus genitus ab aſino, & equa non erit eorum filius, ſiquidem non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis. Neque Verbum Divinum erit filius Patris: nam in natura non habet ſimilitudinem, ſed identitatem cum Patre, & in perſonalitate non habet cum Patre ſimilitudinem ſpecificam; ſiquidem vnius, & alterius perſonalitates non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diverſæ.

80 Reſpondeo ſimilitudinem geniti cum generante ex

ex intentione generantis debere eſſe ſpecificam; id eſt, generans intendere producere prolem ſibi ſimilem in ſpecie, niſi hæc ſimilitudo, & vnitas ſpecifica aliũde impediatur a natura, vel compenſetur alia perfectiore vnitate. Vnde vermes producti à vivente non ſunt eius filij, quia media materia ex qua vermes fiunt non intendit vivens ſimilitudinem ſpecificam. At mulus verè eſt filius aſini, & equæ, quia quivis eorum, medio ſemine, quod ad generationem miniſtrat intendit producere prolem ſuæ ſpeciei: impeditur tamen hæc ſimilitudo per accidentalem coniunctionem, & per mixtionem vtriuſque ſeminis, & evadit partus monſtroſus, quin monſtroſitas partus impediat ab eo rationem filij. Vnde, & partus monſtroſi, qui in hominibus contingere ſolent ſunt verè hominum filij quia per verum ſemen à ſe deciſſum intendebant in prole ſimilitudinem ſpecificam, quæ impeditur per accidentalem coniunctionem aliarum cauſarum naturalium potentiorum, quæ vehementer immutant qualitates ſeminum Parentum. Tandem Verbum Divinum eſt filius Patris; quia licet non habeat cum Patre ſimilitudinem ſpecificam in natura; habet tamen vnitatẽ, & identitatem numericam, quę perfectior eſt ſpecifica ideòque compenſat vnitatem ſimilitudinis ſpecificæ.

81 Inſtabis: ergo Spiritus Sanctus eſt etiam filius Patris, & filij, quod eſt contra fidem. Probatur conſequentia, Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, tam evadit ſimilis in natura ſuo principio ſcilicèt Patri, & filio, quam filius evadit ex vi ſuæ proceſsionis ſimilis in natura Patri: quia natura Patris, Filij, & Spiritus Sancti eadem eſt numero, eamque tam accipit Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis à Patre, & Filio, quam eandem accipit filius ex vi ſuæ proceſsionis à Patre: ergo ſi Verbum ideò eſt Filius Patris, quia ex vi ſuæ proceſsionis habet naturam vnam cum Patre vnitate identitatis; propter eandem rationem Spiritus Sanctus erit Filius Patris, & Filij. De hac difficultate agunt Theologi tract. de Trinit. vbi proprium habet locum. Ex his autem, quæ ibi docentur, duplex ſolutio ſatis probabilis occurrit inſtantiæ. Vtramque breviter inſinuabo.

82 Prima eſt, ideò Verbum Divinum, potius quam Spiritum Sanctum eſſe Filium, licèt vterque ex vi ſuæ proceſsionis accipiat eandem naturam numero ſui principij, quia Verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ; & Spiritus Sanct. eſto accipiat à Patre, & Filio vtriuſque

quenaturam; tamen ex vi ſuæ proceſsionis non accipit eam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ. Ratio eſt; quia natura formaliter, vt natura, & ſecundum munus proprium naturæ dicit virtutem, & fęcunditatem communicandi ſe ipſam alteri; ſed verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam cum virtute, & fæcunditate eam communicandi alteri, nempè Spiritui S. & Spiritus S. ex vi ſuæ proceſsionis non ita accipit à Patre, & Filio naturam, vt eam accipiat cum virtute, & fæcunditare eam communicandi alteri, vt eſt certum: ergo verbum potius quam Spiritus S. accipit à ſuo principio naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ. Procedit ergo Filius à Patre in ſimilitudinem naturę, ſecus Spiritus Sanctus: quia Filius, & non Spiritus S. ex vi ſuę proceſsionis eſt ſimilis ſuo principio in natura formaliter prout natura eſt, & ſecundam proprium naturę munus; ac per conſequens proceſsio Verbi eſt generatio; & Verbum eſt Filius; proceſsio vero Spiritus S. non eſt generatio, & Spiritus S. non eſt Filius Ita P. Zuñiga diſp. 3. de Trinit. dubio 20. memb. 9. quem alij ſequuntur.

83 Dices: Verbum ex vi ſuæ proceſsionis non accipit à Patre naturam cum ea fæcunditate, quæ eſt in Patre; quia in Patre eſt natura cum fæcunditate eam communicandi alteri per generationem, & hac ratione non eſt in filio, alias filius generaret Spiritum Sanctum: ergo ſaltem Verbum non erit ita propriè Filius Patris, ſicut filij creati ſunt filij ſuorum parentum, à quibus accipiunt naturam cum fęcunditate eam communicandi per generationem. Nego conſequentiam: quia de ratione naturæ, vt natura eſt, ſolum eſt, quod habeat fæcunditatem, vt communicetur alteri, ſivè per generationem, ſivè aliter: cum autem in Verbo ſit natura Patris cum virtute, & fæcunditate, vt alteri communicetur, licèt non per generationem, ſed per ſpirationem, & in Spiritu Sancto non ſit natura, vt ita fæcunda; ideò in Verbo eſt natura Patris ſecundum proprium munus naturæ, ſecus in Spiritu Sancto, & conſequenter Verbum eſt vere filius Patris, & Spiritus Sanctus non eſt filius Patris, & Filij; neque filij creati ſunt magis, aut proprius filij ſuorum Parentum quam Verbum eſt filius Patris, licèt illi accipiant per generationem naturam parentum, cum fæcunditate generativa aliorum; nam vt ſint filij accipere debent ex vi ſuæ proceſsionis naturam parentum cum fæcunditate, vt eam alteri communicent: in creatis autem non eſt alius modus communicandi na-

naturam, niſi per generationem: quare ſi filij non participarent hanc fęcunditatem, nullam participarent à parentibus, & conſequenter non eſſent eorum filij.

84 Neque obſtat, quod in generationibus monſtroſis filij habeant naturam infęcundam, vt accidit in mulis ex aſino, & equa deſcendentibus; quia filij non habent eam infæcunditatem ex vi ſuæ generationis, quæ potius tendit, ex propria naturæ intentione ad propagandam parentum naturam, & ad communicandam filijs virtutem generativam; ſed totum id provenit ex accidentali permixtione ſeminum diſsimilium. Quod cernere etiam eſt in generationibus pluribus naturalibus, in quibus filij ſunt infæcundi, & tamen verè ſunt filij, quatenus ex intentione naturæ generatio tendit, vt parentum natura ſit in illis fęcunda ad aliorum productionem, & præter naturæ intentionem impeditur ea fęcunditas ratione accidentium, ſupervenientium, quæ oppoſitionem habent cum temperamento requiſito ad fæcunditatem, & generationem.

85 Secunda ſolutio, quam cum P. Vazq. 1. part. diſp. 113. cap. 7. ſequuntur plures docet ideo verbum prę Spiritu Sancto eſſe filium eiuſque proceſsionem à Patre veram generationem; quia Verbum præ Spiritu Sancto ex vi ſuæ proceſsionis procedit à Patre *in ſimilitudinem naturæ*. Hoc autem ideo eſt verum; quia ly *in ſimilitudinem naturæ* non ſolum ſignificat Filium habere ex vi generationis identitatem ſpecificam, vel numericam cum natura Patris, ſed vlterius eſſe ſimilitudinem, & imaginem illius, ipſum exprimentem, & repræſentantem. Id autem eſſe de conceptu generationis viventium expreſſe traditur à D. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 2. in corp. dicente filium illum dici reſpectu alterius, qui eſt imago illius, & eiuſdem naturæ cum ipſo, dummodo hoc *in viventibus accipiatur*. [illegible] conſtat ex communi modo loquendi: cum enim hominem dicimus, magis, vel minus propriè filium alterius, qui cum habeat eandem naturam cum illo, magis, vel minus illum repræſentat, tanquam imago quædam refferens individuales eius proprietates, nempe faciei lineamenta, magnitudinem corporis, ingenium, indolem, & ſimilia: ergo iuxta communem ſenſum, vt aliquis ſit filius non ſolum debet habere naturam eandem ſpecie, vel numero cum ſuo principio; ſed etiam debet eſſe illius imago, ſaltem ex intentione naturæ, quæ eam imaginem, & repræſentationem

lius novæ partis animæ, quæ producitur in materia alimenti, & eam informat; ergo.

65 3. Quia iuxta 2. conclusionem converſio prout ſignificata per hoc nomen, & per conceptum illi correſpondentem, importat formaliter veram: & abſolutam deſitionem termini *à quo*: ergo etiam veram, & novam productionem termini *ad quem*. 4. Si Divinitas vnita humanitati deficeret ab humanitate adveniente gratia habituali, non converteretur in gratiam, quia divinitas non deficeret à rerum natura; & ſi gratia antecedenter exiſtens in humanitate deficeret adveniente vnione divinitatis, non converteretur in divinitatem, non alia de cauſa, niſi quia divinitas de novo non produceretur, vt colligi videtur ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. ergo quia converſio prout hoc nomine ſignificata importat novam productionem termini *ad quem*.

66 Ad argumentum nego antecedens; & ad eius primam probationem reſpondeo, conceptum converſionis correſpondentem huic nomini *converſio* præciſſe ſignificare, id quod homines imponentes ſignificationem vocibus voluerunt ſignificare per hanc vocem *converſio*, homines autẽ non voluerunt ſignificare per hanc vocem, omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, ſed aliquid, nempè deſitionem termini *à quo* ex vi termini *ad quem* ſub tertio communi vtrique termino; deſitio vero termini *à quo* ex vi termini *ad quem*, non importat productionem novam termini *ad quem*; vt probatum eſt. Quod autem homines non voluerunt ſignificare per illam vocem omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, facile probatur. Nam in converſionibus naturalibus non datur tranſubſtantiatio, ſeu converſio totius ſubſtantiæ præcedentis, in ſubſtantiam advenientem; nam id ſolum accidit in converſione Eucharistica. Deinde in converſionibus naturalibus reperitur frequenter prima productio termini *ad quem*, quia ſubiectum non acquirit per converſionem terminum antea productum, & exiſtentem extra omne ſubiectum; vt patet; neque terminum antea exiſtentem, & iam deſtructum ante inſtans converſionis; quia terminus ſemel deſtructus, naturaliter non producitur ſecundo, propter impoſſibilitatem naturalem reproductionis; ſed homines non voluerunt ſignificare per vocem *converſio* carentiam tranſubſtantiationis, aut primam productionem termini *ad quem*; alias per hanc vocem *converſio*, & conceptum illi correſpondentem, converſio Eucharistica, in qua, & datur tranſubſtantiatio, & non datur prima productio corporis Chriſti, non ſignificare;

retur vnivocè cum alijs converſionibus, vt eſt manifeſtum: ergo homines non voluerunt ſignificare per illam vocem *converſio* omne id quid accidit in converſionibus naturalibus. Quare in converſionibus naturalibus non datur nova productio termini *ad quem* ex conceptu converſionis (ſicut neque ex eo conceptu datur prima productio eiuſdem termini) ſed ex impotentia naturali, vt terminus *ad quem* exiſtat prius in rerum natura, vel ſine ſubiecto, cui per converſionē vnitur, vel ex impotentia, vt re producatur in inſtanti cōveſionis.

67 Ad 2. probationem nego antecedens: nam eadem veritate, qua lignum dicitur converti in ignem, quia forma ligni deficit ex vi formæ ignis, dicitur etiam alimentum cōverti in hominem, quia forma alimenti deficit ex vi animæ rationalis vnitæ materiæ alimenti. Ad 3. concesso antecedenti, nego conſequentiam, diſparitas conſtat eſt dictis: nam res converſa non fit aliud, nec in allud commutatur, ſi in inſtanti converſionis perſeverāt in ſuo eſſe. Dicitur tamen deſinere ex vi termini *ad quem*, licèt de novo non producti, penes id ſolum, quod hic terminus in actu ſecundo exerceat ſuam oppoſitionem cum termino *à quo* ſub tertio ſibi, & termino *à quo* communi. Ad 4. conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam. Ratio enim cur gratia non converteretur in divinitatem, non eſt, quæ aſſignatur in obiectione; ſed defectus oppoſitionis gratiæ cum divinitate ſub tertio communi; ſiquidem optimè de facto compatiuntur gratia, & divinitas, in humanitate Chriſti Domini.

68 D. Thom. non eſt contra nos. 1. Quia dum dicit loco cit. nihil converti in divinitatem, quia divinitas eſt ingenerabilis, non ſignificat terminum *ad quem* converſionis ex neceſſitate debere produci in inſtanti converſionis; ſed præciſſe vult terminum *ad quem* converſionis deberé eſſe natura ſua generabilem (cuius conditionis non eſt divinitas) & hoc ideò docet S. Doct. quia homines imponentes ſignificationem vocibus voluerunt id ſignificare per vocem *converſio*. Iuxta quam doctrinam, ſi Verbum divinum aſſumpſiſſet humanitatem prius, ſubſiſtentem ſubſiſtentia creata, vt de potentia ſaltem abſoluta potuit accidere, in eo caſu ſubſiſtentia creata, quæ deficeret ab humanitate ex vi ſubſiſtentiæ Verbi, non converteretur in hanc, quia hæc non eſt natura ſua generabilis, & producibilis per actionē creatā, & tēporalem.

69 2. Et fortè verius reſponderi poteſt D. Thom. non agere loco cit. in obiectione de converſione ſtricta, de qua in præſenti agimus; ſed de alia imperfecta, quæ fit per mixtionem duo-

duorum; ex quibus permixtis reſultat tertium quoddam adæquatè diſtinctum ab vtroque, ut contingit in mixtione elementorum: ad quam neceſſarium eſt, quod vel forma, vel aliquod accidens illius de novo inducatur, & introducatur in materia alterius. De converſione autem ſic accepta veriſsimè dixit D. Thom. nihil poſſe in Deum converti, quia Deus eſt ingenerabilis. Quod vero S. D. loquatur de converſione ſumpta pro miſtione patet ex eius verbis: in corp. art. ait ſic: *Alio modo ſit aliquid vnum ex perfectis, ſed tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum; & ſic aliqui dixerunt vnionem. Incarnationis factam eſſe per modum complexionis; ſed hoc non poteſt eſſe quia natura divina eſt omnino immutabilis, vt in 1. p. dictum eſt. Vnde nec ipſa poteſt converti in aliud cum ſit incorruptibilis, nec aliud in ipſam, cum ſit ingenerabilis.* Et reddit pro ſecunda ratione: *Quia id quod eſt commixtum nulli miſcibilium eſt idem ſpecie: differt enim caro à qualibet alimentorum ſpecie, & ſic Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum Patre, nec cum Matre.*

70 Obijc. 2. Converſio Euchariſtica eſt converſio ſubſtantialis; ſed non eſſet converſio ſubſtantialis, ſi in ea non daretur actio nova terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, illamque de novo producens: ergo in converſione Euchariſtica datur actio de novo productiva corporis Chriſti. Maior eſt certa, & minor probatur 1. Converſio ſubſtantialis eſt actio ſubſtantialis: ergo ſi in converſione Euchariſtica non datur actio terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non erit converſio ſubſtantialis. 2. Ea converſio non eſt ſubſtantialis, in qua termini qui opponuntur ſub tertio communi non ſunt ſubſtantiales; ſed ſi in converſione Euchariſtica, non datur actio immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, termini, qui opponuntur ſub tertio communi, non ſunt ſubſtantiales, quia ſubſtantia panis non opponitur cum corpore Chriſti, ſed cum accidentali vnione illius cum accidentibus proprijs panis, vt cuius vnionis deſinit eſſe in rerum natura: ergo in converſione Euchariſtica datur nova actio ſubſtantialis terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti. Confirmatur. Nam quomodo converſio Euchariſtica erit actio ſubſtantialis, ſi per eam non producitur aliquis terminus ſubſtantialis; ſed per eam nullus terminus ſubſtantialis producitur diſtinctus à ſubſtantia corporis Chriſti, quidquid dicat Valent. 3. part. diſp. 6. quæſt. 3. ergo producitur ſubſtantia corporis Chriſti.

Ne

71 Nego minorem obiectionis. Ad cuius primam probationem nego antecedens. Quia conversio ſubſtantialis, ſtrictè loquendo non eſt actio ſubſtantialis; ſed *deſitio*, & *tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam.* Quare ea ſolum actio neceſſaria eſt ad converſionem, quæ ſufficit verificare vnam ſubſtantiam deſinere in aliam, ſivè illa actio ſit ſubſtantialis, ſivè accidentalis ſit denominata à termino, quem immediatè producit. Dicitur tamen in communi modo loquendo conversio ſubſtantialis, quando termini, quorum alter convertitur in alterum, & deſinit ex vi illius, ſunt ſubſtantiales, prout re vera ſunt in converſione Euchariſtica. Itaque, vt bene obſervat Carleton, actio converſiva in Euchariſtia, & poteſt comparari cum termino, quem immediatè producit, & poteſt comparari cum terminis, inter quos intercedit converſio. Comparata cum termino, quem immediatè producit non dicitur converſio, ſed actio accidentalis, quia nullam ſubſtantiam producit; ſed modum accidentalem exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis; ſed quia dum hæc actio producit modum illum accidentalem, convertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ideò illa actio comparata cum terminis converſionis dicitur converſio ſubſtantialis. Simile quid accidit in generatione hominis, quæ tota conſiſtit in actione productiva vnionis; quæ quidem actio comparata cum vnione, ad quam immediatè terminatur, dicitur, & eſt vera productio; comparata vero cum anima rationali per vnionem immediatè, & formaliter vnita materiæ, non dicitur productio, quia reverà non producit animam; ſed inductio, ſeu introductio, quia mediâ vnione, quam immediatè producit, affert, & introducit animam in materia.

72 Ad *Secundum.* In converſione conſiderare oportet terminos, qui opponuntur *vt quod*, ideſt, qui converti dicuntur; & terminum, medio, quo exercent eam oppoſitionem, & opponuntur in actu ſecundo: vt converſio ſit ſubſtantialis, ſufficit, quod termini oppoſiti *vt quod* ſint ſubſtantiales, licèt id, medio *quo* opponuntur ſit accidentale. In converſione autem Euchariſtica termini oppoſiti, *vt quod* ſunt ſubſtantiales; ſcilicèt ſubſtantia panis, & ſubſtantia corporis Chriſti, licèt modus exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis, & quo mediantè exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem, ſit accidentalis; ideoque converſio Euchariſtica, eſt ſubſtantialis, licèt in ea non interveniat actio

ſer-

terminata immediate ad aliquem terminum ſubſtantialem. Vnde conſtat ſolutio ad confirmationem.

73 Obijc. 3. PP. Eccleſię ſæpè aſſerentes, quod in converſione Euchariſtica, corpus Chriſti *fit*, *producitur*, *creatur*: ergo in hac converſione intervenit actio immediate terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti; illiuſque productiva. Vrgetur ex RR. in Euchariſtia vinum fit ſanguis Chriſti, & ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantia corporis Chriſti; ſed ſi non datur actio nova productiva corporis Chriſti, vinum non fit ſanguis Chriſti neque ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo datur illa actio. Minor probatur: quia ſecluſa illa actione, ſolum verificabitur, quod vnio vini cum ſuis accidentibus fit vnio ſanguinis Chriſti cum eiſdem; & quod vnio, & modus exiſtendi ſubſtantiæ panis ſub propris accidentibus, mutatur in vnionem, & modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem.

74 Ad argumentum reſpondet optime P. Vazq. PP. nihil aliud aſſerere, quam ſubſtãtiam corporis, & ſanguinis Chriſti, ita conſtitui ex vi verborum conſecrationis ſub accidentibus panis, & vini, & ita ex vi eius cõſtitutionis deſinere ſub illis accidentibus ſubſtantias, quarum ſunt propria, ac ſi per conſecrationem produceretur de novo quoad ſuam entitatem ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti quæ ſolutio ſic explicari poteſt, & confirmari. Quando in converſione accidentali frigidi in calidum dicitur lignum ex frigido fieri calidum, non ſignificatur lignum fieri, & produci, quoad ſuam entitatem; ſed fieri hoc quod eſt eſſe *calidum*, quod fit per calorem advenientẽ ligno: ergo quando verè dicitur *panis fieri corpus Chriſti* nõ ſignificatur corpus Chriſti fieri, & produci quoad ſuam entitatem, ſed per verba conſecrationis fieri, quod corpus Chriſti contineatur ſub accidentibus panis; quod ſanè nihil, alius eſt, quam fieri eius *eſſe ſacramentale*, & modum ſpecialem exiſtendi ſub panis accidentibus. Id expreſſiſſè videtur D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. corp. dicens: *non enim faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti* (facerent autem, ſi illud phyſicè producerent) *ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti*.

75 Ad confirmationem RR. facilis eſt ſolutio. Etenim in conſecratione Euchariſtica duplex datur converſio. Alia accidentalis, nempè vnionis panis cum ſuis accidentibus in vnionem, ſeu modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem. Alia ſubſtantialis, nempè ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Quia non ſolum deſinit vnio illa accidentalis accidenden-

dentium cum pane in vnionem, ſeu modum exiſtendi corpus Chriſti ſub ipſis; ſed etiam ſubſtantia ipſa panis deſinit in ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ vt *quod* opponitur cum ſubſtantia panis, licet intercedat, vt cauſalitas modus ille ſpecialiter exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus, in quem modum deſinit vnio accidentalis præcedens accidentium cum pane. Igitur non ſolum eſt verum vnionem accidentalem accidentium cum pane converti, & mutari in modum exiſtendi corpus Chriſti ſub eiſdem accidentibus; ſed etiam eſt verum ſubſtantiam panis, & vini mutari, & converti in corpus, & ſanguinem Chriſti. Quare notavit bene Oviedo vbi ſupra in omni converſione ſubſtantiali intercedere converſionem accidentalem, per quam productio vnionis formæ præcedentis deſinit in productionem vnionis formæ advenientis: quia ſicut formę & earũ vniones opponũtur inter ſe; ita etiam opponuntur earum productiones, & productiones vniorum; ſed non ideò converſio formarum non eſt ſubſtantialis; nimirum quia converſio accidentalis, quæ ſimul reperitur, ſolùm eſt cauſalitas, media qua formæ exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem.

(§)

SECTIO IV.

De Generatione viventium.

76 Generatio ſubſtantialis viventium ſic definitur cum Div. Thom. 1. part. q. 27. art. 2. *Origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Dicitur *origo*, ideſt influxus efficientis, vel quaſi efficientis; quia verbum divinum oritur à Patre per generationem, & tamen Pater non eſt cauſa efficiens ipſius; ſed principium productivum citra omnem veram cauſalitatem. Nam, vt diximus lib. 2. Phyſic. diſp. 2. ſect. 1. omnis vera cauſa eſt talis reſpectu termini diſtincti in eſſentia, & natura; & Pater producit filium habentem eandem numero naturam, & eſſentiam cum Patre. *Viventis à vivente*, per quæ denotatur, generationem hanc eſſe influxum, per quem ſubſtantia vivens procedit à ſubſtantia viventi. Ideò productio, qua vivens producit ſubſtantiam non viventem, v. gr. ſanguinem, capillos, & vnguens non eſt generatio viventis: neque productio, qua ſubſtantia non vivens producit ſubſtantiam viventem, v. gr. productio per quam cadaver producit vermes, vel per quam veſtis, aut lignum aridum producit tineam; nec tandem actio per quam aliud vivens deſcendit ex alio citra influxum acti-

tivum illius: qua de cauſa, Eva efformata ex Adę coſta, non fuit Adæ filia, quia videlicèt non per actionem Adæ, ſed Dei producta eſt ex coſta Adæ.

77 *A principio coniuncto*, per hanc particulam ſignificatur, quod in vivente genito debet permanere aliquid, quod ſit, vel fuerit pars vtilis generanti. Quare in omnibus generationibus naturalibus perſeverat in genito ſemen deciſum à Patre; & in æterna generatione perſeverat in filio natura Patris. Ex defectu huius conditionis Adamus à Deo procedens, non proceſsit tanquam propriè filius, quia nihil proprium Dei manſit in Adamo. Neque avis, quæ medio ſuo incubatu educit pullos ex ovis alienis producit illos per generationem ſtrictã, & tanquam verus Pater, quia in pullis non manet aliquid proprium avis incubantis; ſed avis parientis ova, cuius verè ſunt filij. Et propter eandem rationem, ſi Dœmon poneret in matrice fœminæ ſemen formatum, & elaboratum ab homine, filius inde genitus non eſſet filius Dœmonis; ſed hominis, cuius erat illud ſemen. Cæterum vna arbor dicitur verè generare aliam, nam efficienter elaborat ſemen, ex quo alia procreatur; licet hæc alia non dicatur filia prioris, quia nomina hæc *filius*, & *filia* ex hominum impoſitione ſolum ſignificant viventia cognoſcitiva, & arbor ab alia genita caret cognitione. Quare generatio hæc licèt viventis à vivente, non comprehenditur in præſenti definitione.

78 *In ſimilitudinem naturæ*, ideſt, vivens generans ita producit vivens genitum à principio coniuncto, vt medio eo principio intendat prolem evadere ſimilem ſibi. Ideo actio, per quam in vivente generantur vermes viventes non eſt generatio, quia licèt producantur ex aliquo viventis generantis, tamen hoc vivens non intendit producere per eam actionem prolem ſibi ſimilem.

79 Dices: Vèl ſimilitudo requiſita inter generans, & genitum, debet eſſe generica, vel ſpecifica? Si generica: vermes producti à vivente, cui evadunt ſimiles in ratione generica viventis, erunt eius filij. Si ſpecifica: mulus genitus ab aſino, & equa non erit eorum filius, ſiquidem non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis. Neque Verbum Divinum erit filius Patris: nam in natura non habet ſimilitudinem, ſed identitatem cum Patre, & in perſonalitate non habet cum Patre ſimilitudinem ſpecificam; ſiquidem vnius, & alterius perſonalitates non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diverſæ.

80 Reſpondeo ſimilitudinem geniti cum generante ex

ex intentione generantis debere eſſe ſpecificam; id eſt, generans intendere producere prolem ſibi ſimilem in ſpecie, niſi hæc ſimilitudo, & vnitas ſpecifica aliunde impediatur a natura, vel compenſetur alia perfectiore vnitate. Vnde vermes producti à vivente non ſunt eius filij, quia media materia ex qua vermes fiunt non intendit vivens ſimilitudinem ſpecificam. At mulus verè eſt filius aſini, & equæ, quia quivis eorum, medio ſemine, quod ad generationem miniſtrat intendit producere prolem ſuæ ſpeciei: impeditur tamen hæc ſimilitudo per accidentalem coniunctionem, & per mixtionem vtriuſque ſeminis, & evadit partus monſtroſus, quin monſtroſitas partus impediat ab eo rationem filij. Vnde, & partus monſtroſi, qui in hominibus contingere ſolent ſunt verè hominum filij quia per verum ſemen à ſe deciſſum intendebant in prole ſimilitudinem ſpecificam, quæ impeditur per accidentalem coniunctionem aliarum cauſarum naturalium potentiorum, quæ vehementer immutant qualitates ſeminum Parentum. Tandem Verbum Divinum eſt filius Patris; quia licet non habeat cum Patre ſimilitudinem ſpecificam in natura; habet tamen vnitatē, & identitatem numericam, quę perfectior eſt ſpecifica ideò que compenſat vnitatem ſimilitudinis ſpecificæ.

81 Inſtabis: ergo Spiritus Sanctus eſt etiam filius Patris, & filij, quod eſt contra fidem. Probatur conſequentia, Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, tam evadit ſimilis in natura ſuo principio ſcilicèt Patri, & filio, quam filius evadit ex vi ſuæ proceſsionis ſimilis in natura Patri: quia natura Patris, Filij, & Spiritus Sancti eadem eſt numero, eamque tam accipit Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis à Patre, & Filio, quam eandem accipit filius ex vi ſuæ proceſsionis à Patre: ergo ſi Verbum ideò eſt Filius Patris, quia ex vi ſuæ proceſsionis habet naturam vnam cum Patre vnitate identitatis, propter eandem rationem Spiritus Sanctus erit Filius Patris, & Filij. De hac difficultate agunt Theologi tract. de Trinit. vbi proprium habet locum. Ex his autem, quæ ibi docentur, duplex ſolutio ſatis probabilis occurrit inſtantiæ. Vtramque breviter inſinuabo.

82 Prima eſt, ideò Verbum Divinum, potius quam Spiritum Sanctum eſſe Filium, licèt vterque ex vi ſuæ proceſsionis accipiat eandem naturam numero ſui principij, quia Verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ; & Spiritus Sanct. eſto accipiat à Patre, & Filio vtriuſque

que naturam; tamen ex vi ſuæ proceſsionis non accipit eam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ. Ratio eſt; quia natura formaliter, vt natura, & ſecundum munus proprium naturæ dicit virtutem, & fęcunditatem communicandi ſe ipſam alteri; ſed verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam cum virtute, & fæcunditate eam communicandi alteri, nempè Spiritui S. & Spiritus S. ex vi ſuæ proceſsionis non ita accipit à Patre, & Filio naturam, vt eam accipiat cum virtute, & fæcunditate eam communicandi alteri, vt eſt certum: ergo verbum potius quam Spiritus S. accipit à ſuo principio naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ. Procedit ergo Filius à Patre in ſimilitudinem naturę, ſecus Spiritus Sanctus: quia Filius, & non Spiritus S. ex vi ſuę proceſsionis eſt ſimilis ſuo principio in natura formaliter prout natura eſt, & ſecundam proprium naturę munus; ac per conſequens proceſsio Verbi eſt generatio; & Verbum eſt Filius; proceſsio vero Spiritus S. non eſt generatio, & Spiritus S. non eſt Filius. Ita P. Zuñiga diſp. 3. de Trinit. dubio 20. memb. 9. quem alij ſequuntur.

83 Dices: Verbum ex vi ſuæ proceſsionis non accipit à Patre naturam cum ea fæcunditate, quæ eſt in Patre; quia in Patre eſt natura cum fæcunditate eam communicandi alteri per generationem, & hac ratione non eſt in filio, alias filius generaret Spiritum Sanctum: ergo ſaltem Verbum non erit ita propriè Filius Patris, ſicut filij creati ſunt filij ſuorum parentum, à quibus accipiunt naturam cum fęcunditate eam communicandi per generationem. Nego conſequentiam: quia de ratione naturæ, vt natura eſt, ſolum eſt, quod habeat fæcunditatem, vt communicetur alteri, ſivè per generationem, ſivè aliter: cum autem in Verbo ſit natura Patris cum virtute, & fæcunditate, vt alteri communicetur, licèt non per generationem, ſed per ſpirationem, & in Spiritu Sancto non ſit natura, vt ita fæcunda, ideò in Verbo eſt natura Patris ſecundum proprium munus naturæ, ſecus in Spiritu Sancto, & conſequenter Verbum eſt vere filius Patris, & Spiritus Sanctus non eſt filius Patris, & Filij; neque filij creati ſunt magis, aut proprius filij ſuorum Parentum quam Verbum eſt filius Patris, licèt illi accipiant per generationem naturam parentum, cum fæcunditate generativa aliorum; nam vt ſint filij accipere debent ex vi ſuæ proceſsionis naturam parentum cum fæcunditate, vt eam alteri communicent: in creatis autem non eſt alius modus communicandi na-

naturam, niſi per generationem: quare ſi filij non participarent hanc fęcunditatem, nullam participarent à parentibus, & conſequenter non eſſent eorum filij.

84 Neque obſtat, quod in generationibus monſtroſis filij habeant naturam infęcundam, vt accidit in mulis ex aſino, & equa deſcendentibus: quia filij non habent eam infæcunditatem ex vi ſuæ generationis, quæ potius tendit, ex propria naturæ intentione ad propagandam parentum naturam, & ad communicandam filijs virtutem generativam; ſed totum id provenit ex accidentali permixtione ſeminum diſsimilium. Quod cernere etiam eſt in generationibus pluribus naturalibus, in quibus filij ſunt infæcundi, & tamen verè ſunt filij, quatenus ex intentione naturæ generatio tendit, vt parentum natura ſit in illis fęcunda ad aliorum productionem, & præter naturæ intentionem impeditur ea fęcunditas ratione accidentium, ſupervenientium, quæ oppoſitionem habent cum temperamento requiſito ad fæcunditatem, & generationem.

85 Secunda ſolutio, quam cum P. Vazq. 1. part. diſp. 113. cap. 7. ſequuntur plures docet ideo verbum prę Spiritu Sancto eſſe filium eiuſque proceſsionem à Patre veram generationem; quia Verbum præ Spiritu Sancto ex vi ſuæ proceſsionis procedit à Patre *in ſimilitudinem naturæ*. Hoc autem ideo eſt verum; quia ly *in ſimilitudinem naturæ* non ſolum ſignificat Filium habere ex vi generationis identitatem ſpecificam, vel numericam cum natura Patris, ſed vlterius eſſe ſimilitudinem, & imaginem illius, ipſum exprimentem, & repræſentantem. Id autem eſſe de conceptu generationis viventium expreſſe traditur à D. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 2. in corp. dicente filium illum dici reſpectu alterius, qui eſt imago illius, & eiuſdem naturæ cum ipſo, dummodo hoc *in viventibus accipiatur*. [illegible] conſtat ex communi modo loquendi: cum enim hominem dicimus, magis, vel minus propriè filium alterius, qui cum habeat eandem naturam cum illo, magis, vel minus illum repræſentat, tanquam imago quædam refferens individuales eius proprietates, nempe faciei lineamenta, magnitudinem corporis, ingenium, indolem, & ſimilia: ergo iuxta communem ſenſum, vt aliquis ſit filius non ſolum debet habere naturam eandem ſpecie, vel numero cum ſuo principio; ſed etiam debet eſſe illius imago, ſaltem ex intentione naturæ, quæ eam imaginem, & repræſentationem

L de-

verſionis detur nova productio termini *ad quem*, ſicut neceſſarium erit, quod in eodem inſtanti detur nova duratio illius. Sed pro præſenti quæſtione præſcindendum eſt à conſtitutivo durationis, & concluſio noſtra abſolute probanda præciſſe atendendo id, quod converſio petit ex ſuo conceptu formali. Igitur concluſio poſita.

61 Probatur 1. Converſio eſt tranſitus, & deſitio vnius rei in aliam ſub tertio vtrique communi: ergo ea ſolum actio neceſſaria eſt ad converſionem (attento converſionis conceptu) quę neceſſaria eſt, vt ex vi termini *ad quem* deſinat terminus *à quo* ſub tertio vtrique communi; ſed ad hanc deſitionem termini *à quo* ex vi termini *ad quem* non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*: ergo ad veram converſionem, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*. Minor ſubſumpta probatur. Poſita præciſſe actione, quæ conſtituat terminum *ad quem* ſub tertio communi ipſi, & termino *à quo*, & quovis alio ſecluſo, terminus *à quo* deſinit ex vi termini *ad quem* ſub eo tertio vtrique communi, ſub quo opponuntur; ſed ad hoc non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*; nam per id præciſſe, quod anima rationalis antea producta à Deo extra ſubiectum vniretur ſubiecto in hoc inſtanti, deficeret ex vi illius in tali ſubiecto forma præcedens, & verificatur formam præcedentem deficere ex vi animæ propter opoſitionem, quam habent relate ad idem ſubiectum: ergo vt ex vi termini *ad quem* deſinat terminus *à quo* ſub tertio vtrique communi, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*.

62 Probatur 2. In converſione Euchariſtica, in qua integra ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva corporis Chriſti, vt ex vi huius deſinat ſubſtantia panis ſub proprijs accidentibus manentibus poſt conſecrationem ergo ad veram converſionem vnius in aliud, non eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*. Antec. prob. Vt ex vi corporis Chriſti deſinat ſubſtãtia panis ſub proprijs accidentibus ſufficit quod corpus Chrſti virtute conſecrationis conſtituatur ſub accidentibus ſpeciali quodam modo per quem eis ſubſtet, & ea ſubſtentet, de cuius modi natura agere, non eſt huius loci, ſed ſpectat ad tract. de Euchariſtia. Sed vt corpus Chriſti virtute conſecrationis conſtituatur ſub accidentibus panis ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva cor-

po-

poris Chriſti: quia ſufficit, quod adveniat ille modus illud inducens ſub accidentibus: ergo vt ex vi corporis Chriſti deſinat ſubſtantia panis ſub proprijs accidentibus ſuperflua eſt ſecunda actio de novo productiva corporis Chriſti.

63 Confirmatur 1. Corpus Chriſti ſumptum ſecundum ſe non opponitur cum ſubſtantia panis, vt patet; ſed ſolum vt exiſtens ſub illius accidentibus exercet oppoſitionem cum illa: ergo vt ex vi corporis Chriſti, deſinat ſubſtantia panis non eſt neceſſaria nova actio productiva corporis Chriſti, ſed ſufficit actio, vi cuius fiat exiſtens, & contineatur ſub accidentibus panis. Confirmatur 2. Ea actio ſufficit ad converſionem Euchariſtiam, quæ ſufficit determinare veritatem huius propoſitionis *contentum ſub accidentibus panis eſt corpus Chriſti*; ſed actio per quam corpus Chriſti verè conſervatur ſub his accidentibus, ſecluſa omni nova actione de novo productiva immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſufficit determinare veritatem huius propoſitionis: ergo ad converſionem Euchariſticam ſufficit actio; per quam corpus Chriſti verè conſtituitur ſub accidentibus panis, ſecluſa omni actione de novo productiva, immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti.

64 Obijc. 1. De ratione, & conceptu formali converſionis, vt ſignificatæ per hoc nomen *converſio*, & conceptum illi correſpondentem, eſt nova productio termini *ad quem*: ergo ad veram, & realem converſionem eſt neceſſaria nova productio termini *ad quem*, ac per conſequens quando terminus *ad quem* eſt antecedenter productus, nova illius productio erit neceſſaria ad converſionem. Antecedens probatur multipliciter. 1. Nam converſio prout ſignificata per hoc nomen, & per conceptum illi correſpondentem, importat formaliter id, quod accidit in converſionibus naturalibus, ad quas ſignificandas impoſitum eſt; ſed in omnibus converſionibus naturalibus accidit, & datur nova productio termini *ad quem*: ergo de ratione & conceptu formali converſionis, eſt nova productio termini *ad quem*. 2. Quia in nutritione hominis alimentum non convertitur in animam rationalem, & in nutritione equi alimentum convertitur in animam equi; ſed non alia de cauſa, niſi quia in nutritione hominis non datur nova productio animæ rationalis; & in nutritione equi datur nova productio animæ equi, ſcilicet il-

lius novæ partis animæ, quæ producitur in materia alimenti, & eam informat; ergo.

65 3. Quia iuxta 2. conclusionem converſio prout ſignificata per hoc nomen, & per conceptum illi correſpondentem, importat formaliter veram: & abſolutam deſitionem termini *à quo*: ergo etiam veram, & novam productionem termini *ad quem*. 4. Si Divinitas vnita humanitati deficeret ab humanitate adveniente gratia habituali, non converteretur in gratiam, quia divinitas non deficeret à rerum natura; & ſi gratia antecedenter exiſtens in humanitate deficeret adveniente vnione divinitatis, non converteretur in divinitatem, non alia de cauſa, niſi quia divinitas de novo non produceretur, vt colligi videtur ex D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. ergo quia converſio prout hoc nomine ſignificata importat novam productionem termini *ad quem*.

66 Ad argumentum nego antecedens; & ad eius primam probationem reſpondeo, conceptum converſionis correſpondentem huic nomini *converſio* præciſſe ſignificare, id quod homines imponentes ſignificationem vocibus voluerunt ſignificare per hanc vocem *converſio*, homines autē non voluerunt ſignificare per hanc vocem, omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, ſed aliquid, nempè deſitionem termini *à quo* ex vi termini *ad quem* ſub tertio communi vtrique termino; deſitio vero termini *à quo* ex vi termini *ad quem*, non importat productionem novam termini *ad quem*, vt probatum eſt. Quod auten homines non voluerunt ſignificare per illam vocem omne id, quod accidit in converſionibus naturalibus, facile probatur. Nam in converſionibus naturalibus non datur tranſubſtantiatio, ſeu converſio totius ſubſtantiæ præcedentis, in ſubſtantiam advenientem; nam id ſolum accidit in converſione Euchariſtica. Deinde in converſionibus naturalibus reperitur frequenter prima productio termini *ad quem*, quia ſubiectum non acquirit per converſionem terminum antea productum, & exiſtentem extra omne ſubiectum; vt patet; neque terminum antea exiſtentem, & iam deſtructum ante inſtans converſionis, quia terminus ſemel deſtructus, naturaliter non producitur ſecundo propter impoſſibilitatem naturalem reproductionis; ſed homines non voluerunt ſignificare per vocem *converſio* carentiam tranſubſtantiationis, aut primam productionem termini *ad quem*; alias per hanc vocem *converſio*, & conceptum illi correſpondentem, converſio Euchariſtica, in qua, & datur tranſubſtantiatio, & non datur prima productio corporis Chriſti, non ſignifica-

re;

retur vnivocè cum alijs converſionibus, vt eſt manifeſtum: ergo homines non voluerunt ſignificare per illam vocem *converſio* omne id quid accidit in converſionibus naturalibus. Quare in converſionibus naturalibus non datur nova productio termini *ad quem* ex conceptu converſionis (ſicut neque ex eo conceptu datur prima productio eiuſdem termini) ſed ex impotentia naturali, vt terminus *ad quem* exiſtat prius in rerum natura, vel ſine ſubiecto, cui per converſionē vnitur, vel ex impotentia, vt re producatur in inſtanti cōveſionis.

67 Ad 2. probationem nego antecedens: nam eadem veritate, qua lignum dicitur converti in ignem, quia forma ligni deficit ex vi formæ ignis, dicitur etiam alimentum cōverti in hominem, qui forma alimenti deficit ex vi animæ rationalis vnitæ materiæ alimenti. Ad 3. conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, diſparitas conſtat eſt dictis: nam res converſa non fit aliud, nec in aliud commutatur, ſi in inſtanti converſionis perſeverāt in ſuo eſſe. Dicitur tamen deſinere ex vi termini *ad quem*, licèt de novo non producti, penes id ſolum, quod hic terminus in actu ſecundo exerceat ſuam oppoſitionem cum termino *à quo* ſub tertio ſibi, & termino *à quo* communi. Ad 4. conceſſa prima parte antecedentis, nego ſecundam. Ratio enim cur gratia non converteretur in divinitatem, non eſt, quæ aſſignatur in obiectione; ſed defectus oppoſitionis gratiæ cum divinitate ſub tertio communi; ſiquidem optimè de facto compatiuntur gratia, & divinitas, in humanitate Chriſti Domini.

68 D. Thom. non eſt contra nos. 1. Quia dum dicit loco cit. nihil converti in divinitatem, quia divinitas eſt ingenerabilis, non ſignificat terminum *ad quem* converſionis ex neceſſitate debere produci in inſtanti converſionis; ſed præciſſe vul terminum *ad quem* converſionis deberé eſſe natura ſua generabilem (cuius conditionis non eſt divinitas) & hóc ideò docet S. Doct. quia homines impónentes ſignificationem vocibus voluerunt id ſignificare per vocem *converſio*. Iuxta quam doctrinam, ſi Verbum divinum aſſumpſiſſet humanitatem prius, ſubſiſtentem ſubſiſtentia creata, vt de potentia ſaltem abſoluta potuit accidere, in eo caſu ſubſiſtentia creata, quæ deficeret ab humanitate ex vi ſubſiſtentiæ Verbi, non converteretur in hanc, quia hæc non eſt natura ſua generabilis, & producibilis per actionē creatā, & tēporalem.

69 2. Et fortè verius reſponderi poteſt D. Thom. non agere loco cit. in obiectione de converſione ſtricta, de qua in præſenti agimus; ſed de alia imperfecta, quæ fit per mixtionem duo-

duorum ; ex quibus permixtis reſultat tertium quoddam adæquatè diſtinctum ab vtroque , ut contingit in mixtione elementorum : ad quam neceſſarium eſt, quod vel forma, vel aliquod accidens illius de novo inducatur, & introducatur in materia alterius. De converſione autem ſic accepta veriſsimè dixit D. Thom. nihil poſſe in Deum converti, quia Deus eſt ingenerabilis. Quod vero S. D. loquatur de converſione ſumpta pro miſtione patet ex eius verbis : in corp. art. ait ſic: *Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, ſed tranſmutatis, ſicut ex elementis fit mixtum ; & ſic aliqui dixerunt vnionem. Incarnationis factam eſſe per modum complexionis ; ſed hoc non poteſt eſſe quia natura divina eſt omnino immutabilis , vt in 1. p. dictum eſt. Vnde nec ipſa poteſt converti in aliud cum ſit incorruptibilis, nec aliud in ipſam, cum ſit ingenerabilis.* Et reddit pro ſecunda rationē. *Quia id quod eſt commixtum nulli miſcibilium eſt idem ſpecie : differt enim caro à qualibet alimentorum ſpecie , & ſic Chriſtus non eſſet eiuſdem naturæ cum Patre , nec cum Matre.*

70 Obijc. 2. Converſio Euchariſtica eſt converſio ſubſtantialis ; ſed non eſſet converſio ſubſtantialis , ſi in ea non daretur actio nova terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti , illamque de novo producens : ergo in converſione Euchariſtica datur actio de novo productiva corporis Chriſti. Maior eſt certa, & minor probatur 1. Converſio ſubſtantialis eſt actio ſubſtantialis : ergo ſi in converſione Euchariſtica non datur actio terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti, non erit converſio ſubſtantialis. 2. Ea converſio non eſt ſubſtantialis, in qua termini qui opponuntur ſub tertio communi non ſunt ſubſtantiales; ſed ſi in converſione Euchariſtica , non datur actio immediatè terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti , termini , qui opponuntur ſub tertio communi, non ſunt ſubſtantiales , quia ſubſtantia panis non opponitur cum corpore Chriſti , ſed cum accidentali vnione illius cum accidentibus proprijs panis , vi cuius vnionis deſinit eſſe in rerum natura : ergo in converſione Euchariſtica datur nova actio ſubſtantialis terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti. Confirmatur. Nam quomodo converſio Euchariſtica erit actio ſubſtantialis , ſi per eam non producitur aliquis terminus ſubſtantialis ; ſed per eam nullus terminus ſubſtantialis producitur diſtinctus à ſubſtantia corporis Chriſti, quidquid dicat Valent. 3. part. diſp. 6. quæſt. 3. ergo producitur ſubſtantia corporis Chriſti.

Ne

71 Nego minorem obiectionis. Ad cuius primam probationem nego antecedens. Quia converſio ſubſtantialis, ſtrictè loquendo non eſt actio ſubſtantialis; ſed *deſitio*, & *tranſitus vnius ſubſtantiæ in aliam*. Quare ea ſolum actio neceſſaria eſt ad converſionem, quæ ſufficit verificare vnam ſubſtantiam deſinere in aliam, ſivè illa actio ſit ſubſtantialis, ſivè accidentalis ſit denominata à termino, quem immediatè producit. Dicitur tamen in communi modo loquendo converſio ſubſtantialis, quando termini, quorum alter convertitur in alterum, & deſinit ex vi illius, ſunt ſubſtantiales, prout re vera ſunt in converſione Euchariſtica. Itaque, vt bene obſervat Carleton, actio converſiva in Euchariſtia, & poteſt comparari cum termino, quem immediatè producit, & poteſt comparari cum terminis, inter quos intercedit converſio. Comparata cum termino, quem immediatè producit non dicitur converſio, ſed actio accidentalis, quia nullam ſubſtantiam producit; ſed modum accidentalem exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis; ſed quia dum hæc actio producit modum illum accidentalem, convertitur ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, ideò illa actio comparata cum terminis converſionis dicitur converſio ſubſtantialis. Simile quid accidit in generatione hominis, quæ tota conſiſtit in actione productiva vnionis; quæ quidem actio comparata cum vnione, ad quam immediatè terminatur, dicitur, & eſt vera productio; comparata vero cum anima rationali per vnionem immediatè, & formaliter vnita materiæ, non dicitur productio, quia revera non producit animam; ſed inductio, ſeu introductio, quia media vnione, quam immediate producit, affert, & introducit animam in materia.

72 Ad *Secundum*. In converſione conſiderare oportet terminos, qui opponuntur *vt quod*, id eſt, qui converti dicuntur; & terminum, medio, quo exercent eam oppoſitionem, & opponuntur in actu ſecundo: vt converſio ſit ſubſtantialis, ſufficit, quod termini oppoſiti *vt quod* ſint ſubſtantiales, licèt id, medio *quo* opponuntur ſit accidentale. In converſione autem Euchariſtica termini oppoſiti, *vt quod* ſunt ſubſtantiales; ſcilicèt ſubſtantia panis & ſubſtantia corporis Chriſti, licèt modus exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus panis, & quo mediantè exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem, ſit accidentalis; ideoque converſio Euchariſtica, eſt ſubſtantialis, licèt in ea non interveniat actio

ſer;

terminata immediate ad aliquem terminum ſubſtantialem. Vnde conſtat ſolutio ad confirmationem.

73 Obijc. 3. PP. Eccleſiæ ſæpè aſſerentes, quod in converſione Euchariſtica, corpus Chriſti *fit, producitur, creatur*: ergo in hac converſione intervenit actio, immediate terminata ad ſubſtantiam corporis Chriſti; illiuſque productiva. Vrgetur ex RR. in Euchariſtia vinum fit ſanguis Chriſti, & ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantia corporis Chriſti; ſed ſi non datur actio nova productiva corporis Chriſti, vinum non fit ſanguis Chriſti neque ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo datur illa actio. Minor probatur: quia ſecluſa illa actione, ſolum verificabitur, quod vnio vini cum ſuis accidentibus fit vnio ſanguinis Chriſti cum eiſdem; & quod vnio, & modus exiſtendi ſubſtantiæ panis ſub propris accidentibus, mutatur in vnionem, & modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem.

74 Ad argumentum reſpondet optime P. Vazq. PP. nihil aliud aſſerere, quam ſubſtātiam corporis, & ſanguinis Chriſti, ita conſtitui ex vi verborum conſecrationis ſub accidentibus panis, & vini, & ita ex vi eius cōſtitutionis deſinere ſub illis accidentibus ſubſtantias, quarum ſunt propria, ac ſi per conſecrationem produceretur de novo quoad ſuam entitatem ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti quæ ſolutio ſic explicari poteſt, & confirmari. Quando in converſione accidentali frigidi in calidum dicitur lignum ex frigido fieri calidum, non ſignificatur lignum fieri, & produci, quoad ſuam entitatem; ſed fieri hoc quod eſt eſſe *calidum*, quod fit per calorem advenientē ligno: ergo quando verè dicitur *panis fieri corpus Chriſti* nō ſignificatur corpus Chriſti fieri, & produci quoad ſuam entitatem, ſed per verba conſecrationis fieri, quod corpus Chriſti contineatur ſub accidentibus panis; quod ſanè nihil aliud eſt, quam fieri eius *eſſe ſacramentale*, & modum ſpecialem exiſtendi ſub panis accidentibus. Id expreſſiſſè videtur D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. corp. dicens: *non enim faciunt hæc verba, quod corpus Chriſti ſit corpus Chriſti* (facerent autem, ſi illud phyſicè producerent) *ſed quod contentum ſub his ſpeciebus, quod prius erat panis, ſit corpus Chriſti.*

75 Ad confirmationem RR. facilis eſt ſolutio. Etenim in conſecratione Euchariſtica duplex datur converſio. Alia accidentalis, nempè vnionis panis cum ſuis accidentibus in vnionem, ſeu modum exiſtendi corporis Chriſti ſub eiſdem. Alia ſubſtantialis, nempè ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Quia non ſolum deſinit vnio illa accidentalis accidentibus

dentium cum pane in vnionem, ſeu modum exiſtendi corpus Chriſti ſub ipſis; ſed etiam ſubſtantia ipſa panis deſinit in ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ vt quod opponitur cum ſubſtantia panis, licet intercedat, vt cauſalitas modus ille ſpecialiter exiſtendi corpus Chriſti ſub accidentibus, in quem modum deſinit vnio accidentalis præcedens accidentium cum pane. Igitur non ſolum eſt verum vnionem accidentalem accidentium cum pane converti, & mutari in modum exiſtendi corpus Chriſti ſub eiſdem accidentibus; ſed etiam eſt verum ſubſtantiam panis, & vini mutari, & converti in corpus, & ſanguinem Chriſti. Quare notavit bene Oviedo vbi ſupra in omni converſione ſubſtantiali intercedere converſionem accidentalem, per quam productio vnionis formæ præcedentis deſinit in productionem vnionis formæ advenientis: quia ſicut formę & earũ vniones opponũtur inter ſe; ita etiam opponuntur earum productiones, & productiones vniorum; ſed non ideò converſio formarum non eſt ſubſtantialis; nimirum quia converſio accidentalis, quæ ſimul reperitur, ſolùm eſt cauſalitas, media qua formæ exercent in actu ſecundo ſuam oppoſitionem.

(§)

SECTIO IV.

De Generatione viventium.

76 GEneratio ſubſtantialis viventium ſic definitur cum Div. Thom. 1. part. q. 27. art. 2. *Origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Dicitur *origo*, ideſt influxus efficientis, vel quaſi efficientis; quia verbum divinum oritur à Patre per generationem, & tamen Pater non eſt cauſa efficiens ipſius; ſed principium productivum citra omnem veram cauſalitatem. Nam, vt diximus lib. 2. Phyſic. diſp. 2. ſect. 1. omnis vera cauſa eſt talis reſpectu termini diſtincti in eſſentia, & natura; & Pater producit filium habentem eandem numero naturam, & eſſentiam cum Patre. *Viventis à vivente*, per quæ denotatur, generationem hanc eſſe influxum, per quem ſubſtantia vivens procedit à ſubſtantia viventi. Ideò productio, qua vivens producit ſubſtantiam non viventem, v. gr. ſanguinem, capillos, & vnguens non eſt generatio viventis; neque productio, qua ſubſtantia non vivens producit ſubſtantiam viventem, v. gr. productio per quam cadaver producit vermes, vel per quam veſtis, aut lignum aridum producit tineas; nec tandem actio per quam aliud vivens deſcendit ex alio citra influxum acti-

tivum illius: qua de cauſa, Eva efformata ex Adę coſta, non fuit Adæ filia, quia videlicèt non per actionem Adæ, ſed Dei producta eſt ex coſta Adæ.

77 *A principio coniuncto*, per hanc particulam ſignificatur, quod in vivente genito debet permanere aliquid, quod ſit, vel fuerit pars vtilis generanti. Quare in omnibus generationibus naturalibus perſeverat in genito ſemen deciſum à Patre; & in æterna generatione perſeverat in filio natura Patris. Ex defectu huius conditionis Adamus à Deo procedens, non proceſsit tanquam propriè filius, quia nihil proprium Dei manſit in Adamo. Neque avis, quæ medio ſuo incubatu educit pullos ex ovis alienis producit illos per generationem ſtrictã, & tanquam verus Pater, quia in pullis non manet aliquid proprium avis incubantis; ſed avis parientis ova, cuius verè ſunt filij. Et propter eandem rationem, ſi Dœmon poneret in matrice fœminæ ſemen formatum, & elaboratum ab homine, filius inde genitus non eſſet filius Dœmonis; ſed hominis, cuius erat illud ſemen. Cæterum vna arbor dicitur verè generare aliam, nam efficienter elaborat ſemen, ex quo alia procreatur; licet hæc alia non dicatur filia prioris, quia nomina hæc *filius*, & *filia* ex hominum impoſitione ſolum ſignificant viventia cognoſcitiva, & arbor ab alia genita caret cognitione. Quare generatio hæc licèt viventis à vivente, non comprehenditur in præſenti definitione.

78 *In ſimilitudinem naturæ*, ideſt, vivens generans ita producit vivens genitum à principio coniuncto, vt medio eo principio intendat prolem evadere ſimilem ſibi. Ideo actio, per quam in vivente generantur vermes viventes non eſt generatio, quia licèt producantur ex aliquo viventis generantis, tamen hoc vivens non intendit producere per eam actionem prolem ſibi ſimilem.

79 Dices: Vel ſimilitudo requiſita inter generans, & genitum, debet eſſe generica, vel ſpecifica? Si generica: vermes producti à vivente, cui evadunt ſimiles in ratione generica viventis, erunt eius filij. Si ſpecifica: mulus genitus ab aſino, & equa non erit eorum filius, ſiquidem non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis. Neque Verbum Divinum erit filius Patris: nam in natura non habet ſimilitudinem, ſed identitatem cum Patre, & in perſonalitate non habet cum Patre ſimilitudinem ſpecificam; ſiquidem vnius, & alterius perſonalitates non ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed diverſæ.

80 Reſpondeo ſimilitudinem geniti cum generante ex

ex intentione generantis debere eſſe ſpecificam; id eſt, generans intendere producere prolem ſibi ſimilem in ſpecie, niſi hæc ſimilitudo, & vnitas ſpecifica aliũ de impediatur a natura, vel compenſetur alia perfectiore vnitate. Vnde vermes producti à vivente non ſunt eius filij, quia media materia ex qua vermes fiunt non intendit vivens ſimilitudinem ſpecificam. At mulus verè eſt filius aſini, & equæ; quia quivis eorum, medio ſemine, quod ad generationem miniſtrat intendit producere prolem ſuæ ſpeciei: impeditur tamen hæc ſimilitudo per accidentalem coniunctionem, & per mixtionem vtriuſque ſeminis, & evadit partus monſtroſus, quin monſtroſitas partus impediat ab eo rationem filij. Vnde, & partus monſtroſi, qui in hominibus contingere ſolent ſunt verè hominum filij quia per verum ſemen à ſe deciſſum intendebant in prole ſimilitudinem ſpecificam, quæ impeditur per accidentalem coniunctionem aliarum cauſarum naturalium potentiorum, quæ vehementer immutant qualitates ſeminum Parentum. Tandem Verbum Divinum eſt filius Patris; quia licet non habeat cum Patre ſimilitudinem ſpecificam in natura; habet tamen vnitatẽ, & identitatem numericam, quę perfectior eſt ſpecifica ideòque compenſat vnitatem ſimilitudinis ſpecificæ.

81 Inſtabis: ergo Spiritus Sanctus eſt etiam filius Patris, & filij, quod eſt contra fidem. Probatur conſequentia, Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis, tam evadit ſimilis in natura ſuo principio ſcilicèt Patri, & filio, quam filius evadit ex vi ſuæ proceſsionis ſimilis in natura Patri: quia natura Patris, Filij, & Spiritus Sancti eadem eſt numero, eamque tam accipit Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis à Patre, & Filio, quam eandem accipit filius ex vi ſuæ proceſsionis à Patre: ergo ſi Verbum ideò eſt Filius Patris, quia ex vi ſuæ proceſsionis habet naturam vnam cum Patre vnitate identitatis; propter eandem rationem Spiritus Sanctus erit Filius Patris, & Filij. De hac difficultate agunt Theologi tract. de Trinit. vbi proprium habet locum. Ex his autem, quæ ibi docentur, duplex ſolutio ſatis probabilis occurrit inſtantiæ. Vtramque breviter inſinuabo.

82 Prima eſt, ideò Verbum Divinum, potius quam Spiritum Sanctum eſſe Filium, licèt vterque ex vi ſuæ proceſsionis accipiat eandem naturam numero ſui principij, quia Verbum ex vi ſuæ proceſsionis accipit à Patre naturam formaliter prout natura eſt, & ſecundum munus proprium naturæ; & Spiritus Sanct. eſto accipiat à Patre, & Filio vtriuſ-

naturam, niſi per generationem: quare ſi filij non participarent hanc fecunditatem, nullam participarent à parentibus, & conſequenter non eſſent eorum filij.

84 Neque obſtat, quod in generationibus monſtroſis filij habeant naturam infecundam, vt accidit in mulis ex aſino, & equa deſcendentibus; quia filij non habent eam infæcunditatem ex vi ſuæ generationis, quæ potius tendit, ex propria naturæ intentione ad propagandam parentum naturam, & ad communicandam filijs virtutem generativam; ſed totum id provenit ex accidentali permixtione ſeminum diſsimilium. Quod cernere etiam eſt in generationibus pluribus naturalibus, in quibus filij ſunt infæcundi, & tamen verè ſunt filij, quatenus ex intentione naturæ generatio tendit, vt parentum natura ſit in illis fecunda ad aliorum productionem, & præter naturæ intentionem impeditur ea fecunditas ratione accidentium, ſupervenientium, quæ oppoſitionem habent cum temperamento requiſito ad fæcunditatem, & generationem.

85 Secunda ſolutio, quam cum P. Vazq. 1. part. diſp. 113. cap. 7. ſequuntur plures docet ideo verbum præ Spiritu Sancto eſſe filium eiuſque proceſsionem à Patre veram generationem; quia Verbum præ Spiritu Sancto ex vi ſuæ proceſsionis procedit à Patre *in ſimilitudinem naturæ*. Hoc autem ideo eſt verum; quia ly *in ſimilitudinem naturæ* non ſolum ſignificat Filium habere ex vi generationis identitatem ſpecificam, vel numericam cum natura Patris, ſed vlterius eſſe ſimilitudinem, & imaginem illius, ipſum exprimentem, & repræſentantem. Id autem eſſe de conceptu generationis viventium expreſſe traditur à D. Thom. 1. p. quæſt. 27. art. 2. in corp. dicente filium illum dici reſpectu alterius, qui eſt imago illius, & eiuſdem naturæ cum ipſo, dummodo hoc *in viventibus accipiatur*. Et conſtat ex communi modo loquendi: cum enim hominem dicimus, magis, vel minus propriè filium alterius, qui cum habeat eandem naturam cum illo, magis, vel minus illum repræſentat, tanquam imago quædam refferens individuales eius proprietates, nempe faciei lineamenta, magnitudinem corporis, ingenium, indolem, & ſimilia: ergo iuxta communem ſenſum, vt aliquis ſit filius non ſolum debet habere naturam eandem ſpecie, vel numero cum ſuo principio; ſed etiam debet eſſe illius imago, ſaltem ex intentione naturæ, quæ eam imaginem, & repræſentationem

L de-

depinget in filio ; niſi per accidens impediatur.

86. Eſt ergo Verbum, potius quam Spiritus Sanctus, filius, quia ex vi ſuæ proceſsionis oritur à Patre *in ſimilitudinem naturæ*: habet enim ex vi ſuæ proceſsionis eandem naturam cum Patre, in quo convenit cum Spiritu Sancto ; & vlterius ex vi ſuæ proceſsionis eſt ſimilitudo intentionalis, & imago ſubſtantialis Patris, quod Spiritui Sancto non convenit. Nam Verbum ex vi ſuæ proceſsionis procedit, vt *Verbum*, cuius proprium eſt eſſe imaginem, & ſimilitudinem intentionalem : Spiritus autem Sanctus, ex vi ſuæ proceſsionis non procedit à Patre, & Filio, vt Vrbum ; ſed eſt eorum amor, & amoris non eſt proprium eſſe ſimilitudinem, & imaginem.

SECTIO V.

De principijs, & tempore generationis.

17 Vivens concurrit ad generationem alterius viventis medio ſemine à ſe deciſſo ; quia non intercedente miniſtratione ſeminis, nunquam generatur vivens à vivente. Quare ſemen Parentum dicitur principium immediatum formationis prolis, & fœtus ; ſed tam circa efficaciam ſeminis parentum, quam circa prolis formationem ſunt aliqua dubia breviter reſolvenda.

88. Dubitatur 1. An fœminæ habeant verum ſemen ad formationem prolis ? Mares habere, & emittere verum ſemen extra dubium eſt. Fœminis illud negant cum Ariſt. 1. de Generat. animalium cap. 20. & D. Thom. 3. p. q. 32. art. 4. plures Medici, & Theologi apud PP. Conimbric. lib. de Generat. cap. 4. q. 27. art. 1. ſed oppoſitum docent cum Hippocrat. & Galeno Valleſius lib. 1. controv. cap. 6. plures alij Medici, Philoſophi, & Theologi.

89. 1. Quia fœminæ habent eadem vaſa, ac mares ad ſeminis elaborationem, vt docent Anotomici : ergo habent verum ſemen, ſicut illi. 2. Quia experientia monſtrat filios evadere ſæpè valde ſimiles matribus; quod certè accidere non poſſet, niſi ad eorum formationem concurrat aliquid, quod habeat temperamentum matrum hoc autem nihil aliud poteſt eſſe, niſi earum ſemen. 3. Quia filij non ſolum ſunt verè, & propriè filij marum ; ſed etiam fœminarum : ergo oriuntur ab vtriuſque tanquam *à principio coniuncto*; ſed principium per quod vtrique coniunguntur filij nullum reperitur præter ſemen, quod manet in genito : ergo tàm fœminæ, quàm mares concurrunt medio vero ſemine ad generationem filiorum.

Du-

90 Dubitatur 2. An ad generationem, & formationem prolis concurrat activè non ſolum ſemen maris; ſed etiam feminæ? Videtur affirmandum. Quia verum ſemen iuxta Ariſt. lib. 1. de partibus animalium cap. 1. concurrit activè ad generationem; ſed feminæ habent verum ſemen iuxta proximè dicta: ergo earum ſemen concurrit activè ſimul cum ſemine maſculorum ad generationem.

91 Dubitatur tertio. Quiſnam ſit terminus, ad cuius productionem concurrit activè ſemen parentum? Dico 1. Concurrit activè ad formandam organizationem membrorum prolis. Ratio eſt, quia filij ſæpè evadunt valde ſimiles parentum in proportione, & maiore, vel minori magnitudine membrorum: ergo aliquid proprium parentum cauſat eam ſimilitudinem; ſed aliud non eſt, quam eorum ſemen, quod ſane vtpote quid ſubſtantiale non eſt improportionatum ad hunc effectum accidentalem: ergo ſemen parentum concurrit activè ad generationem membrorum prolis.

92 Imò, & dicendum eſt producere etiam activè, & efficienter vltimam diſpoſitionem, vt forma ſubſtantialis prolis producendæ informet materiam fetus: hac enim ratione, vt minimum, debetur parentibus generatio prolis, videlicèt tanquam vltimo diſponentibus ſuo ſemine materiam, eamque determinantibus, vt informetur forma prolis. Dices: in inſtanti, in quo datur vltima diſpoſitio ad formam prolis, iam non eſt ſemen parentum: nam forma ſeminis expellitur per formam prolis, & hæc forma introducitur in materia in eodem inſtanti, in quo eſt vltima diſpoſitio ad ipſam: ergo ſemen parentum non producit vltimam diſpoſitionem ad formam prolis. Reſpondeo ex doctrina Medicorum in ſemine diſtinguendum eſſe duplex genus partium. Aliæ enim ſunt craſſæ, & ſanguineæ, aliæ verò magis tenues, & valdè ſpirituoſæ, nam ſemen fit per mixtionem ſanguinis, & ſpirituum vitalium divagantium per corpus animalis. Partes vero ſpirituoſæ ſeminis vltimo diſponunt partes craſſas, & ſanguineas, in quibus in inſtanti vltimæ diſpoſitionis introducitur forma prolis, & deficit forma ſubſtantialis prius eam informans. At in inſtantibus ſequentibus partes ſpirituoſæ deficiunt, & in earum materia introducitur, vel nova pars formæ, ſi hæc eſt diviſibilis integraliter; vel vnio formę prius informantis materiam aliarum partium. Ad hanc autem introductionem diſponitur materia illa à vivente præexiſtente in alijs partibus.

93 Dico 2. Partes ſpirituoſæ ſeminis concurrunt etiam activè ſimul

cum anima matris ad producendam vnionem formæ prolis cum materia ſeminis prius diſpoſita. Ratio eſt: Quia vel ſemen non eſt imperfectius vnione formæ prolis, ideoque illam producet, præſertim cum ſemen ſit ſubſtitutum parentum ad generationem filiorum, & hicatenus dicuntur producere filios; quatenus producunt vnionem, cuius generatio dicitur generatio compoſiti. Vel eſto ſemen ſit imperfectius vnione producenda, hoc ſolum probabit non producere eam ſe ſolo tanquam cauſam totalem, & adæquatam; non tamen probabit non producere eam partialiter influendo indiviſibiliter cum anima matris. Neque obſtat, quod ſemen dicatur à pluribus concurrere paſsivè ad generationem: nam id eſt verum, vel de partibus craſis, & ſanguineis, quæ nullum activum concurſum præſtant; ſed ſolum paſsivum. Vel ideo ſolum eſt verum, quia materia ſeminis eſt materia, & ſubiectum recipiens vnionem formæ, vel etiam ipſam formam, quando hæc eſt materialis.

94 Dico 3. Semen maris ſimul cum animâ matris concurrit etiam active ad productionem formæ ſubſtantialis prolis, quando hæc forma materialis eſt: ſecùs quando eſt ſpiritualis. Secunda pars eſt certa: nam anima rationalis ſpiritualis producitur per creationem à ſolo Deo neque vlla virtus creata poteſt adhuc partialiter creare, ſaltem ex natura rei. Prima pars probatur. Nam ex vna parte anima matris eſt productiva ſui ſimilis, & eſt immediatè applicata paſſo, nempè materiæ, in qua forma eſt producenda. Ex alia autem parte ſemen maris eſt illius ſubſtitutum in ordine ad generationem filij, eſtque deinde eiuſdem perfectionis cum forma producenda: ergo ſemen maris, & anima matris indiviſibiliter concurrunt ad productionem formæ filij.

95 Dices: Si anima materialis eſt diviſibilis, vt docet communis valdè ſententia, non omnes partes animæ matris ſunt immediatè applicatæ materiæ ſeminis, in qua forma prolis eſt producenda: ergo anima matris non poteſt concurre ſimul cum ſemine maris ad producendam formam prolis. Nego conſequentiam; quia ratione vnionis, quam omnes partes animæ diviſibilis habent inter ſe, omnes ſunt ſufficienter applicatæ materiæ ratione partis immediatè ei applicatæ, vt omnes per indiviſibilem concurſum operari poſsint, vt in ſimili dictum eſt tract. 1. diſput. 3. ſect. 1. obſerva tamen aliter dicendum eſſe ſi partes animæ diviſsibilis ſint æterogeneæ, & inæquales imperfectione. Nam

Nam ſi ita ſunt inæqualiter perfectæ, neutra poteſt concurrere adhuc partialiter, niſi ad producendam partem ſibi ſimilem. Quare in ea ſententia dicendum erit, vel ſemina parentum concurrere efficienter ſimul cum Deo ad productionem formæ, & vnionis, cuius etiam partes erunt ætherogeneæ, ſi partes formę ætherogeneæ ſunt, vel ſemina parentum ſolum concurrere diſponendo vltimo materiam, & ad exigentiam materiæ, vt vltimo diſpoſitæ à parentibus, Deum ſe ſolo producere formam, & vnionem.

96 Dico 4. Accidentia parentum, ſiue ſeminis ipſorum non concurrunt adhuc partialiter ad productionem formæ, aut vnionis prolis. Nam vt probatum eſt in Phyſic. lib. 2. diſp. 6. ſect. 2. accidens nec partialiter quidem concurrit ad productionem ſubſtantiæ.

97 Dubitatur quarto. Vtrum anima prolis concurrat efficienter ad producendam vnionem ſui cum materia? Reſpondeo negatiuè. Tum quia in anima matris, & actiuitate ſeminis datur ſufficiens virtus ad producendam vnionem iuxta dicta in concluſione 2. Tum quia anima nihil producit in materia, niſi vt eam informans, eique vnita: nam quouſque vnita ſit non eſt in ſtatu ſibi connaturali, qui ad omnem eius operationem debet præcedere ex natura rei: ergo non poteſt concurrere actiuè ad vnionem ſui cum materia.

98 Dubitatur quinto. Quænam partes materiæ prius informentur, quam aliæ? In hoc dubio non conueniunt Medici cum Ariſt. imò neque inter ſe omnes Medici conueniunt. Videtur dicendum omnes illas partes, quarum informatio eſt neceſſaria, vt animal dicatur generatum, & ſimpliciter exiſtens ſimul, & in eodem inſtanti informari. Ita ferè Alphonſus, & Hurtado, qui pro ſe adducit Hyppocratem. Ratio eſt: quia nulla pars animæ poteſt naturaliter introduci quouſque poſſit operari (non enim poteſt naturaliter exiſtere, mortuo quoddammodo) ſed nulla earum partium, quę neceſſariæ ſunt, vt animal dicatur generatum, & ſimpliciter exiſtens, poteſt operari ſine alijs, quia quælibet mutuo fouetur ad ſuas operationes à diſpoſitionibus aliarum partium: ergo nulla earum poteſt naturaliter introduci abſque introductione aliarum; atque inde conſequenter fit in nulla parte materiæ primæ generationis dari diſpoſitionem abſolutè, & ſimpliciter requiſitam, vt informetur parte formæ ſibi reſpondente, donec in alijs partibus materiæ detur diſpoſitio ad ſuas partes formæ. Redibit de hoc ſermo. lib. 1. de Anima diſp. 2.

99 Dubitatur ſexto, quo die introducatur anima ratio-

tionalis in materia fœtus? Communior ſententia eſt animam viri introduci die quadrigeſsimo poſt ſuſceptionem ſeminis in matrice, & animam ſęmine die octogeſsimo. Alij tamen dicunt, cum Valles lib. 2. controv. cap. 9. animam viri introduci die trigeſsimo, & animam fœminæ die quadrageſsimo.

100 Tandem dubitatur. Quanto tempore proles humana geſtetur in vtero matris? Frequentius accidit geſtari per novem menſes. Poteſt tamen partus feliciter evenire menſe ſeptimo, & ſic multoties evenit, aliquando etiam decimo menſe, licèt rarius. Nunquam tamen feliciter contingit menſe octavo, vt teſtatur Valles apud Oviedo controv. 2. punct. 7.

DISPVTATIO III.

De Corruptione ſubſtantiali.

NVlla generatio ſubſtantialis datur defacto, ſine corruptione ſubſtantiali: quia quando per generationem producitur forma ſubſtantialis in materia, deſinit eſſe in eadem materia forma ſubſtantialis præexiſtens incomponibilis in eodem ſubiecto cum forma de novo adveniente. Ideo generatio vnius dicitur corruptio alterius; non quidem formaliter; ſed illativè, quia propter oppoſitionem formarum, exiſtentia vnius in materia infert, conſequentia phyſica, & naturali, defectum alterius.

SECTIO I.

De Natura corruptionis.

1 COrruptio, vt oppoſita annihilationi definitur ſic *deſitio rei in aliam*, id eſt in aliquid, quod aliquomodo eſt proprium, & commune rei, quę corrumpitur. Sic dum corrumpitur forma materialis ligni deſinit in aliquid ſui, quia materia, in qua erat, perſeverat cum forma adveniente ignis: & ſubſtantia panis in Eucharıſtia deſinit in propria accidentia, quæ cum corpore Chriſti perſeverant poſt converſionem. Ideo SS. PP. dicunt in Euchariſtia non annihilari ſubſtantiam panis, ſed corrumpi, quia non deſinit in nihilum ſui; ſed in aliquid, ſcilicet in accidentia propria. Quarè annihilatio, in hoc ſenſu vſurpato à P. definitur, *deſitio rei in nihil*, id eſt, in nihilum ſui.

2 Sed quia Philoſophi docent communiter corruptionem opponi generationi, eamque ſolam rem corrumpi, quæ per generationem producta eſt, & annihilationem opponi creationi, eamque ſolam rem annihilari, quæ pro-

producta eſt per creationem: ſic cum communi definio corruptionem, *deſitio entis dependentis à præſuppoſito ſubiecto*: & annihilationem ſic, *deſitio entis independentis à præſuppoſito ſubiecto*. Hæc de corruptione, & annihilatione in communi: iuxta quæ corruptio ſubſtantialis, de qua nunc agimus, ſic definitur: *deſitio entis ſubſtantialis dependentis à præſuppoſito ſubiecto*: & annihilatio ei oppoſita ſic: *deſitio entis ſubſtantialis independentis à præſuppoſito ſubiecto*.

3 Explicatur definitio. *Deſitio entis ſubſtantialis*, quia in inſtanti corruptionis, ſubſtantia, quæ corrumpitur abſolutè, & verè deſinit eſſe. Quare res non corrumpitur, ſi deficiente aliqua cauſa productiva, & conſervativa illius, ſuccedat alia in eodem inſtanti: quia ſi ſuccedit alia cauſa res illa non deſinit eſſe abſolutè; ſed ſolum deſinit eſſe cum dependentia à cauſa, quæ deficit. Deinde res ſolum corrumpitur in primo eo inſtanti, in quo deſinit eſſe; quia in reliquis inſtantibus non tàm dicitur res deſinere, quàm deſijſſe. *Dependentis à præſuppoſito ſubiecto*; id eſt entis ſubſtantialis producti per generationem. Vnde deſitio integræ ſubſtantiæ panis in Euchariſtia partim eſt corruptio, & partim annihilatio. Corruptio ea parte, qua includit deſitionem formæ panis, quæ producitur per generationem. Annihilatio ea parte, qua includit deſitionem materiæ panis, quæ producitur per creationem. Atque inde etiam colliges corruptionem non eſſe eſſentialiter mutationem ſubiecti à forma, quæ deficit, ad eius privationem; quia ſi in inſtanti corruptionis formæ, deficeret etiam miraculoſe materia, vt contingit in Euchariſtia, daretur vera corruptio formæ dependentis à ſubiecto præſuppoſito, & non daretur mutatio ſubiecti à forma ad privationem formæ.

4 Aſsignantur corruptioni cauſa materialis, & efficiens: cauſa materialis dicitur ſubiectum, à quo deficit forma, & eius generatio. Efficiens, & eſt proxima, & eſt remota. Remota eſt illa cauſa, quæ producit in ſubiecto formam, vi cuius forma præcedens deſinit eſſe in eodem ſubiecto; quia efficientiæ, & efficatiæ illius tribuitur, quod deficiat altera forma. Cauſa efficiens proxima dicitur illa, quæ ceſſat immediatè à conſervatione formæ, quæ corrumpitur; ſcilicet Deus, qui (iuxta doctrinam datam in phyſicis circa effectus cauſæ formalis) ſuſpendit conſervationem formæ præcedentis motus ab exigentia formæ advenientis. Cæterum, quia corruptio formæ, & illius receptionis, vel

vnionis in ſubiecto, nihil aliud eſt formaliter, quam carentia formæ, vnionis, & receptionis eiuſdem, & ea carentia non eſt aliquod eſſe exiſtens in rebus, ſed purum non eſſe eorum extremorum, vt cõſtabit diſp. ſeq. ideo quidquid de cauſis corruptionis dicitur intelligendum eſt in ſenſu alienatiuo, & improprio; ſiquidem non eſſe rei, & nihilum non niſi impropriè loquendo dici poteſt, quod cauſatur, & eſt.

5 Quæres 1. Vtrùm natura intendat per ſe, & directè corruptionem alterius rei, ſivè ſubſtantialis, ſivè accidentalis? Communis ſententia eſt naturam, & agentia naturalia, non intendere per ſe, & directè corruptionem ſubſtantiæ. Ignis enim dum ſuam formam producit in ligno, per ſe, & directe ſolum intendit propagationem ſuæ ſpeciei per productionem formę: licèt autem huius productionem ſequatur per ſe corruptio formæ ligni propter immediatam & directam oppoſitionem vtriuſque formæ, illa corruptio dicitur ſe habere per accidens reſpectu ignis: quia per accidens eſt reſpectu propagationis, quam intendit ſuæ ſpeciei, quod præceſſerit in materia forma ligni; nam quamvis hæc forma, imò quamvis nulla alia præceſſiſſet (ſi id contingere poſſet) eodem modo produceret ignis ſuam formam.

6 Circa corruptionem rei accidentalis, rectè docet P. Oviedo controv. 2. punct. 8. agens liberum ſæpè intendere per ſe corruptionem formę accidentalis, quam liberè conſervet; nam poteſt libere velle ceſſare actu amoris, vel cognitionis quem liberè poſſuit, poteſtque id intendere directè nullo alio actu poſito incompoſibili cum primo; ſed purè volendo ceſſare ab hoc popter diſconvenientiam, vel difficultatem, quam advertit in eius conſervatione.

7 De formis accidentalibus non liberis ſunt nonnulli. RR. qui dicunt naturam per ſe, & directè intendere de facto earum corruptionem. Quia natura, aiunt ipſi, per ſe, & directè intendit remiſsionem ſpecierum intentionalium materialium deſervientium ad operationes ſenſuum, & ſpiritualium deſervientium ad operationes intellectus; ſed non benè: Quia ſpecies illæ non remittuntur ex intentione naturæ; ſed vel ex defectu cauſæ conſervantis; vel ex incompoſibilitate cum alijs advenientibus. Dicendum ergo eſt adhuc in his accidentibus naturam non intendere per ſe, & directè corruptionem; ſed hanc ſubſequi per accidens ad productionem alterius rei. Nam ſi entitas, quæ producitur poſſet perſiſtere cum alia natura, nullo modo poſtularet illius defec-

tum; vt videre eſt in productione lucis, quæ ſimul exiſtit in aëre cum ſpeciebus colorum.

8 Quæres 2. Vtrùm corruptio vnius ſit prior generatione alterius; vel potius generatio ſit prior corruptione? Quæſtio hæc facile reſolvitur ex dictis lib. 1. Phyſicor. diſp. 4. ſect. 2. §. 2. Certum eſt generationem vnius, & corruptionem alterius non habere ordinem prioris, & poſterioris ſecundum tempus, quia in eodem inſtanti reali temporis, in quo producitur noua forma, præcedens expellitur à ſubiecto, & corrumpitur. Hoc ſuppoſito. Dico 1. De facto productio vnius eſt prior natura, quam corruptio alterius. Quia defacto Deus non ceſſat à conſervatione formæ ſemel productæ, niſi ob exigentiam formæ de nouo advenientis; ſed hæc forma non poteſt exigere, quod Deus non conſervet alteram, niſi quando iam eſt producta, & informat materiam; quia nulla forma opponitur cum alia, niſi dum exiſtit, & relatè ad ſubiectum vtrique commune: ergo exigentia novæ formæ vt informantis eſt cauſa corruptionis alterius: & conſequenter generatio novæ eſt prior natura corruptione antiquæ. Minor eſt certa, & maior probatur, quia quævis forma ſemel exiſtens exigit à Deo Authore naturæ ſuam conſervationem, quouſque detur alia maior exigentia in contrarium.

9 Dico 2. De potentia abſoluta generatio vnius formæ, & alterius corruptio poſſunt ſe habere concomitanter ordine naturæ. Poteſt enim Deus in inſtanti reali, in quo generatur forma ignis, ceſſare à conſervatione formæ ligni, non propter exigentiam ignis; ſed ex ſola ſua voluntate nullo habito reſpectu ad exigentiam ignis, & poteſt ſimul formam ignis producere, nullo modo motus ex non conſervatione formæ lignis ſed in hoc caſu generatio vnius non eſſet cauſa corruptionis alterius, neque è contra: ergo neutra eſſet prior natura altera; ac proinde ſe haberent concomitantèr ſecundum ordinem naturę. Dico 3. De potentia abſoluta poteſt corruptio vnius eſſe prior natura generatione alterius. Quia poteſt Deus ex libero ſuo beneplacito non aliter concurrere ad productionem vnius, quam ex præviſione decreti non conſervandi alteram: ergo ad producendam vnam poteſt moveri ex non conſervatione alterius; ſed hoc eſt corruptionem vnius eſſe priorem natura productione alterius: poteſt ergo de potentia abſoluta corruptio vnius eſſe prior alterius productione.

(§)

SEC-

SECTIO II.

Vtrùm in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam?

EST inquirere, àn quando corrumpitur aliquod compoſitum ſubſtantiale, non ſolum deficiat forma propria compoſiti; ſed etiam omnia alia, quæ in illo compoſito erant, excepta materia prima, quæ perſeverat cum forma denuo producta? Quæſtio quidem celebris inter Thomiſtas, & Ieſuitas.

§. I.

Notantur aliqua, & referuntur ſententiæ.

10 SVppono 1. Deficiente forma compoſiti, ſimul cum ea deficere illius ſubſiſtentiam, præſentiam, durationem, & ſi qui ſunt alij eius modi: nam quivis modus eſt per ſe ipſum eſſentialiter affixus rei, cuius eſt modus, & non poteſt exiſtere ſine illa, ſicut actio non poteſt exiſtere ſine agente, cuius eſt actio, & ſine termino, cuius eſt productio; ſed ſubſiſtentia, præſentia, & duratio formæ, ſunt modi illius, vt in proprijs locis dictum eſt in phyſica: ergo ſunt eſſentialiter affixæ formę, & non poſſunt exiſtere ſine illa: ergo neceſſario deficiunt, & corrumpuntur, quando deficit, & corrumpitur propria forma. Supono 2. deficiente forma etiam deficere accidentia propria illius, quę vocantur paſsiones, & proprietates formæ: nam accidentia huius conditionis oriuntur, & emanant tanquam à principio connaturali à forma, & ab ea conſervantur cum naturali determinatione, vt non oriantur, neque conſerventur niſi à propria forma: deficiunt ergo connaturaliter deficiente propria forma. Quare præſens quæſtio non procedit de his accidentibus; ſed de illis, quæ accidentia communia vocantur, quia natura ſua ſunt indifferentia ad hoc, & illud compoſitum, & non magis exiguntur á forma huius compoſiti, quam illius, v. gr. albedo, nigredo, alijque colores, & primæ qualitates, ſaltem in gradibus remiſsis.

11 Suppono 3. Nobis certum eſſe quod deficiente, corruptoque compoſito, v. g. ligno, aut homine, non deficit eius quantitas. Ratio eſt; nam deficiente, & corrupto compoſito ſubſtantiali, non deficit eius materia, vt conſtans eſt apud omnes; ergo neque deficit eius quantitas. Probatur conſequentia: Quia non deficiente materia prima, non deficit eius proprietas, & propria paſsio phyſica, vtpote, quæ ſicut quævis alia paſsio, & proprietas recipitur in ſola eſſentia, cuius eſt propria; ſed quantitas eſt proprietas, & pro-

propria paſsio phyſica materiæ primæ corporeæ, quæ reperitur in omni compoſito generabili, & corruptibili: ergo ſi deficiente compoſito corrupto, non deficit eius materia, neque deficit eius quantitas. Minor probata eſt breviter lib. 1. Phyſicor. diſp. 2. ſect. 2. & videtur Ariſtot. lib. 3. Phyſic. dicentis quantitatem eſſe proprietatem materiæ. Et 7. met. tex. 8. vbi ſatis indicat quantitatem primo ineſſe materiæ.

12 Sed contra hanc doctrinam præter ea, quæ obiecta, & ſoluta ſunt loco citato, dices quantitatem non eſſe proprietatem materiæ; ſed formæ materialis corporeæ 1. Quia quantitas ſolum eſt proprietas illius ſubſtantiæ à qua activè dimanat; ſed non dimanat à materia, quæ eſt pura potentia paſsiva, & caret omni activitate: ergo non eſt proprietas materiæ. 2. Quantitas eſt proprietas corporis ſubſtantialis, ſicut potentia nutritiva eſt proprietas viventis, & potentia ſenſitiva eſt proprietas animalis, & potentia intellectiva, & volitiva non convenit homini ratione materiæ, ſed ratione animæ rationalis: ergo quantitas non convenit corpori ſubſtantiali ratione materiæ ſed ratione formæ ſubſtantialis corporeæ: ergo quantitas non eſt proprietas materiæ, ſed formæ ſubſtantialis corporeæ. Alias forma ſubſtantialis corporea nullam habebit proprietatem, & potentiam illi correſpondentem ratione gradus ſubſtantiæ corporeæ.

13 3. Quantitas, quæ reperitur in bruto non comitatur inſeparabiliter materiam, ſed formam bruti: ergo non eſt proprietas materiæ; ſed formæ bruti. Antecedens probatur. Quia ſi Deus miraculosè conſervaret hanc formam extra materiam, nulla eſſet metaphiſica repugnantia in eo quod in ſtatu ſeparationis forma illa ſentiret: hoc autem ipſo quantitas comitaretur formam à materia ſeparatam, quia vt eliciat operationes ſentiendi neceſſario indiget illa forma organo quantitativo, & extenſo, quo mediante percipiat ſpecies rerum ſenſibilium, & formet ſenſationem: ergo quantatitas, quæ reperitur in bruto, non comitatur inſeparabiliter materiam; ſed formam bruti 4. Si quantitas eſſet proprietas materiæ primæ, hæc pro priori ad formam ſubſtantialem eſſet actuata per formam accidentalem, ſcilicet per quantitatem; ac per conſequens pro priori non eſſet pura potentia, ſed ens in actu, & prius natura, quam vniretur formæ ſubſtantiali, vniretur formæ accidentali. Hoc autem, quod à nobis neceſſario eſt dicen-

cendum, eſt tollere omnem compoſitionem ſubſtantialem, quæ neceſſario debet fieri ex potentia, & actu ſubſtantiali.

14 Sed hæc non vrgent. At 1. nego minorem: quia materia non dicitur pura potentia ſubſtantialis; quia non eſt activa ſuarum proprietatum per ſimplicem emanationem; ſed quia ita eſt potentia ad formas ſubſtantialis, vt nullam ſecum identificèt, neque ex ſe dicat determinationem ad hanc præ illa. Si autem dicitur etiam non operativa, per hoc non excluditur ſimplex emanatio productiva propriæ quantitatis; ſicut neque excluditur ſimplex emanatio productiva propriæ præſentiæ, & durationis, ſi hæc conſiſtit in modo ſuperaddito conſequente rem durantem; ſed ſolum excluditur actio, per quam, poſtquam in ſuo ſtatu connaturali conſtituta eſt per ſuas proprietates, producat alium terminum extra ſe.

15 Ad 2. illa ratio ſupponit falſo potentias activas animæ eſſe proprietates diſtinctas realiter ab anima. Etenim anima vegetativa ſecum identificat potentiam nutritivam; anima ſenſitiva potentiam ſenſitivam, & rationalis potentiam intellectivam, & volitivam. Conſequenter ergo *forma ſubſtantialis corporea* ſecum identificat, quod ſit corporea. Eſt autem identicè corporea; quia ab intrinſeco ita petit coniungi cum materia quanta, vt naturaliter non poſſit exiſtere ſine illa, vt latius explicabitur lib. 1. de Anima. Connectuntur ergo connaturaliter materia prima, & forma ſubſtantialis corporea cum quantitate; ſed aliter, & aliter. Materia conectitur cum illa, tanquam cum termino, quem naturaliter exigit, & emanativè producit; forma vero tanquam cum termino, quem præſupponit iam exiſtentem ante ſe in materia, & ſine quo, vt ita exiſtente, & præcedente produci, & conſervari non poteſt.

16 Ad 3. Antecedens eſt falſum, qua parte dicit quantitatem non comitari inſeparabiliter materiam primam; hoc enim non probat arguens, imò neſcio an probare poſſit. Nam ſi de inſeparabilitate ex natura rei ſi ſermo, vnde noſti materiam primam intrinſecè conſideratam permittere ſeparationem ſui à quantitate, & eam non permittere formam ſubſtantialem corpoream? Si autem ſit ſermo de inſeparabilitate etiam per potentiam Dei, hæc inſeparabilitas neque formæ convenit, neque materiæ; vtramque enim poteſt Deus conſervare, ſine quantitate. Deinde quidquid ſit de hoc, reſpondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico quod ſi ad operationem ſenſitivam eſt metaphyſicè neceſſarium, vt ais organum quan-

quantitativum, & extenſum, anima illa in ſtatu ſeparationis, nec per potentiam Dei poſſet elicere ſenſationem. Si vero ſolum ex natura rei eſt neceſſaria extenſio quantitativa ad eliciendam ſenſationem, anima illa bruti, in ſtatu ſeparationis poſſet miraculoſe eam elicere, Deo videlicèt miraculosè ei imprimente ſpeciem obiecti corporei, & ſenſibilis independenter ab organo quantitativo; qua ſpecie poſita anima eliceret perceptionem corpoream, & materialem ſui obiecti.

17 Dices: ergo etiam anima rationalis poſſet elicere ſenſationem in ſtatu ſeparationis, ſi Deus ei miraculosè imprimeret ſpeciem impreſſam obiecti ſenſibilis: nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia ſenſatio vtpote operatio materialis, & corporea indiget ſubiecto materiali, & corporeo in quo recipiatur, & in ſtatu ſeparationis animæ rationalis eſſentialiter ſpiritualis, nullum eſſet ſubiectum corporeum, & materiale, in quo operatio illa reciperetur. Imò quævis operatio elicita in eo ſtatu adæquatè recipienda eſt in ipſa anima ſpirituali. Operatio verò elicita ab anima bruti ſeparata, adæquatè reciperetur etiam in illa; cum autem ipſa materialis, & corporea ſit, datur in ipſa ſubiectum proportionatum ad recipiendam ſenſationem corpoream, & materialem.

18 Ad 4. probationem aſſumpti ex num. 13. conſtat ex dictis in Phyſic. lib. 1. diſput. 2. & in præſenti tract. diſput. 1. ſect. 1. & 2. optimè ſtare compoſitionem ſubſtantialem ex materia, & forma, licèt pro priori ad formam ſupponatur materia in actu ſubſtantiali entitativo exiſtendi, & in actu accidentali quantæ, & diſpoſitæ per ſuſceptionem accidentium eam diſponentium ad formam ſubſtantialem.

19 Suppono 4. Quæſtionem præſentem non habere locum in noſtra ſententia aſſerente non ſolum recipi quantitatem in ſola materia prima; ſed reliqua etiam accidentia communia in ea recipi mediante quantitate. Nam cum certum ſit in corruptione compoſiti permanere materiam, in qua ſola recipitur, quantitas hęc etiam permanebit, & conſequenter reliqua accidentia cum materia, quæ mediante quantitate recipiuntur in materia; ſed tamen vt detur locus quæſtioni, ſupponimus, & admittimus in præſenti quantitatem, & alia accidentia communia non recipi in ſola materia prima, ſed in toto compoſito, & inquirimus, vtrum in corruptione ſubſtantiali ita fiat reſolutio compoſiti, vt ſola maneat materia prima; pereantque omnia accidentia non ſolum propria; ſed etiam communia compoſiti corrupti, quin vllum

lum ipſorum perſeveret in genito.

20 Prima ſententia docet in compoſito genito nullum accidens permanere ex eis, quę erant in corrupto. Ita omnes Thomiſtæ, & ex noſtris Fonſeca, Conimbric. Vazq. & Rub. Secunda per oppoſitum docet plura accidentia communia, quę erant in corrupto permanere in genito. Ita plures ex antiquis, quos reffert, & ſequitur Exim. Doct. diſp. 14. met. ſect. 3. & cũ ipſo tenent Hurt. Arriag. Oviedo, Carleton, Alphonſus, Quiros, & omnes RR. noſtri, quibus conſentiunt plures ex extraneis.

§. II.

Statuitur, & probatur vera ſententia.

21 NOſtra concluſio eſt cum ſecunda ſententia in corruptione ſubſtantiali non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam; ſed plura accidentia communia, quæ fuerunt in corrupto manere in genito; etiam ſi accidentia hæc recipiantur in toto compoſito. Probatur 1. ab authoritate. Nam Ariſt. in præſenti agens de generatione vnius elementi ſymbolici ſeu ſimilis ex alio ſimili, nempè de generatione aquæ ex aère, ait: *in his autem ſi aliqua paſſio maneat eadem contrarietatis in corrupto, & genito, vt quando ex aère aqua, ſi ambo tranſparentia, & frigi da nõ oportet huius* (ſcilicet aquę) *alteram paſſionem eſſe in quam tranſmutatur*. Ecce iuxta Ariſt. eadem frigiditas aèris corrupti manet in aqua genita, & quidem loquitur de eadem numero frigiditate, quia de eadem ſecundum ſpeciem nemo poterat dubitare. Præterea D. Thom. 3. p. q. 9. ar. 3. ad 2. inquit: *per calorem diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adveniente non ceſſat; ſed remanet, quaſi quidam effectus talis formæ*; ſed extra dubium eſt, ignem comitari calorem, ſecundum ſpeciem ad quam ignis natura ſua determinatus eſt: ſentit ergo manere cum forma ignis eundem numero calorem, qui diſpoſuit materiam ad illius generationem, & qui poſtea conſervatur à forma ignis. Et quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 13. ait: *dicendum, quod duplex eſt diſpoſitio, vna qua patiens diſponitur ad ſuſcipiendam formam, & totalis diſpoſitio eſt in eodem cum forma.*

22 Dices tamen D. Thom. loqui de eadem diſpoſitione ſecundum ſpeciem, non de eadem numero, quod confirmari poteſt pluribus teſtimonijs S. Doct. id aſſerentis. quæ videri poſſunt apud Prado lib. 1. de generat. quæſt. 12. & apud Lerma. quæſt. 21. Fateor id aſſerere D. Thom. non nullis in locis: adhuc tamen contendo tam pro nobis ſtare, quam pro

Tho-

Thomiſtis quia vtramque ſententiam cenſuit probabilem, ideoque iam iuxta vnam, iam iuxta aliam loquutus eſt. Quod ex eo mihi probatur: quia ex vna parte aliqua eius teſtimonia pro ſententia contraria adeo clara ſunt, vt interpretationem non admittant; ex alia vero, quæ pro nobis adduxi difficilem habent explicationem. Nam (ſi S. Doct. non loquitur valdè impropriè) quomodo perſeverabit cum forma diſpoſitio præparans ſubiectum ad ipſam, ſi tota ea diſpoſitio perit in inſtanti generationis formæ, & loco eius ſuccedit alia eiuſdem ſpeciei non præparans ſubiectum ad generationem, ſed ad conſervationem formæ? Deinde quia ſi non loquitur de eodem calore numero, ratio S. Doct. non probat intentum. Intendit enim eo in loco ex 3. p. ſcientiam inditam animæ Chriſti perſeverare eandem numero cum ſcientia beata; & hoc probat, quia ſciētia indita eſt diſpoſitio ad beatā, ſicut calor ad ignem; atque ideo manere cum ſcientia beata, ad quam diſponit, ſicut manet calor diſponens ad ignem cum ipſo igne. Hæc autem ratio, vt patet non probat ſi non manet ſimul cum igne idem numero calor, qui fuit diſpoſitio: loquitur ergo de eodem numero calore. Omitto P. Puente Hurtado aſſerere D. Thom in locis pro nobis adductis mutaſſe ſententiam, quam prius docuerat.

23. Probatur 2. noſtra ſententia infirmando fundamentum adverſariorum. In inſtanti in quo deficit forma corrupti, ſuccedit forma geniti, æquè capax, & poteſt ſuſtentare accidentia communia: ergo licet hæc accidentia recipiantur in toto compoſito, poſſunt perſeverare in genito, quæ prius fuerunt in corrupto. Antecedens eſt certum, nam quævis forma materialis habet æqualem virtutem recipiendi, ſuſtentandique accidentia omnibus communia. Vel cur forma ligni erit virtus, vt ſuſtentet calorem diſponentem ad formam ignis, & forma ignis adveniens non erit potens ſuſtentare eum calorem? Conſequentia vero probatur. Quando in inſtanti, in quo deficit ignis producens calorem in paſſo, ſuccedit Sol, vel alius ignis æqualis virtutis, perſeverat idem calor numero ante productus, videlicet, quia cauſæ deficienti ſuccedit alia æqualis virtutis, vt conſervet calorem, vt probatum eſt à nobis in Phyſica: ergo licet accidentia recipiantur in toto compoſito, poſſunt perſeverare in genito, quæ prius fuerunt in corrumpto. Probatur conſequentia: quia non magis dependet accidens à ſubiecto recipiente, quàm à cauſa efficiente.

24. Huic argumento variè varij reſpondent 1. dicunt aliqui non perſeverare

in

Digitized by Google

in paſſo eundem numero calorem variata cauſa efficiente; ac proinde paritatem nullam eſſe, quia vtrobique eodem modo philoſophandum eſt; ſed contra, quia cum calor non dependeat immediatè per ſe ipſum a cauſa efficiente, ſed media actione, & cauſalitate ſupperaddita; deeſt fundamentum, vt ita connectatur cum hoc agentè, à quo de facto procedit, vt non poſsit procedere, ſeu conſervari ab alio agente adveniente cum æquali virtute, deficiente primo: & ſaltem effectum efficienter productum à cauſa creata poſſe produci, & conſervari eundem numero à ſolo Deo, ita certum eſt, vt oppoſitum ſit erroneum iuxta D. Thom. 1. p. q. 105. artic. 2. Poteſt ergo idem effectus efficienter provenire ſucceſsivè à duplici cauſa, & conſequenter ſucceſsivè recipi, & materialiter cauſari à duplici ſubiecto.

25 Dicunt 2. alij, quidquid ſit de antecedenti, negandam eſſe conſequentiam. Diſparitas eſt: quia dependentia accidentis, à ſubiecto eſt magis ſtricta, quam dependentia effectus ab efficiente. 1. Quia ſubiectum eſt fundamentum, & fulcimentum accidentis, & ex hoc capite non poteſt eſſe extrinſecum, & variable, ſicut cauſa efficiens. 2. Quia magis dependet accidens à ſubſtantia, in qua recipitur quam dependet ſubſtantia ab accidenti; ſed tamen ſubſtantia ita dependet à ſuis accidentibus proprijs, vt deficiat illis deficientibus, licèt non deficiat deficiente cauſa efficiente, ſi advenit alia: ergo potiori iure deficiet accidens, deficiente ſubiecto, in quo erat, licet non deficiat per præciſſum defectum cauſæ efficientis, à qua hic, & nunc producitur, ſi loco illius ſuccedit alia.

26 Sed contra ſubiectum eſſe fundamentum, & fulcimentum accidentis, re ipſa, & ſeoluſis vocibus, nihil aliud eſt, quam accidens recipi in ſubiecto, & ſine ſubiecto non poſſe naturaliter exiſtere; ſed non recipitur per ſe ipſum in ſubiecto, ſed media receptione, & cauſalitate paſsiva ſuperaddita: ergo deficiente hoc ſubiecto, & receptione intrinſeca accidentis in ipſo, poteſt permanere, ſi in eodem inſtanti ſuccedit aliud, aliaque cauſalitas, qua mediante recipiatur intrinſece in illo, ſicut poteſt idem numero permanere, ſi deficiente cauſalitate huius efficientis ſuccedit aliud æquè potens cauſare. Imo, hinc impugno ſolutionem. 2. Accidens magis ſtrictè connectitur cum cauſalitate efficientis, quam cum cauſalitate ſubiecti: nam nec per potentiam abſolutam Dei poteſt exiſtere niſi terminando cauſalitatem alicuius agentis, quia nihil creatum poteſt exiſtere actu, niſi, vt actu pro-

productum ab aliqua cauſa, & tamen per potentiam Dei poteſt exiſtere nullam terminando cauſalitatem ſubiecti, poteſt enim conſervari miraculosè extra omne ſubiectum, vt patet in quantitate Euchariſtica: ergo ſi cum maiori hac dependentia ab efficienti, quam à ſubiecto, ſtat idem numero accidens ſucceſſivè produci à duplici efficienti, ſtabit etiam ſucceſſivè recipi in duplici ſubiecto.

27 3. Quod in ſolutione dicitur de dependentia ſubſtantiæ ab accidentibus proprijs non habet vim. Ideò enim deficit ſubſtantia, deficientibus accidentibus proprijs, quia hæc ſunt illius paſsiones, & quævis eſſentia, debito connexionis phyſicæ naturaliter inviolabilis, eſt inſeparabilis à ſuis paſsionibus, vt fatentur omnes. At vnde probas accidens A, ex ſua ſpeciè commune, & non poſtulans hoc ſubiectum præ illo, accidentali coniunctione ſui cum hoc acquiſiſſe debitum connexionis phyſicæ, vi cuius reſpiciat hoc ſubiectum, tanquam ita proprium, vt non poſſit ab eo ſeparari naturaliter, & recipi in alio: manet ergo paritas in ſua vi. Quare.

28 Alij magis explicando præcedentem ſolutionem dicunt 3. Diſparitatem eſſe, quia ſubiectum eſt cauſa intrinſeca reſpectu accidentis, quod in ſe recipit, & limitat ſeu determinat ad eſſe individuum; ideoque ſubiecto receptivo mutato, mutatur individuatio, & deficit accidens: cauſa vero efficiens nullo modo eſt intrinſeca accidenti, quod producit, & conſervat, imò (addit Lerma vbi ſupra num. 97.) non conſervat ipſum per dependentiam quoad eſſe intrinſecū illius; ſed per ſolā extrinſecam remotionem alterius accidentis contrarij; ideòque mirum non eſt, quod deficiente hac cauſa efficienti, & adveniente alia perſeveret idem accidens numero.

29 Contra 1. Quia ſupponit ſolutio accidentia individuari à ſubiecto, quæ doctrina ſæpè à nobis in ſuperioribus reiecta eſt, & fuſius in logica ad Prædicam, quantitatis. 2. Quia ſubiectum eſſe cauſam intrinſecam accidentis, nihil aliud eſt, quam accidens recipi in ſubiecto per cauſalitatem, & receptionem ſuperadditam, vt ſupra dictum eſt; ſed non probat non poſſe ſucceſivè cauſari in genere paſſivo, & receptivo à diſtinctis ſubiectis per diſtinctas receptiones, ſicut poteſt ſucceſivè cauſari in genere efficientis à diſtinctis cauſis per diſtinctas productiones; quia adhuc non aſſignatur caput cur habeat maiorem connexionem cum ſubiecto, in quo recipitur, quam cum cauſa, à qua producitur: ergo diſparitas eſt nulla. Neque verum eſt, quod addebat Lerma:

nam actio media qua efficiens conſervat effectum productum terminatur ſe ipſa ad effectum ſecundum ſuum eſſe intrinſecum, & non ſolum ad extrinſecam remotionem impedimentorum: quia conſervatio eſt continuata productio, & ſicut prima productio caloris terminatur ad eſſe intrinſecum caloris illud ponendo in rebus, ita conſervatio, quæ primæ productioni ſuccedit, idem eſſe intrinſecum caloris, quaſi ſecundo producit, & ponit in rebus.

30. 2. Contra eandem ſolutionem argumentor. Magis intrinſecè dependet materia prima à forma ſubſtantiali, iuxta Thomiſtas, quam accidens à ſubiecto; nam materia dependet à forma tanquam à cauſa intrinſeca tribuente illi ſuum eſſe: exiſtit enim materia per exiſtentiam formæ, accidens autem non dependet à ſubiecto tanquam à tribuente eſſe; ſed præcisè tanquam à ſuſtentante illud eſſe, quod aliunde habet; vnde accidens poteſt exiſtere de potentia Dei abſque ſubiecto: & materia nec de potentia Dei poteſt exiſtere ſine forma in principijs adverſariorum; ſed cum illa maiori dependentia materiæ à forma ſtat, quod etiam ex natura rei materia accipiat ſucceſive ſuum eſſe intrinſecum à formis diſtinctis: ergo cum minori dependentia accidentis à ſubiecto ſtat, quod ſucceſivè dependeat intrinſecè dependentia ſuſtentationis, & receptionis à ſubiectis diſtinctis.

31 Dices, eſſe diſparitatem. 1. Quia materia eſt pura potentia indifferens ad omnes formas; ideòque non ſatiatur eius potentialitas vnica forma; accidens vero individuatur adæquatè ab vno ſubiecto, & per receptionem in eo ſatiatur indigentia, quam habet ſubiecti, vt indiviſ[illegible]ſuetur, ac per conſequens non manet cum indifferentia ad aliud. 2. Quia cum materia cum qualibet forma ſubſtantiali conſtituat vnum per ſe, ad quod natura ſua ordinatur, deeſt titulus, vt dum habet vnam, non maneat cum potentialitate, vt ea deficiente, conſtituat totum aliud per ſe cum forma ſuperveniente, ac per conſequens per accidens eſt reſpectu illius quod componat totum cum hac forma, potius, quam cum alia. At cum ex ſubiecto, & accidenti non fiat vnum per ſe, & aliunde accidens ſuſtentetur à ſubiecto, non eſt per accidens reſpectu illius, quod recipiatur in hoc determinato ſubiecto; ideòque non poteſt habere indifferentiam, vt recipiatur in alio, ita Prado.

Sed

32 Sed hæc neſcio an ſint pura verba. Nam indigentia, quam materia prima habet formæ ſubſtantialis, vt ſit, & exiſtat; æquè ſatiatur per vnicam formam, quam ſatiatur exigentia, quam accidens habet ſubiecti, vt individuetur: nam ſicut accidens individuatur plenè, & adæquatè per vnum ſubiectum; ita materia plenè, & adæquatè exiſtit per quamvis formam, & cum ea, quam primo habuit, eſſet ſemper connaturaliter, & iuxta propriam exigentiam, licèt nunquam haberet diſpoſitiones ad aliam: ergo ſicut ſub vna forma manet in materia potentialitas, & indifferentia ad alias, ita ſub inhærentia, & receptione accidentis in vno ſubiecto, manebit in ipſo indifferentia, & capacitas ad aliud. Præterea accidens vt tale ſolum exigit ſubiectum cui inhæreat, in quo ſuſtentetur, & à quo accipiat individuationem extrinſecam, & à nobis per ſenſus perceptibilem (intrinſecam enim individuationem, per quam intrinſece, & in ſe eſt tale accidens diſtinctum numero à quovis alio, quod non ſit ipſum habet formaliter, & conſtitutivè à propria differentia individuali, ſecum identificata, & diſtincta realiter adæquatè à ſubiecto, in quo recipitur) ſed æquè inhærebit, ſuſtentabitur, & individuabitur ſenſibiliter, & quoad nos á quovis ſubiecto: cur ergo ſecundum ſua intrinſeca non habebit tantam indifferentiam ad hoc, vt illud ſubiectum, quantam habet materia ad hanc, & illam formam.

33 Quod ſecundo loco additur pro diſparitate, vel non bene percipitur, vel nihil valet; nam ſicut materia conſtituit vnum per ſe cum quavis forma, ita accidens conſtituet vnum per accidens cum quovis ſubiecto: ergo tàm erit per accidens reſpectu huius numero accidentis conſtituere vnum per accidens cum hoc numero ſubiecto præ illo, quam eſt per accidens reſpectu materiæ conſtituere vnum per ſe cum hac forma præ illa, ſubindeque tantam indifferentiam habebit ad hoc, & illud ſubiectum, quantam habet materia ad hanc, & illam formam.

34 3. Contra ſolutionem ex numero 28. arguo ſic: Anima materialis bruti perfecti, quæ iuxta Thomiſtas eſt indiviſibilis tranſit de ſubiecto inadæquato ad ſubiectum inadæquatum, tranſit enim de materia, quam deperdit vivens per diminutionem ad informandas novas partes materiæ, quam acquirit ipſum per nutritionem; ſed hæc anima tàm intrinſecè dependet à materia, quàm informat, & in qua recipitur intrinſecè, quàm

accidens à toto compoſito, in quo ſuſtentatur: ergo licèt accidens recipiatur in toto compoſito poterit tranſire de ſubiecto inadæquato ad ſubiectum inadæquatum, nempe à forma corrupti, in qua antea recipiebatur inadæquatè, ad formam geniti, cum qua perſeverat materia, quæ erat in corrupto.

35 Dices: animam propter ſuam perfectionem, & eminentiam poſſe amiſsis per diminutionem viventis illis partibus materiæ, informare alias de novo, & in eis recipi: quia eis omnibus poteſt dare exiſtentiam; accidens vero vtpote imperfectiſſimum ens non poſſe recipi in ſubiectis adhuc inadæquatè diſtinctis. Contra tamen eſt 1. Quia ſicut maior perfectio animæ, quam materiæ, poteſt dare exiſtentiam materiæ, ita maior perfectio compoſiti ſubſtantialis, quam accidentis poteſt dare Inhærentiam accidenti: ergo ſicut anima poteſt variare ſubiecta inadæquata, quibus dat exiſtentiam, ita accidens poterit variare compoſita inadæquata, à quibus accipiat inhærentiam. 2. Quia licet concedatur accidenti indifferentia, vt variet ſubiecta inadæquata, ſicut conceditur animæ; adhuc manebit anima pluribus titulis perfectior accidente, vt videtur certum: ergo titulo imperfectionis, quam habet accidens comparativè ad animam, non eſt ei neganda indifferentia, quæ conceditur animæ.

36 3. Et præcipuè: quia ſicut iuxta Thomiſtas accidens individuatur à ſubiecto, ita etiam anima, & quævis alia forma individuatur à materia ſignata quantitate, adeò, vt hæc anima ſit talis diſtincta numero ab alia eiuſdem ſpeciei, per ordinem, quem dicit ad hanc materiam numero, & non ad aliam; ſed cum hoc ſtat, quod hæc anima numero poſsit variare, & de facto variet materias, & ſubiecta inadæquata: ergo cum individuatione accidentis à ſubiecto ſtabit, quod idem accidens numero poſsit variare ſubiecta inadæquata. Nec valet ſi dicas cum Lerma accidens variaturum diverſa ſubiecta adæquata, ſi perſeveraret in genito, eo quod generatio, & corruptio ſunt mutationes totius à toto in totum. Hoc inquam non valet: nam generatio, & corruptio non ſunt mutationes totius in totum, quia totum præcedens adæquatè, & quoad omnes ſuas partes deficiat, quia certum eſt eandem numero materiam perſeverare; ſed ſolum dicuntur, & ſunt mutationes totius in totum, quia eadem materia cum diverſa forma nunc genita conſtituit to-

totum diſtinctum realiter inadequatè à præcedente: ergo compoſitum corruptum non deficiet quoad omnes ſuas partes, ſed ſolum quoad aliquam, & conſequenter accidens in genito perſeverans non variatet ſubiectum adæquatum receptionis, ſicut illud non variat anima, dum per nutritionem tranſit ad novas partes materiæ.

37 Si propterea dicas, eandem animam individuam poſſe informare ſucceſſivè diverſa partes materiæ, quia non individuatur ab eis omnibus; ſed ſolum à partibus, quas informavit, & in quibus recepta eſt in prima generatione. Sic ita. Cæterum quare non dices ſimiliter accidens individuari ab illo ſolo ſubiecto, in quo receptum eſt? Nam ſi anima individuata à materia, quam primo habuit, poteſt perſeverare cum eadem individuatione, etiam deficiente parte illius materiæ, & non accipit novam individuationem à nova parte materiæ, in qua poſtea recipitur; cur ſimiliter non dicemus, quod accidens individuatum à toto compoſito, in quo in prima ſui productione receptum eſt, perſeverat deficiente inadæquatè illo compoſito, & non accipit novam individuationem à novo compoſito, diſtincto inadæquatè à primo in quo poſtea recipitur? Individuaretur ergo accidẽs per ordinem ad primum compoſitum, & perſeveraret cum ſecundo, ſicut anima individuatur à prima materia, & perſeverat cum ſecunda.

38 Tandem probatur concluſio argumento ſemper efficaci ab experientia deſumpto. Etenim in homine mortuo experimur eadem accidentia, quæ erant in vivo; nempè albedinem, nigredinem, cicatrices, & alia huiuſmodi: ergo accidentia communia perſeverant in genito. Dices: accidentia illa non eſſe eadem numero licet videantur talia; ſed ratione corrigendos eſſe ſenſus, qui ſæpè falluntur circa diſtinctionem numericam rerum, vt frequenter accidit in præſtigiorum ludo. Nec abſona debet videri hæc ſolutio: nam inter individua omnino ſimilia intellectus cognoſcens dependenter à ſenſibus, non poteſt diſcernere, vti non diſcerneret diſtinctionem albedinis A ab albedine B, ſi Deus miraculosè tolleret, etiam ad præſentiam viſus, albedinem A à corpore, quod experimur album, & loco illius poneret albedinem B, ſed potius intellectus iudicaret in eo caſu corpus manere cum eadem numero albedine. Hac de cauſa inquiunt, non poſſumus certo aſſerere eundem eſſe numerò Solem, qui hodie illuminat, & qui illuminavit heri, eoſdem numero cœlos heri, & hodie moveri, eandem tellurem hieme rigeſcere, & primo verè frondeſcere.

39 Sed contrà 1. Fateor ſenſus frequenter falli; ſed tunc dicimus falli, quando per rationem eorum fallacias detegimus. Alias omnia argumenta, quæ ſumuntur ab experientia caſſa eſſe..t,& nulla. Ideòque poſſemus dicere ignem non cremare, ſolem non calefacere, & alia his ſimilia; ſed hos effectus exiſtentes ad præſentiam harum entitatum provenire à cauſis incognitis, & corrigendos eſſe ſenſus, qui experiri videntur provenire ab igne, & à ſole. Si dicas in his caſibus ſenſus non eſſe corrigendos, quia in igne, & ſole reperitur ſufficiens proportio, vt producant effectus exiſtentes ad præſentiam ſui. Dicam ego, ſimiliter in caſu argumenti noſtri, non eſſe corrigendos ſenſus; quia in compoſito de novo genito datur ſufficiens proportio, vt recipiat idem numero accidens, quod fuit in corrupto, vt probarunt, quæ ſupra dicta ſunt,

40 2. Quando ratio non contradicit experientiæ ſenſuum, credendum eſt ſenſibus. Quare, quia nulla ratio probat diſtinctum numero ſolem illuminare heri, & hodie, diſtinctoſque cœlos hodie, & heri in circulum agi, credimus ſenſibus experientibus eſſe idem, & non niſi valde temere, & imprudenter negaremus eorum identitatem numericam; ſed in præſenti ratio non contradicit experientiæ ſenſuum, vt facile conſtabit ex ſolutione argumentorum: ergo credendum eſt ſenſibus. 3. Si in caſu argumenti non poteſt aſsignari cauſa producens in cadavere accidentia communia, diſtincta individualiter ab accidentibus viventis corrupti, credendum eſt ſenſibus; ſed non poteſt aſſignari talis cauſa: ergo credendum eſt ſenſibus. Minor probatur. In primis ea cauſa non eſt forma cadaveris: nam hæc forma de ſe, neque determinata eſt ad albedinem, aut nigredinem, neque horum accidentium eſt productiva. Non materia prima: quia materia intrinſece eſt indifferens ad omnia accidentia, ſolumque coniungitur eum his præ illis, quando neceſſaria ſunt, vt diſponatur ad formam, quæ, vel vt producatur, vel vt conſervetur connaturaliter, indiget illis; & in præſenti in non accidit, vt proximè oſtenſum eſt. Non cauſa aliqua oculta, & nobis ignota: quia id parum phyloſophicè diceretur. Non Deus, qui, vt author naturalis nihil producit, niſi ad exigentiam naturæ: hic autē ex parte naturæ nihil datur exigens, quod in genito producantur nova accidentia: ergo non poteſt aſignari cauſa producens in cadavere accidentia diſtincta individualiter ab accidentibus viventis corrupti.

41 Dices: cauſam productivam novorum accidentium eſſe agens producens formam cadaveris; hoc enim agens

agens dum producit formam, conſecutivè, & per accidens generat nova illa accidentia ſimilia accidentibus corrupti. Contra. Sæpè generans formam cadaveris non eſt productivum albedinis, nigredinis, & aliorum accidentium communium: ergo adhuc conſecutivè non poteſt ſimul cum forma cadaveris producere illa accidentia. Antecedens probatur. Nam pone Etiopem mori ex nimio frigore nivis, qua obruitur: tum calus neque frigus, neque nix ſunt productiva nigredinis, quam experimur in eo cadavere: imò neque frigus, & nix poſſunt determinare, vt ab alio agente extrinſeco producatur conſecutivè ad formam cadaveris diſtincta nigredo, quidquid ſit, an determinare poſſint, vt conſecutivè producat diſtinctam frigiditatem. Pone deinde Europeum mori ex nimio calore, & eodem argumento probatur, albedinem, quam experimur in cadavere non poſſe produci à calore ſuffocante vivens, neque ab agente extrinſeco producente formam cadaveris ex exigentia, & determinatione caloris.

42 2. Quia licèt agens extrinſecum ſit productivum accidentium communium, quæ experimur in cadavere, tamen non poteſt producere accidentia numero diſtincta adhuc conſecutivè, & concomitanter cum forma, niſi determinatum ab exigentia aliqua naturali, vt per ſe patet; ſed non datur talis exigentia: ergo. Minor probatur. Non determinatur ab exigentia formæ, quæ non eſt magis determinata ad albedinem, quam ad nigredinem, quarum neutra indiget vel ad eſſe, vel ad operari: neque ab exigentia materiæ, quæ ſimilem indeterminationem, & indifferentiam habet de ſe ad omnia accidentia: & pro recipienda forma cadaveris non magis opus habet albedine, quam nigredine. A cuius ergo exigentia determinatur agens extrinſecum, vt cum producit formam cadaveris producat conſecutivè, & commitanter illa accidentia?

43 Dices: agens extrinſecum non determinari à forma cadaveris, neque à materia ſecundum ſe, vt bene probatur, determinari tamen à materia, vt ſygillata per accidentia, quæ extiterunt in corrupto; nam materiæ, vt ſygillatæ per illa accidentia debetur quod ad eorum defectum dentur ipſi alia ſimilia in novo compoſito generando. Quid autem ſit hæc materiæ ſygillatio, dupliciter explicatur. Primo dicendo eſſe quodam ius, ſeu debitum acquiſitum materiæ ex continentia priorum accidentium communium, ratione

cuius debiti petit, vt amittat illa accidentia, quin dentur alia ſimilia ne aliter tranſeat in inſtanti de extremo ad extremum ſcilicèt de continendo albedinem ad illius omnimodam amiſſionem, & carentiam ſub forma cadaveris de novo producenda; ſicut enim materia, vt habens diſpoſitiones proprias formæ cadaveris, per quas eſt in via ad illam, exigit quod dentur in genito accidentia alia ſimilia; ita vt habens in inſtanti antecedenti ad formam cadaveris accidentia non propria, nec connaturalia illi formæ, ſed communia, & inconnaturalia, v.gr. albedinem, nigredinem, cicatrices, & nævos exigit, quod producantur in genito ſimilia accidentia, quæ ratione huius exigentiæ producuntur ab agente extrinſeco, ſive illud agens ſit cauſa particularis, quæ occidit vivens, ſivè cauſæ aliæ extrinſecæ vniverſales, quarum eſt exigentiæ naturæ ſatisfacere.

44 Secundo paulo aliter explicatur dicendo, ſygillationem illam conſiſtere in reſiſtentia paſsi, quæ determinat, & modificat actionem agentis producentis formam cadaveris, vt eam producat cum accidentibus ſimilibus eis, quæ præceſſerunt in corrupto. Et ratio eſt, quia omne agens, quantumvis celeriter operetur repatitur in agendo ratione reſiſtentiæ paſsi: vnde actio agentis producentis formam cadaveris à reſiſtentia formæ viventis, & eius qualitatibus determinatur, vt producat formam cadaveris cum ſimilibus accidentibus, quia non producit illam vtcumque, ſed vt modificatam ex reſiſtentia paſsi; vnde conſecutivè, & per accidens producit ſimul cum illa ſimiles colores, cicatrices, & alia accidentia communia. Ita M. Lerma num. 12.

45 Sed hæc ſolutio, & vtraque eius explicatio difficilis eſt. Prima explicatio difficilis eſt. 1. Quia ſi accidenti præ exiſtenti in materia, aut in compoſito corrupto non debetur ſui conſervatio, ſubiectum per illius continentiam non acquiſivit ius, vt detur aliud ſimile in inſtanti immediato: omne enim ius ſubiecti ad accidentia ſimilia fundatur in accidenti ſimili præcedenti; ſiquidem ſubiectum, vt præſcindens ab illo alio non habet de ſe determinationem ad accidens ſimile; nam quis dicet, hominem ſecundum ſe, & vt præſcindentem ab albedine, aut cicatrice præcedente, habere ius, vt in cadavere producatur albedo, aut cicatrix? Sed accidenti præexiſtenti non debetur ſui conſervatio: ergo ſubiectum per continentiam accidentis communis nō acquiſivit ius, vt detur aliud ſimile in inſtanti immediato. Minor probatur. Quia ſi conſervatio eſſet debita illi accidenti, ſubiectum, poſtquam ſemel illud habuit,

buit non poſſet carere illo, vel in ſe, vel in alio ſimili: quia videlicèt ne detur in inſtanti tranſitus de extremo ad extremum, nempe de albedine ad non albedinem, haberet debitum non carendi illa, niſi detur alia ſimilis, quod certe eſt ridiculum, & contra ocularem experientiam: videmus enim ſubiectum ante album tandem amittere albedinem. Niſi fortè dicas corrigendos eſſe ſenſus credendumque adhuc eſſe albedinem in ſubiecto, licet viſus non percipiat illam.

46 2. Quia exemplum, quo explicatur ſolutio, licet probet de accidentibus, quæ neceſſaria ſunt ad connaturalem exiſtentiam, & conſervationem formæ (gratis admiſſo, quod eadem numero accidentia, quæ præciſè diſponant ad eius productionem, non poſsint recipi in compoſito genito) attamen pro accidentibus communibus non habet vim propter manifeſtam diſparitatem. Namque accidentia diſponentia ad productionem formæ cadaveris ſunt eiuſdem rationis cum eis, quæ neceſſaria ſunt ad eiuſdem formæ conſervationem: quare cum ſubiectum, vt diſpoſitum per illa accidentia exigat formam cadaveris, ſi aliàs illa accidentia non poſſunt cum illa forma perſeverare, exigent quod ſimul cum forma dentur alia ſimilia, quia forma abſque accidentibus illius ſpeciei, non poteſt produci, & conſervari. At de accidentibus communibus longe alia eſt ratio. Illa enim non diſponunt, nec neceſſaria ſunt ad introductionem, & conſervationem formę; ſed relatè ad diſpoſitionem ad formam, & ad formam ipſam tàm in produci, quàm in conſervari, ſe habent de materiali, & impertinenter: ergo tàm ipſis, quàm ſubiecto, vt habente ipſa in inſtanti antecedenti, deeſt titulus, vt exigant, quod ſimul cum forma nova producantur alia ſimilia: ergo ratione ſygillationis materiæ, iuxta hanc primam explicationem, non poſſunt adhuc conſecutivè, & per accidens produci ab agente generante cadaver accidentia communia ſimilia præcedentibus, ſed dicendum erit, vel illa accidentia omnino deficere (quod tamen evidenter eſt falſum) ſi eadem numero non poſſunt recipi in compoſito genito; vel dicendum erit eadem numero, quæ præceſſerunt in corrupto perſeverare in genito.

47 Iam ſecunda explicatio ſygillationis reijcitur eadem ferè ratione. Nam licèt reſiſtentia paſſi ſuſcepturi formam cadaveris determinet agens, vt producat accidentia alia ſimilia qualitatibus reſiſtentibus; (permiſſo quod hæ non poſsint recipi in toto de novo genito) at reſiſtentia illa non poteſt deſervire, vt producantur alia accidentia ſimilia, non reſiſtentibus;

bus; ſed accidentia communia, & alia, qualia ſunt cicatrix, & nævus, non reſiſtunt introductioni formæ cadaveris; namque non ſine riſu audiretur, qui diceret nævum, & cicatricem, nec non albedinem, & nigredinem viventis reſiſtere eius morti, & introductioni formæ cadaveris: ergo ſygillatio ſubiecti conſiſtens in reſiſtentia paſsi non poteſt eſſe in cauſa, vt agens extrinſecum ſimul cum forma cadaveris producat alia accidentia ſimilia illis. Ratio autem maioris eſt; quia ſi agens generans formam cadaveris repatitur in agendo, ideò eſt, quia qualitates reſiſtentes ex parte paſsi non vincuntur omnino ab agente (aliàs enim nihil ageret in illud) ſi autem non vincuntur omnino, permanent cum iure vlterius exiſtendi: quare ſi eędem numero non poſſunt exiſtere in genito, iam datur titulus, vt exigant permanere in alijs ſimilibus tanquam ſui ſubſtitutis: cæterum cum accidentia communia, & cicatrix, & nævus non reſiſtant, ſubiectum non præcedit vt modificatum per illa, neque per earum reſiſtentiam, ad introductionem novæ formæ; ideo vel penitus deficient ex defectu ſubiecti, vel eadem, quæ erant in vivente perſeverabunt in cadavere.

48 Tandem ſolutio, &, vtraque illius explicatio procedit ex doctrina quam ſupra probavimus falſam; ſupponit namque accidentia communia, quæ erant in toto corrupto, non poſſe manere in toto genito, quaſi totum genitum non eſſet, æquè proportionatum, ac corruptum ad illia recipienda; aut quaſi illa non poſſent variare ſubiecta inadæquatè diſtincta, etiam admiſſo, quod individuentur à ſubiecto.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

49 Sed videamus pondus argumentorum, propter quæ dicitur adverſarij corrigendos eſſe ſenſus in re ſatis difficili. Obijc. 1. Ariſt. qui hoc lib. 1. capit. 4. text. 23. ait: *Cum totum mutatur, nec ſenſibile quidquam vt ſubiectum idem permanet*; ſed *perinde evenit, vt cum ex toto ſemine ſanguis, aut ex tota aqua aer fit; iam quod eſt tale, generatio huius eſt, & illius corruptio.* Vnde ſic. Iuxta Philoſophum in corruptione vnius ſubſtantiæ, & generatione alterius, in genito nullum manet ſenſibile, quod foret in corrupto; ſed ly *ſenſibile* eſt accidens perceptibile per ſenſus qualia ſunt accidentia communia: ergo in genito nullum manet accidens commune, quod fuit in corrupto. Et confirmatur, quia alibi dicit: *Corruptis nobis corrumpuntur ea, quæ ſunt in nobis*: ergo corrumpuntur accidentia;

tia, & adveniunt alia diſtincta cũ ſubſtantia genita; dum corrumpimur.

50 Communis, & vera ſolutio eſt, ly *ſenſibile* non accipi à Phyloſopho in hoc textu pro accidenti perceptibili per ſenſus; ſed pro toto compoſito, quod ratione accidentium ſenſibilium fit ſenſibile, & perceptibile à nobis cognoſcentibus dependenter à ſenſibus. Ratio eſt, quia Ariſt. eo textu, & ibi Div. Thom. lect. 10. loquuntur de eo ſenſibili, quod eſt ſubiectum accidentium communium: ait enim: *nec ſenſibile quidquam, vt ſubiectum idem permanet*, & iuxta illam verſionem, *nullo manente ſenſibili, & ſubiecto eodem*: ſed vnum accidens commune non eſt ſubiectum aliorum; ſed ſolum compoſitum, quod omnium eſt ſubiectum denominationis, vt nos iudicavimus ſupra diſp. 1. vel ſubiectum immediatum receptionis, vt ſentiunt Thomiſtæ, & nos admittimus ad præſentem quæſt onem: ergo Ariſt. nõ accipit ly *ſenſibile* pro accidenti communi; ſed pro toto compoſito, quod redditur ſenſibile per accidentia.

51 Dices tamen per ly *ſenſibile* nõ intelligi totum cõpoſitũ ſubſtãntiale: quia, vt tale, nõ eſt ſenſibile à nobis, qui pro hoc ſtatu non poſſumus percipere ſubſtantias, niſi media perceptione accidentium; quæ ſubijciuntur cognitioni ſenſuũ. Benè quidem; ſed quia compoſitum ſubſtantiale redditur ſenſibile per accidentia ſenſibilia, ideò compoſitum verè, & abſolutè dicitur ſenſibile, ſicut quia per albedinem redditur album, verè, & abſolutè dicitur album: eſt ne impropria hæc locutio *nix eſt alba*; *homo eſt albus*? Atque ita loquuntur. Ariſt. & D. Thom. ille qui agens in eodem text. 23. de alteratione ſubiecti ait. *Alteratio quidem, eſt quando manente ſubiecto ſenſibili exiſtentia tranſmutatur in eius paſſionibus, aut contrarijs entibus, aut medijs*; id eſt in qualitatibus contrarijs, vt calor, & frigus; albedo, nigredo, aut in medijs, vt pallor, & rubor. Div. Thom. qui explicans hæc verba lect. illa 20. ait: tunc manere ſubiectum ſenſibile, quando nulla facta tranſmutatione in eius ſubſtantia, fit tranſmutatio in qualitatibus. Ecce apertè accipiunt Ariſt. & D. Thom. ſubiectum ſenſibile pro toto compoſito.

52 Ad confirmationem; ſenſus Phyloſophi eſt, quod corruptis nobis, corrumpuntur ea, quę ſunt in nobis, tanquam nobis propria, ſecus quę ſunt in nobis, tanquam accidentia communia. Nam quando corrumpitur ſubſtantia, pereunt paſſiones illius, & illud temperamentum, quod in determinata intenſione neceſſarium eſt ad conſervationem formę: ſiquidem illud determinatum temperamentum, & intenſio qualitatum propria eius

for

formæ, & compoſito diſolvitur ab agente extrinſeco per qualitates, quibus vltimo diſponit ſubiectum ad introducendam novam formam.

53 Obijc. 2. Deficiente ſubiecto deficit accidens in illo receptum; ſed accidentia vt nunc admittimus recipiuntur in toto compoſito: ergo deficiente toto compoſito, quod corrumpitur, deficiunt omnia accidentia in illo recepta, etiam accidentia communia: ſed non deficiunt omnia in ſpecie vt conſtat experientia: ergo deficiunt omnia in individuo. Maior probatur 1. quia accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum: ergo deficiente ſubiecto, deficit accidens in illo receptum, quia idem numero poſsit transire ad compoſitum genitum. 2. Quia accidentia individuantur à ſubiecto tanquam à principio individuationis: ergo cum adveniente novo compoſito detur iam novum ſubiectum, & principium individuationis, deficiet accidens individuum receptum in antiquo compoſito, & adveniet aliud individuatum à novo compoſito,

54 Diſtinguo maiorem: deficiente ſubiecto adæquato admitto: deficiente ſubiecto inadæquato ſubdiſtinguo: ſi nō ſuccedit aliud inadæquatum proportionatū ad recipiēdā ea accidētia cōcedo: ſi ſuccedit aliud proportionatum, nego maiorem, & conceſſam minori, nego conſequētiam: quia deficiente forma corrupti ſucedit forma geniti conſtituens cum eadem materia ſubiectum inadæquatè diſtinctum à præcedenti, quod eſt proportionatum, vt recipiat eadem accidentia numero, vt probatum eſt. Permiſi, & non conceſſi defectura omnia accidentia, ſi deficeret ſubiectum adæquatum, in quo recipiuntur: quia ſi accidere poſſet, quod in inſtanti, in quo deficeret, vel alio removeretur ſubiectum adæquatum, applicaretur accidenti aliud adæquatum eiuſdem proportionis, non video cur in eo caſu deberet deficere accidens commune, ſicut non deficeret natura ad deffectum huius numero ſubſiſtētię, ſi loco illius ſuccederet alia æque potens eam intrinſecè terminare,

55 Ad 1. probationem maioris dico, accidentia non trāſire de ſubiecto in ſubiectum, primo ſubiecto perſeverante: quia eo perſeverante nulla datur neceſsitas huius tranſitus: trāſire tamen de ſubiecto in ſubiectum deficiente primo, & ſuccedente in eodem inſtanti alio æquè proportionato, vt illa recipiat. Præterea dicet aliquis illud axioma: *accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum*, ſolum eſſe verum de tranſmigratione per motum localem, quia non mutant ſubiectum, ea ratione, qua movile per motum localem ſe

tranſ-

transfert de hoc loco in alium. Ad. 2. probationem maioris nego, antecedens in ſenſu adverſariorum, de cuius falſitate ſæpè locuti ſumus.

56 Omitto alia argumenta, quæ directè probant accidentia non recipi in materia prima; ſed in toto compoſiti, vt inde deducant accidentia recepta in compoſito corrupto non perſeverare in compoſito genito. Dedimus enim adverſarijs accidentia recipi in toto compoſito, & probavimus adhuc ſtare bene, quod accidentia communia, quæ fuerunt in corrupto, perſeverent in genito.

SECTIO III.

Vtrùm res ſemel corrupta poſſit naturaliter ſecundò produci?

57 HOc eſt an reproductio rei ſemel deſtructæ ſit naturaliter poſſibilis? Procedit quæſtio præcipuè de rebus permanentibus, quæ de ſe ſunt capaces durare per plura tempora, & poſtea non nihil dicemus de rebus ſucceſivis. In hac quæſtione primo ſupponendum eſt tanquam omninò certum, Deum miraculosè operando poſſe producere effectus permanentes iam præteritos, & deſtructos. Ait enim Aug. ſerm. 120. cap. 19. *Dei omnipotentiæ nihil difficile eſt: quia ſi potuit facere, quod non erat, multo magis potevit reparare quod erat.* Cum Auguſt. ſentiunt Div. Thom. & communiter Theologi, & Philoſophi.

58 Et ratio eſt. Quia certum eſt ſecundum fidem catholicam omnes homines, qui ab initio mundi fuerunt eoſdem numero à Deo ſuſcitandos in die Iudicij, iuxta illud Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei; & qui audierint vivent.* Reſurgent ergo omnes homines ijdem numero non ſolum quoad animas; ſed etiam quoad corpora, vt plane etiam conſtat ex illo Iob. cap. 9. *Et in carne me videbo Deum ſalvatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe. & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Si ergo Deus poteſt hominum corpora in cineres, & terram reſoluta, iterum reproducere, & vnumquodque idem omnino, quod fuit, propriæ animæ reunire; poteſt etiam quamcumque aliam rem permanentem ſecundo producere, ſi velit.

59 Supponendum eſt 2. de facto nihil antea deſtructum produci, & Deum, vt Authorem naturæ ſemper de facto producere novos effectus intra quancumque ſpeciem, & ad eos ſolos producendos parare ſuum concurſum cauſis ſecundis. Ita expreſſè D. Auguſt. D. Thom. & communiter reliqui contra nonnullos ex antiquis Phyloſophis, qui apud D. Auguſt. lib. 12. de Civit.

Civit. Dei capit. 13. & Sanct. Thom. 4. contra gentes capit. 81. aſſerebant poſt aliqua ſæcula nihil de novo producendum; ſed res iam deſtructas in quavis ſpecie iterum redituras. Quibus non favet illud Eccleſiaſt. 1. *Nihil ſub ſole novum : nec valet quiſquam dicere hoc recens eſt, iam enim praceſſit in ſæculis, qua fuerunt ante nos.* Nam hæc verba non ſunt intelligenda de repetitione eorundem effectuum in individuo, ſed in ſpecie, vt apud Div. Thom. loco citat. docent Auguſt. & Ariſtot. diſputantes contra illos Philoſophos.

60 Eſt tamen difficultas: an defectus iſte reproductionis, qui ſemper contingit, & continget, fundetur in ipſis naturis cauſarum naturalium, impotentium de ſe, vt reproducant effectus, quos ſemel produxerunt, & iam deſtructi ſunt; vel in ſola libera voluntate Dei pro ſuo mero libito decernentis non concurrere cum cauſis ſecundis ad reproductionem eiuſdem effectus individui? Communior ſententia pro qua aperte ſtat Div. Thom. vbi ſup. cap. 81. & quodlibet. 4. artic. 5. tenet reproductionem eſſe naturaliter impoſſibilem, & nullo modo contentam in virtute agentium naturalium, neque in virtute Dei, vt operantis iuxta eorum exigentias, & naturas. Sed licèt hæc ſententia adeo ſit communis, non eſt ita facile efficacem aliquam probationem adducere.

61 Probant aliqui 1. ex Ariſt. cap. de oppoſitis vbi dicit; *A privatione ad habitum non dari regreſſum*: ergo ſentit naturaliter non poſſe dari productionem effectus ſemel deſtructi. Sed id nihil valet, quia attento contextu, æquè poſſet probari effectum antea productum non poſſe reddire eundem ſecundum ſpeciem. Patet. Nam ibi Philoſophus aſsignat diſcrimen inter oppoſita contrariè, vt *calidum, & frigidum*, & oppoſita privativè, vt *cæcus, & videns, calvus, & comatus*, atque quod in prioribus datur regreſſus ab vno ad aliud, quia aqua ex calida fit frigida, & non datur in poſterioribus: *Nec enim*, inquit *cæcus viſum vnquam recuperabit, nec calvus comam, nec edentulus vllus dentes emiſit*: ergo id negat fieri in oppoſitis privativè quod concedit fieri in oppoſitis contrariè; ſed in his docet fieri regreſſum ab vna qualitate ad aliam non in individuo, ſed in ſpecie, vt tu libenter fateris: ergo in illis negat fieri regreſſum à privatione formæ deſtructæ ad eandem etiam ſecundum ſpeciem. Igitur intentum Philoſophi eſt, quod in contrarijs datur regreſſus ad eandem formam in ſpecie, & in privativè oppoſitis, nullo modo datur regreſſus ad eandem formam adhuc ſecundum

dum ſpeciem, vt patet ex his verbis: *Nec caluus comam, nec edentulus vllus dentes emiſit.*

62 Probant alij 2. Vnitas numerica effectus pendet ab vnitate numerica actionis; ſed eadem numero actio non poteſt naturaliter reddire alio tempore; quia actio agentis creati eſt motus menſuratus tempore, & idem numero tempus reddire naturaliter non poteſt: ergo idem numero effectus ſemel deſtructus, non poteſt naturaliter reddire. Ita Thomiſtæ. 3. alij probant fere eodem modo cum P. Vazq. quia effectus indiuiduatio determinatur ab extrinſecis circumſtantijs, inter quas ſunt locus, & tempus; ſed tempus idem reddire non poteſt: ergo neque idem indiuiduus effectus.

63 Neque hæc fundamenta probant. Non *primum*: quia falſa eſt maior: nam vt dictum eſt in phyſica idem numero effectus continetur in virtute plurium cauſarum, & poteſt ab illis ſuceſsiuè produci per diuerſas numero actiones: ergo licet non poſsit reddire eadem numero actio agentis primo producentis, ſi tamen ex alio capite non oſtenditur repugnantia, poterit ſecundo produci idem numero effectus per actionem alterius agentis creati in cuius virtute continetur. Præterea ſi actio agentis creati non indentificatur cum duratione ſui, adhuc non probatur non poſſe reddire in alia duratione eandem numero actionem; nam cur hæc actio, quæ modo menſuratur hoc tempore, non poterit menſurari alio tempore? Et vrgetur, quia niſi actio identificetur cum duratione ſui, eadem actio, non ſecus, ac effectus per illam productus, poſſet permamnere per plura inſtātia correſpondendo ad diuerſa tempora per quatuor durationes v. g. Cur ergo actio, quæ per primā durationem menſurata eſt cum hoc tempore A, & deficit in tempore B, non poterit menſurari tēpore D, per durationem, quam in eo tempore potuit habere, ſi manet vt ſæpè accidit, idem agens, cuius illa actio eſt exercitium?

46 Præterea falſo aſſumitur, effectum indiuiduari ab actione. Nam licet vt exiſtat hic numero effectus dependeat eſſentialiter ab aliqua actione indiuidua, non tamen dependet eſſentialiter ab hac indiuidua actione præ illa: ergo deficiente prima actione, & effectu ipſo, poterit iterum effectus reddire idē numero productus per aliā actionē indiuiduam. Inde ſolutum eſt fundamentū P. Vazq. nam extrinſecæ circūſtātiæ loci & temporis nō determinant indiuiduationem effectus; ſed poteſt idem numero produci ſub illis, vel illis circumſtantijs vt in phyſica dictum eſt. Deinde, quia vt bene P. Ovi. licet hoc tēpus determin. et cauſam vt pro-

Digitized by Google

producat hunc numero effectum præ alio, & non ſit indifferens ad plures effectus intra eandem ſpeciem, inde non probatur eundem effectum ex ſe non habere indifferentiam, vt producetur in hoc, vel in alio tempore; nam poteſt eſſe connexio huius temporis cum hoc numero effectu, quin hic numero effectus habeat connexionem cum hoc tempore; ſæpè enim reperitur inter duo connexio non mutua: ergo adhuc admiſſo illo principio, & vtraque præmiſſa argumenti, poteſt negari conſequentia, dicendo nimirum eundem numero effectum iam deſtructum determinari ab alio tempore poſtea adveniente.

65 Probant 4. PP. Conimbric. Quia cauſa poſtquam produxit effectum manet exauſta erga illum per priorem productionem, eiuſque virtus effœta: ergo ſi hic effectus pereat non poteſt iterum illum producere. In multis peccat hæc ratio. 1. Do virtutem huius cauſæ manere exauſtam, & non poſſe ſe iterum fœcundare illum producendo. Sed vnde probas, non poſſe eundem numero produci ſecundo ab alia cauſa eiuſdem ſpeciei, quando applicatur paſſo cum debitis conditionibus ad agendum? Quia virtus cauſæ non diſtinguitur ab ipſa cauſa, ideóque hac perſeverante, perſeverat illa; ſicut enim per actionem non perditur, ſed exercetur cauſa, ita non perditur, ſed exercetur eius virtus; at deficiente hoc effectu individuo, non manet exhauſta virtus cauſæ ad alios effectus eiuſdem ſpeciei, vt patet (alias ignis non contineret in ſua virtute pluſquam vnum individuum ignis) ergo neque manet exhauſta reſpectu huius effectus numero: cur ergo non producit illum, quando in alio tempore producit effectum?

66 3. Quia cauſa poteſt conſervare per integram horam eundem numero effectum: ergo ſi effectus periret in primo quadrante non maneret effœta, neque exhauſta eius virtus, vt illum reproduceret in vltimo eiuſdem horæ quadrante. Probo conſequentiam: namque conſervatio eſt continuata productio, & fere eadem virtus neceſſaria eſt ad conſervandum, quam ad producendum. Vnde minor, vel ſaltem non maior virtus cauſæ neceſſaria eſſet, vt effectum conſervaret per integram horam, quam, vt illum produceret, & conſervaret in primo quadrante; & poſtea quaſi recreatis viribus in duplici alio quadrante intermedio, eundem effectum in quarto quadrante reproduceret: ergo per illius productionem in primo quadrante non ita exhauritur virtus cauſæ, vt effectu deficiente, non poſſit eundem iterum in fine horæ reproducere.

67 Propter hæc Hurtado

tado in Phyſica diſp. 1. ſect. 3. Oviedo controv. 12. punct. 5. & ingenioſi RR. poſt Scotum in 4. diſt. 41. q. 1. & alios, quos ſequitur Pontius diſp. 40. q. 3. & à quibus non videtur diſſentire P. Suarez, licèt nihil reſolutoriè dicat diſp. 5. met. ſect. 9. num. 10. aſſerunt ex cauſis naturalibus, & virtute naturæ non poſſe probari impoſsibilitatem reproductionis eiuſdem rei permanẽtis; ſed quod nunquam reproducatur idem numero effectus vnicè revocandum eſt in liberam legem, & voluntatem Dei decernentis nunquam concurrere cum cauſis creatis ad iterandos eoſdem effectus; ſed ſemper ad novos. Addunt tamen præcipuè Hurtad. n. 39. & Oviedo n. 7. hanc legem, & voluntatem Dei eſſe valdè conſentaneam naturis rerum. Nam cũ cauſę creatę ordinatæ ſint in propagationem ſuę ſpeciei, & vt oſtendant divitias activitatis, & virtutis naturæ; & alias quævis cauſa continet in numero eff. ctus diviſivè producendos intra determinatam ſpeciem, vel ſaltem tot, quot nunquam producentur omnes, congruum fuit, & rerum naturę conſentaneum, quod Deus decreverit ſemper cum illis concurrere ad novos effectus.

68 Cæterum non eſt recedendum à communi ſententia, quæ ſic 1. probatur ex conceſsis ab adverſarijs. Nam per vos, lex illa Dei decernens ſemper parare naturæ ſuum concurſum ad novos effectus intra eandem ſpeciem eſt valde conſentanea naturæ cauſarum, quæ ab intrinſeco ordinatæ ſunt in propagationem ſuæ ſpeciei; ſed ita ordinatæ ſunt in hanc propagationem, vt eam naturaliter intendat, vt tandem fatetur P. Suarez vbi ſuprà, & credo eſſe iuxta communem ſenſum Philoſophorum: ergo lex illa Dei non ſolum eſt conſentanea naturæ cauſarum; ſed etiam debita eorum exigentiæ; ſi autem ita eſt, iuxta legem, quæ nihil aliud eſt, quam naturalis exigentia cauſarum. Deus debet ſemper cum illis concurrere ad novos effectus, & non poteſt parare ſuum concurſum, vt reproducatur, qui ante productus eſt, & iam perit; nam per huius productionem non propagaretur ſpecies cauſę, quia propagatio dicit multiplicationem individuorum ſimilium: ergo attenta natura, & exigentijs cauſarum non eſt naturaliter poſsibilis reproductio eiuſdem effectus.

69 2. Quia quævis entitas creata natura ſua permanens, dum ſemel exiſtit ita propendet, & exigit bonum exiſtentiæ, vt exigat exiſtere, quandiù hoc bonum ſit naturaliter poſsibile, & nulli naturæ exigentiæ contrarium; ſed ſi reproductio effectus nunc exiſtentis eſt naturaliter poſsibilis, bonum exiſtentiæ huius effectus ſuccedens eius deſtructioni eſt naturaliter poſsibile, & nulli exigentię naturę contrarium: er-

ſus effectus nunc exiſtens exigit bonum exiſtentiæ etiam vt ſuccedens ſuæ deſtructioni: ergo Deus ſe accōmodans rerum exigentijs, quando cauſa eiuſdem ſpeciei ſit cum iure ad agendum debet ei parare concurſum, vt producat hunc effectum, & non alium, qui nunquam productus eſt. Probo conſequentiam. Per te cauſa etiam vt in actu primo ad agendum reſpicit cum æquali indifferentia hunc, & omnes alios effectus ſimiles, qui nunquam extiterunt; ex alia datur exigentia ex parte huius, vt producatur denuò, fundata in priori exiſtentia, vt probatum eſt. Deinde ex parte aliorum effectuum, qui nunquam extiterunt, nulla datur exigentia, vt præferantur huic: quia exigentia fundatur in exiſtentia, & illi nunquam extitere: ergo Deus ſe accommodans rerum exigentijs deberet parare cauſæ concurſum, vt producat hunc, & non alium, qui nunquam productus eſt.

70 Inde autem fiet naturam nihil produce e de facto in vlla ſpecie, quæ ſemel habuit aliquod individuum, niſi quod iam ſemel productum, & corruptum eſt; ideoque eoſdem fructus numero produci hoc anno, qui producti ſunt anno præcedenti, eademque individua animalium, quæ antea perierunt. Nec valet ſi dicas individua viventium, & animalium non eſſe eadem, quia in illis experimur diverſa accidentia. Ad hoc enim facile dicetur accidentia illa ſenſibilia, quę cadunt ſub experientiam non agere numericam diſtinctionem formarum; quia videlicet illa vtpote quę non ſunt proprię paſsiones, non oriuntur à formis; ſed ex qualitatibus, & temperamento diſsimili ſeminum parentum, & eadem numero forma iam cum his, iam cum illis accidentibus communibus coniungi poteſt ratione diverſarum qualitatum, cum quibus accidentaliter etiam poteſt coniungi, & quę de ſe inducunt accidentia exteriora diſsimilia.

71 3. Probatur, pulchra ratione à P. Quiros diſp. 43. ſect. 2. Deus dum ad exigentiam naturæ ceſſat à conſervatione ignis individui A, debet vt author naturæ perſiſtere in eodem decreto de non conſervatione huius individui, quo vſque ex parte naturæ detur fortior exigentia, vt ceſſet ab ea non conſervatione; ſed ex parte naturæ nunquam poteſt dari fortior exigentia, vt ceſſet ab ea non conſervatione, fortior inquam exigentia, cui debeatur ea ceſſatio: ergo Deus vt author naturæ nunquam poteſt ceſſare à non conſervatione effectus deſtructi, ac proinde vt author naturæ, non poteſt redire ad eius productionem. Si autem Deus vt Author naturæ non poteſt redire ad productionem individui effectus corrupti: conſequens

quens eſt, quod illius reproductio non ſit naturaliter poſsibilis.

72 Diſcurſus videtur rectus, ſi præmiſſæ ſunt veræ, quę ſatis ad ſpeciem probantur ſic. Maior à pari. Quia poſtquam Deus ad exigentiam naturæ decrevit concurrere cum igne ad productionem ignis individui A, vt author naturæ perſiſtit in eius conſervatione, & ab ea non ceſſat quouſque ex parte naturæ, & cauſarum datur fortior exigentia, cui debetur productio effectus incompoſsibilis cum primo in eodem ſubiecto, ideoque, & non conſervatio prioris: ergo ſimiliter dum ad exigentiam naturæ ceſſat à conſervatione ignis individui A, debet vt author naturæ perſiſtere in ea non conſervatione, quouſque ex parte naturæ detur fortior exigentia, cui debeatur, quod ceſſet ab ea. Iam minor eiuſdem diſcurſus probatur facile. Nam cum ceſſatio à non conſervatione formæ afferat ſecum eſſentialiter exiſtentiam formæ, idem eſſet naturam petere Deum ceſſare à non conſervatione huius formæ individuæ, ac petere exiſtentiam huius individuæ formæ: hæc autem exigentia non poteſt dari in natura, quæ nequit determinare Deum ad individuationem effectus intra eandem ſpeciem, vt ſuppono ex dictis in Phyſica: ergo ex parte naturę nunquam poteſt dari fortior exigentia cui debeatur, quod Deus ceſſet à non conſervatione huius individuæ formæ.

73 Dices: Antequam Deus produceret hanc formam individuam, nihil dabatur ex parte naturæ exigens, quod per eius productionem tolleretur a rebus *non eſſe*, quod tunc dabatur huius formæ, & productionis illius; ſed tamen Deus, vt Author naturæ tunc produxit hanc formam, & ceſſavit ab eius non productione: ergo etiam ſi poſtquam eadem forma eſt corrupta nihil detur ex parte naturæ exigens, quod ceſſet ab eius non conſervatione, poterit ipſæ, vt author naturæ per novam eiuſdem formæ productionem ceſſare ab eius non conſervatione.

74 Negatur conſequentia conceſsis præmiſsis. Diſparitas eſt. Quia in primo caſu ita Deus non produxerat hanc formam individuam, vt nihil eſſet ex parte naturæ, cui deberetur *non eſſe*, & *non productio* illius: quia ſicut natura antequam producatur prima forma in aliqua ſpecie non poteſt terminare Deum, vt producat hanc, & non aliam; ita neque poteſt determinare, quod non producatur hæc, ſed alia: quapropter quando aliqua eſt producenda, quia natura exigit, produci aliquam, ad ſolum Deum vt authorem naturæ ſpectat determinare quænam præ alia producenda ſit; ideoque Deus dum parat concurſum ſuum

ad hanc formam individuam præ illa, ceſſat vt author naturę à non productione huius; at in ſecundo caſu quando hæc forma naturaliter corrũpitur iam Deus ad exigentiam naturæ ceſſavit à conſervatione huius individuæ formæ, & in ea non conſervatione debet perſiſtere, quouſque detur fortior exigentia in contrarium, ſicut dum illam produxit permanſit in eius conſervatione; quouſque ſupervenit exigentia pro non conſervatione fortior, & vicens exigentiam, quam forma hæc habebat, vt conſervaretur. Cum autem ex parte naturæ nunquam poſsit dari fortior exigentia, vt Deus ceſſet à non conſervatione, vt dictum eſt, ideo vt author naturæ non poteſt ita ceſſare, & ſecundo producere eandem formam.

75 Objic. 1. Quod effectus individuus A. extiterit, & ſit iam deſtructus non immutat virtutem cauſæ, nec reddit difficiliorem eius productionem: ergo quando eadem cauſa, vel alia eiuſdem ſpeciei ſit in actu primo proximo ad producendum aliquem effectum, æquè connaturaliter producet hunc, qui extitit antea, quam alium, qui nunquam extitit Antecedens probatur. Quia hunc effectum extitiſſe, & iam eſſe deſtructum eſt quid omnino extrinſecum reſpectu cauſæ, & virtus intrinſeca cauſæ non poteſt immutari per aliquid extrinſecum. Confirmatur. Cauſa æquè manet cum virtute intrinſeca, quam ſemel habuit ad hunc effectum, ac ſi hic productus non eſſet, vt dicebamus ſuprà. Deinde terminus tàm nihil erat ante primam ſui productionem, quàm eſt nunc poſt deſtructionem ſui: ergo nulla datur modo phyſica mutatio, neque in virtute activa intrinſeca cauſæ, neque in intrinſeca producibilitate paſsiva termini: ergo, quod attinet ad cauſam, & effectum, eadem cauſa eundem nunc effectum poteſt producere: *nam idem manens idem, natum eſt ſemper facere idem*; ac per conſequens, quod non producatur iam hic, ſed alius pendebit ſolum ex lege extrinſeca Dei decernentis non ſe præparare ad iteratam productionem eiuſdem effectus.

76 Ad argumentum cum confirmatione reſpondetur dupliciter: 1. Dicendo verum quidem eſſe deſtructionem termini antecedenter exiſtentis eſſe quid extrinſecum reſpectu cauſæ, & non immutare eius virtutem intrinſecam, quam ſemel habuit, ſed inde non infertur, quod eadem virtus poſsit ſe rurſus naturaliter exercere per eiuſdem effectus productionem: quia tota illa intrinſeca virtus nunc, & ſemper reſiſtit productioni illius pro hoc caſu antecedentis deſtructionis: quia intrin-

ſecè

ſeca ſua exigentia intendit operari ad propagandam ſpeciem per multiplicationem individuorum, & huic fini opponitur eiuſdem effectus reproductio. Itaque cauſa intrinſecè conſiderata exigit poſitivè à Deo parari ſibi concurſum ad aliquod individuum vagè reſpectum, vt propagetur ſpecies, & poſitivè reſiſtit parari ſibi concurſum ad individuum, per quod non conſequatur hunc finem. Cum autem ex ſuppoſitione, quod hic effectus iam extiterit non propagaretur ſpecies per iteratam productionem illius, per hanc ſuppoſitionem extrinſecam advenit caſus pro quo cauſa nunquam fuit potens, aut exegit illum producere, ſed potius pro quo ſemper petit producere alium, & non hunc.

77 Neque novum eſt, quod eadem intrinſeca virtus cauſæ ſit potens ad effectum pro his circunſtantijs, & non pro illis, licèt extrinſecis: nam extrinſecum eſt cauſæ, quod ſit, vel non ſit in actu proximo ad agendum, quia conſtituitur in hoc ſtatu proximitatis per applicationem localem ad paſſum, & per alia extrinſeca: & tamen intrinſecè eſt potens, vt ſe exerceat producendo terminum pro caſu applicationis, & intrinſecè impotens, vt illum producat pro caſu non applicationis. Similiter cauſa, quæ hic, & nunc ſe ſola producit totaliter effectum, eundem produceret partialiter ſi aſſociaretur cum alia cauſa eiuſdem activitatis imo intrinſecè eſt impotens, vt pro his circunſtantijs ſibi extrinſecis, opperetur per actionem totalem, quæ pro eiſdem eſt impoſſibilis; quia naturaliter etiam eſt impoſſibile in veriori ſententia, quod quælibet operetur per peculiarem actionem totalem. Vnde colliges quomodo intelligendum ſit illud proloquium: *idem manens idem*, &c.

78 Dices: cauſa pro his circunſtantijs reſiſtit productioni effectus iam deſtructi; & exigit parari ſibi à Deo concurſum ad novum individuum: ergo ipſa determinat individuationem effectus hic, & nunc producendi. Nego conſequentiam aliud enim eſt quod exigat parari ſibi concurſum ad aliquem effectum eorum, quos nunquam produxit, & non ad effectum iam productum, aliud vero, quod exigat parari ſibi concurſum ad hunc præ alio, inter eos omnes, quos nunquam produxit. Primum eſt verum; ſecundum, in quo ſtaret determinatio quoad individuationem eſt falſum.

79 2. Poteſt reſponderi, ex doctrina tertiæ probationis dicendo, virtutem agentis non immutari intrinſecè per extrinſecam deſtructionem effectus ante producti; ſed neque habere, aut vnquam habuiſſe virtutem intrinſecam ad eius reproductionem; quia non poteſt eius

tus prævalere contra decretum Dei de ceſſatione à conſervatione, quam poſſuit ad exigentiam naturæ, niſi ipſum determinet, vt paret concurſum ad hunc effectum individuum præ alio, quod ſanè facere non poteſt, quia non poteſt determinare individuationem effectus intra eandem ſpeciem.

80 Objic. 2. Nam apes, & muſcæ, vel aqua ſuffocatę, vel præ frigore hyemis emortuæ, calore veris reviviſcunt, vt tenet Cyrilus Hierofolimitanus Cathechef. 28. & pulli Pellicanorum occiſi à ſerpente revocantur ad vitam reperſi ſanguine parentum apud D. Hieronym. epiſt. 29. & alij animaculi calore ſolis, vel ſtercoris etiam dicuntur à Naturalibus reviviſcere; ſed ad hæc omnia reſpondetur, nunquam reviviſcere eadem numero; ſed eadem in ſpecie; poteſt enim natura iterum diſponere illam materiam, vt ſuſcipiat formam eorum animalium; ſed non poteſt eaſdem numero formas producere.

81 Objic. 3. Eadem numero carentia formæ ſemel deficiens poteſt naturaliter reddire; imò, & de facto reddit, nam ante primam huius formæ individuę productionē datur eius carentia, quæ per formæ productionem deſtruitur, & iterum advenit, quando forma corrumpitur: ergo ſimiliter idem numero effectus ſemel deficiens poteſt naturaliter reddire. Diſparitas eſt, quia carentia formę eſt defectus eius formalis, & immediatus, ei contradictoriè oppoſitus, & eiuſdem formæ non poſſunt eſſe plura contradictoria formalia, pluresque defectus immediati, & formales; quare quandò datur in natura exigentia, vt deficiat hæc forma, illa exigentia non poteſt obtinere aliam novam carentiam formalem. Quando verò datur in natura exigentia, vt producatur effectus in hac determinata ſpecie poteſt ei exigentiæ ſatisfieri per diſtinctum individuum, & ſic ſatisfaciendum eſt atenta naturæ exigentia. Pręterea paritatem nullam eſſe quia carentia ex parte obiecti, non eſt aliquid, ſed nihil impotens terminare, vel ceſſationem actionis, vel actionem productivam ſui, & nihil aliud eſt, quam formam iam non exiſtere, in quo de carentia nullum eſſe affirmatur, ſed de forma negatur, quod exiſtat.

82 Objic. tandem Ariſt. qui 8. met. text. 11. & lib. 12. tex. etiam 11. docet quod ſi fuerit idem numero agens applicatum ad eandem numero materiam, producet in illa eundem effectum; ſed reſpondetur, agens illud producturum in illa mateaia eundem effectum in ſpecie, non verò eundem numero, & aliud non colligi ex Ariſt. Hæc de reproductione rerum permanentium.

83 De reproductione ſucceſſivarum, in quo plures nimis diſ-

diſtrahuuntur, facilis eſt reſolutio, vt benè notat P. Oviedo, ſi diſtinguas res ipſas, quæ ſucceſivè fiũt, & ſucceſsionem ipſam conſtituẽtem effectum formalem ſucceſivi. Loquendo de rebus ipſis ſucceſivis, v.g. de motu locali hominis, vel cœlorum, conſiſtit in actione, vel actionibus productivis præſentiarum mobilis in locis diſtinctis. Et de his actionibus dicendum, quod ſemel deficientibus non poſſunt naturaliter ſecundo exiſtere; quia non poſſunt exiſtere ſine ſua præſentia, quam producunt in mobili, & illa præſentia, quæ natura ſua eſt permanens, & capax durare per multum tempus, non poteſt naturaliter reproduci, vt ſuprà dictum eſt.

84 Verum ſi actiones illæ non ſunt durationes ſui, & præſentiarum, quas producunt, poterunt ſupernaturaliter ſecundo exiſtere cum ſuis terminis. Ratio eſt: quia ſi non ſunt durationes ſui, & præſentiarum non ſunt eſſentialiter ſucceſsivæ; ſed qua cum ad ſua intrinſeca quævis earum poſſet per multum tempus manere cum ſuo termino, nullaque determinata eſt eſſentialiter, vt exiſtat potius in hoc tempore, quam in illo: ergo nihil prohibet, quod Deus operando ſuprà, & contra naturæ leges, reproducat in alio tempore per eaſdem numero actiones præſentias, quæ in alio tempore productæ ſunt, & iam perierunt cum ſuis productionibus. Quare loquendo in hoc ſenſu rectè dixerunt P. Suarez diſp. 5. cum alijs antiquioribus, res ſucceſivas poſſe de potentia Dei eaſdem numero reddire.

85 Si autem ſermo ſit de ſucceſsione ipſa motus, quæ tota conſiſtit in durationibus per quas alia pars motus durat in hoc tempore, & alia in tempore ſequenti, dicendum eſt cum communi noſtrorum, & Thomiſtarum, nec de potentia abſoluta poſſe reproduci ſucceſsionem temporalem motus. Ratio eſt: quia duratio per quam motus localis durat in hoc tempore, nec de potentia abſoluta poteſt exiſtere cras, nam per ſe ipſam eſſentialiter conſtituit hoc tempus intrinſecum motus diſtinctum à tempore ſequenti, & intrinſecè tam impotens eſt exiſtere tempore ſequenti, quam eſt impotens conſtituere tempus ſequens: ergo nulla potentia fieri poteſt, quod exiſtat tempore ſequenti: ſolum ergo poteſt exiſtere in hoc ſuo *nunc* ſi aliquando extitura eſt, & ſi in hoc ſuo *nunc* non exiſtit, non poteſt ſivè exiſtere in anteriori, ſivè exiſtere in ſequenti.

86 Quare ſi Deus vellet, vt poteſt, reproducere cras motum localem, qui extitit hodie, non poſſet eum reproducere cum duratione hodierna, ſed cum alia, quæ eſſentia ſua eſſet duratio craſtina impotẽs

exiſtere hodie. Dices 1. Præſentia, quam corpus habet compluti poteſt per ſuperadditam præſentiam præſentari Romæ: ergo duratio in qua acquirit hodie illam præſentiam poteſt per durationem ſuperadditam durare cras, ac per conſequens duratio hodierna motus poterit reproduci cras, dummodo non duret per ſe ipſam ſed per durationem ſuperadditam. Nego conſequentiam propter diſparitatem, quam inter durationem, & præſentiam dedi lib. 4. Phyſicè diſp. 1. num. 78.

87 Dices 2. Durationes conſtituentes ſucceſsionem motus localis ſucceſivi adhuc per potentiam Dei non poſſunt reproduci; ſed motus localis ſucceſivus eſſentialiter eſt ſucceſivus: ergo non ſolum ſucceſio motus, verumetiam motus ipſe non poteſt adhuc per potentiam Dei reproduci. Minor eſt falſa loquendo de motu locali ſucceſivo ſpecificativè ſumpto, vt inſinuavi loco citato, & ſupra probavi. Et confirmatur probatio in ſententia quam diſp. cit. protegimus ſect. 4. de poſsibilitate, vt idem corpus ſit ſimul etiam circumſcriptivè in multiplici loco. In ea enim ſententia fieri poteſt de potentia Dei quod corpus acquirat ſucceſivè alias, & alias præſentias, quibus fiat præſens toti huic gimnaſio, quin vllam ammittat per adventum aliarum. Ecce actiones omnes, quibus per motum localem acquireret corpus ſucceſsivè diſtinctas præſentias, coexiſterent omnes temporaliter, licet durationes ſucceſivæ, in quibus illæ præſentiæ acquiſitæ ſunt, neceſſario tráſirent aliæ poſt alias: ergo motus localis ſucceſivus ſpecificativè ſumptus non eſt eſſentialiter ſucceſivus.

SECTIO IV.

Vtrum animal ſit ab intrinſeco corruptibile?

88 Certum eſt non ſolum animalia irrationalia; ſed etiam hominem eſſe natura ſua mortalem. Primo, quia natura ſua expoſitus eſt multis cauſis extrinſecis ſubito inducentibus diſſolutionem vnionis. Secundo, quia natura ſua conſtat temperamento qualitatum, quod vi agentium naturalium, & reactione alimenti, quo indiget, & veſcitur poteſt diſſolvi. Dicitur autem mors introducta in pœnam peccati, non quia homo ſit immortalis natura ſua, ſed quia à Deo donatus erat in prima conditione gratuitu privilegio immortalitatis, eoque privilegio privatus eſt, quia peccavit. Eſt tamen in præſenti duplex quæſtio.

89 Prima: an homo (idem dicendum eſt de quovis alio animali) ſit ab intrinſeco corruptibilis, ſeu an contineat intra

intra ſe aliquod principium potens inducere eius mortem? Negant cum nobiliſsimis Medicis Valles, & Petro Garcia plures inter quos P. Hurtado diſp. 1. de Generatione ſect. 10. & P. Alphonſus diſput. 6. ſect. 7. Affirmant vero Oviedo controv. 3. punct. 6. Arriag. diſp. 2. Carleton diſp. 4. ſect. 3. Quiros diſp. 71. ſect. 3. & plures Medici, & favet D. Tom. ſect. 15. ab lib. 1. de Generat. cap. 5. text. 35. & 1. part. q. 97. art. 3. corp. & ſupponunt Thomiſtæ, quos viderim, licet ex profeſſo rem non diſputent.

90 Aſſero cum ſecunda ſententia hominem eſſe ad intrinſeco corruptibilem, & mortalem. Pro cuius probatione ſuppono ex Ariſt. de longitudine, & brevitate vitæ. cap. 5 hominem, & quodvis illud animal ita indigere ad ſui conſervationem temperamento omnium humorum, & qualitatum, vt eius vita præcipuè dicatur conſiſtere in calido, & humido, quia ſpecialiter dependet à calore, quem vocant *naturalem*, & ab humore, ſeu *humido radicali*. Dicitur autem *humidum radicale* materia, quam habet fœtus in prima formatione, quia in illa magis pollet humiditas, vt patet in pueris, & qua valde neceſſaria eſt ad formam membrorum, & fabricæ animalis, dicitur *radicalis*, quia eſt quaſi radix, & fundamentum huius fabricæ. Hæc autem humiditas non eſt aquea, & fluida, ſed pinguis, & craſſa ſimilis humiditati olei. Hoc poſito.

91 Sic probatur concluſio. Homo intrinſecè continet calorem nativum, & humidum radicale cum temperamento aliarum qualitatum, & humorum; ſed hoc ipſo eſt ab intrinſeco corruptibilis: ergo homo eſt ab intrinſeco corruptibilis. Maior conſtat ex num. præcedenti, & minor probatur. Calor nativus (niſi aliunde impediatur eo modo quem explicabimus) agit in humidum radicale, & in innatam frigiditatem, quouſque abſumat eorum intenſionem, qua indiget vivens, vt perſiſtat; ſed hoc ipſo homo morietur, & corrumpetur ab intrinſeco calore: ergo hoc ipſo, quod homo conſtat nativo calore, eſt ab intrinſeco corruptibilis.

92 Maior probatur. Calor nativus multo intenſior eſt humiditate, & frigiditate innatis, & alias eſt ſufficienter applicatus, vt in eas agat: ergo niſi aliunde impediatur aget in eas quouſque abſumat eam intenſionem earum, qua indiget vivens ad ſui conſervationem. Maior conſtat 1. Quia in pueris, in quibus temperamentum naturale parum eſt immutatum, magis viget calor, quam humiditas, & frigiditas, ideoque indigent frequentiori alimento, & pabulo. 2. Quia ad coquendos cibos, & celebrandam nutritionem.

nem magis neceſſarius eſt calor, quam aliæ qualitates, & hac de cauſa provida natura, vt huic neceſsitati ſuccurreret, debuit miniſtrare calorem cum exceſſu ad alias qualitates. 3. Quia per actionem caloris materia alimenti indureſcit, vt in nervos, & oſſa convertatur; nam ad hanc duritiem inducendam, non ſufficit ſiccitas, & calor alimentorum, quæ ſæpè valde ſunt humida, & parum calida, vt cernere eſt in alimentis plurium brutorum. 4. Quia niſi per attractionem aëris temperati, quæ media reſpiratione fit, refrigeraretur calor cordis, eo ſuffocaretur animal; ideoque natura providens animalis conſervationi dedit cordi duas alas, ſeu flabella, quæ ei perpetuo ſubminiſtrent aërem, quo calor temperatur.

93 Cæterum calor iſte nativus poteſt inducere mortem animalis vero nunquam dicendum eſt, directè interimere animal, ſed indirectè, & per accidens, directè enim, & per ſe intendit, vt ſua actione nutritioni deſerviat, media alimenti coctione: per accidens vero poteſt mortem inducere, quia niſi occupetur in coquendis cibis, eiſque alatur, convertit ſuam actionem in humiditatem radicalem, eamque immutat vſque ad necem animalis. Hinc colligitur neceſſitas alimentorum ad vitam, nam ſi alimenta deficerent, quæ, & conſervent, & recuperent humiditatem deperditam per actionem caloris, & vlterius in ſui coctionem calorem occupent, humiditas neceſſaria ad vitam deficiet, & exinde deficiet, & vivens.

94 Sed objicies impoſsibile eſt calorem nativum agere in humidum radicale. 1. Quia inde fieret vnam partem hominis in aliam agere, cum tamen omnes ordinentur, vt ſimul conſervent hominem, & quod inde conſequens eſt vna pars hominis mediatè ageret in ſe: quia deficiente humiditate deficit vivens, & hoc deficiente deficit calor nativus. 2. Quia calor nativus non continet gradus, quibus diſſolvere deberet temperamentum viventis. 3. Quia mors non eſſet violenta, ſed naturalis, cum proveniat ab intrinſeco calore. Nego aſſumptum argumenti. Ad primam probationem, fateor, vnam partem hominis agere in aliam, quando illam ſupperat activitate; ſic caro in ſanguinem agit, quem in ſuam ſubſtantiam convertit; ſic oſſa in carnes propinquas, & in medullam; fateor vlterius, vnam partem agere in ſe mediatè per accidens, quatenus immutat aliam non potentem ipſi reſiſtere, quæ impotentia ipſi accidentalis eſt, neque à propria exigentia petita: dum autem

tem altera ſic immutatur ipſa per accidens perit. Sic iuxta omnes calor nativus vehementer intenſus interimit hominem, & ſe ipſum per accidens, quia ſine homine permanere non poteſt.

95 Ad ſecundam probationem, calor nativus, quia intenſior humiditatè iuxta dicta in probatione continet gradus aliquos caloris expellentes aliquos humiditatis neceſſarios ad conſervationem viventis. Ad tertiam, mors illa abſolutè violenta eſt, quia contra intentionem naturæ, quæ per ſe illo calore ſolum intendebat iuvare ad nutritionem viventium; poteſt tamen dici naturalis, non quia calor exigat mortem; ſed quia mors provenit à cauſa naturaliter intrinſeca, & ad vitam neceſſaria. Dici poteſt inquam naturalis ad diſtinctionem mortis, quæ ab extrinſeca cauſa vulneris, aut nimio alimento ſuffocante nativum calorem procedit.

96 Secunda quæſtio eſt: an homo neceſſario debeat mori eo ipſo, quod nutriatur? Cui difficultati reſpondeo negatìvè cum eodem Arriaga ſuprá cit. & RR. Nam licet plura alimenta contineant qualitates oppoſitas temperamento viventis; aliç tamen qualitates habent conſonas, & proficuas, ergo damnum, quod ab alijs alimentis infertur poteſt ab alijs reſarciri. Non ergo neceſſario moritur homo: quia nutritur. Quod confirmatur: tum quia ſi medicamenta poſſunt temperamentum per infirmitatem immutatum ad debitam temperiem reducere: poterit etiam aliud alimentum damnum ad alio illatum reſarcire, ſicque miſceri poterunt ſalubria nocivis, vt nunquam nociva inferant mortem. Tum quia iuxta probabilem oppinionem poſsibile eſt alimentum, quo ſi veſceretur homo vivere t in æternum. Cæterum de facto ex neceſsitate nutritionis provenit mors, quia ex vna parte omnia alimenta pravas continent qualitates, & ex alia Inter alimenta ſalubria, & nociva, non ita poſsibilis eſt ea electio, vt non incidamus, in illa, quorum qualitates debitum temperamentum tandem aliquando diſſolvant.

DISPVTATIO IV.

De Carentijs rerum.

QVæſtio valde celebris inter RR. noſtros, dignaque prudenti examine, quidquid reclament aliqui, qui eam, vt de plerisque ſolent, inter quæſtiones de voce recenſent.

(§)

SEC-

SECTIO I.

Explicatis terminis referuntur ſententiæ.

1 Carentia rei poſitivæ ipſi immediatè, & eſſentialiter oppoſita, alia eſt formalis, alia illativa, ſeu virtualis, alia intentionalis. Carentia formalis eſt ipſum non eſſe rei, ſeu ipſum rem non eſſe, quidquid hoc ſit ex parte obiecti, de quo poſtea. Carentia illativa eſt quodvis eſſentialiter incompoſſibile cum exiſtentia rei, ſivè illud incompoſſibile ſit poſitivum, v. gr. decretum divinum de non exiſtentia rei, ſivè negativum, v. gr. pura omiſſio, ſi Deo eſt poſſibilis, qua ommitat decretum circa exiſtentiam rei impotentis exiſtere abſque decreto divino ipſam decernente, vel permittente. Hæc enim carentia illativa rei dicuntur: quia ex quolibet illorum pro antecedenti poſito, legitimè, & neceſſario infertur rem non exiſtere: quia videlicet quodlibet eſſentialiter eſt incompoſſibile cum rei exiſtentia. Carentia intentionalis eſt actus intellectus negans rem exiſtere.

2 Carentia formalis alia eſt privatio, alia negatio, prima non eſſe formæ in ſubiecto capaci eam habendi. Secunda non eſſe formæ in ſubiecto ad formam inepto, ſivè abſolutè, ſivè pro eo tempore, quo caret forma. Eſt tamen quæſtio parvi momenti. An carentia formæ in ſubiecto, pro vno tempore apto, & pro alio inepto, qualis eſt carentia viſus in catulo, pro primis diebus ſit dicenda negatio? In qua quæſtione dico. Si requiratur abſoluta ineptitudo ſubiecti ad formam, qua caret, carentia viſus in catulo pro primis diebus non erit negatio: quia abſolutè, & ſimpliciter poteſt habere viſum. Si verò velis ſufficere, vt ſubiectum dicatur negatum forma pro aliquo tempore, pro eo habere proximam ineptitudinem ad formam, carentia viſus in catulo pro primis diebus, erit negatio. Loquere, vt volueris. Omnibus tamen certum eſt, carentiam formæ in ſubiecto abſolutè, & pro omni tempore ad eam inepto eſſe negationem, quod ſufficit, vt privatio ſuo modo à negatione diſtinguatur. Quod ad præſens attinet æqua eſt difficultas de carentia, quæ ſit privatio, & quæ negatio ſit. Ideo indiſcriminatim his vtemur terminis: carentia formæ, privatio formæ, & formæ negatio.

3 Rurſus carentia alia dicitur neceſſaria, alia impoſſibilis, alia contingens. Carentia neceſſaria eſt carentia rei impotentis exiſtere, ideoque neceſſario deficientis talis eſt carentia chymeræ. Carentia impoſſibilis eſt carentia rei impotentis deficere,

re, ideoque neceſſario exiſtentis: talis eſt carentia Dei: Carentia contingens eſt carentia rei potentis exiſtere, & potentis deficere: talis eſt carentia Petri potentis exiſtere cras, & non exiſtentis hodie. De omnibus his carentijs inquirimus, in quonam formaliter conſiſtant; ſeu cum quonam ex parte obiecti, & præſcindendo à noſtris actibus identificentur?

4. In hac quæſtione variæ ſunt AA. ſententię: prima docet, quamlibet carentiam ſivè contingentem, ſivè neceſſariam, identificari cum aliquo prædicato poſitivo defacto exiſtente, eſſentialiter oppoſito cum re non exiſtente, proindeque cum re, cuius carentia modo dari dicitur: ita tamen, vt quævis carentia neceſſaria identificetur cum prædicatis neceſſarijs Dei neceſſario oppoſitis cum quavis chymæra neceſſario deficiente: at carentia contingens Anti-Chriſti, v.g. identificetur cum quovis poſitivo, ſivè creato, ſivè increato, defacto exiſtente, & eſſentialiter oppoſito, cum exiſtentia hodierna Anti-Chriſti. Vnde iuxta hanc ſententiam carentia neceſſaria chymæræ identificatur cum prædicatis neceſſarijs Dei: carentia hodierna Anti-Chriſti, quæ contingens dicitur, quia Anti-Chriſtus potuit exiſtere hodie, identificatur cum decreto libero Dei de eo, quod Anti Chriſtus non exiſtat hodie, cum ſcientia viſionis huius decreti, & eius obiecti; item cum divina revelatione, & actu fidei eſſentialiter vero, quo credo Anti-Chriſtum non exiſtere hodie: quia hæc omnia eſſentialiter opponuntur cum exiſtentia hodierna Anti-Chriſti, & id eſt iuxta hanc ſententiam carentia durationis hodiernæ Anti Chriſti, quod cum duratione hodierna eius eſſentialiter opponitur.

5 Vnde 1. cum carentia rei opponatur contradictoriè cum re, tot ſunt in hac ſententia contradictoria rei contingentis, quot ſunt eius carentiæ. Cumque decretum liberum Dei, ſcientia viſionis, revelatio divina, actus fidei ſupernaturalis, aut quivis alius naturalis eſſentialiter verus, de non exiſtentia hodierna Anti-Chriſti ſint carētia eius durationis hodiernę: hæc omnia ſunt contradictoria, Anti Chriſti, vt exiſtentis hodie: quo fit nullius rei contingentis vnicum eſſe contradictorium; ſed plura, & quidem contradictoria formalia, & rigoroſa. Stant pro hac ſententia plures ex noſtris RR. ſequuti Patrem Antonium Perez, eandemque ſententiam in manuſcriptis illuſtrat P. D. Gaſp. de Rivaden. Magiſter meus.

6 Secunda ſententia ait carentiam, præcipuè rei contingentis, ab omni poſitivo diſtingui; exiſtere tamen verè à parte rei, per modum remotionis eſſe,

eſſe, cuius eſt carentia. Itaque iuxta hanc ſententiam carentia eſt quid reale negativum enti poſsitivo oppoſitum, incipiens eſſe dum res deſtruitur, & inci- piens non eſſe dum res antea non producta, primo eſt; habet- que, proinde carentia, vt ab omni poſsitivo diſtincta ſuam eſ- ſentiam, & prædicata obiectiva per iudicium affirmativum iudi- cabilia. Citant RR. pro hac ſententia PP. Suarez, Hurtado de Mendoza, Arriaga, Oviedo, & alios. Cæterum, vt optimè in- genioſi alij RR. notarunt præfa- ti AA. nullum eſſe obiectivum attribuunt carentijs rerum, vt ex ipſorum verbis exactè pondera- tis, meo iudicio, clarè probant. Quapropter P. Suarez, & alij in re ſtant pro quarta ſententia mox referenda, licet aliquando verbis vtantur, quæ aliquod eſ- ſe negativum ex parte obiec- ti tribuere videantur caren- tijs.

7 Tertia ſententia ait carentiam formalem rei ſtare in aggregato ex entitate nega- ta, & actu intellectus illi ne- gante exiſtentiam. Ita aliqui RR. Quarta, & vltima ſenten- tia docet, carentiam, ſivè ne- ceſſariam, ſivè contingentem, nihil omnino eſſe, ex parte obie- iecti; proindeque nullum eſſe obiectivum habere poſitivum, aut negativum, per iudicium affirmativum monſtrabile, aut iudicabile. Ita cum alijs, quos pro ſe adducit P. Sebaſtianus Izquierdo in Pharo. Diſput. 9. quæſtione 3. per totam. Sequun- tur ipſum plures, & ingenioſi RR. ex noſtris.

SECTIO II.

Carentia rei contingentis diſ- tinguitur ab omni poſitivo exiſtente.

8 PRobatur 1. Carentia con- tingens non identifica- tur cum aliquo poſsiti- vo creato: non cum aliquo po- ſitivo increato: ergo diſtingui- tur ab omni poſitivo. Antece- dens probatur quoad primam partem. Deficiente omni poſiti- vo creato, vt per eternitatem à parte ante deficit, verè Petrus non exiſteret: ſed tunc nullum eſſet poſsitivum creatum, cum quo non eſſe Petri, eiuſque ca- rentia identificaretur: ergo ca- rentia contingens Petri non identificatur cum aliquo poſ- ſitivo creato. Hoc eſt certum. Iam quoad ſecundam partem probatur idem antecedens. Ca- rentia contingens, qua Petrus deficit in inſtanti B, cum antea exiterit in inſtanti A, non iden- tificatur cum decreto divino poſsitivo de eo, quod Petrus non exiſtat in inſtanti B: ergo cum nullo poſsitivo increato iden- tificatur. Conſequentia certa eſt etiam adverſarijs; ſi enim cum decreto non identifica- tur,

tur, neque identificabitur cum ſcientia: quia de vtroque eſt eadem ratio. Antecedens probatur: carentia contingens, qua Petrus deficit in B, ita incipit in B, vt non extiterit in A, in quo exiſtebat Petrus; ſed decretum divinum de eo, quod Petrus non exiſtat in B, ita exiſtit in B, vt extiterit in A, & ſemper: quippè omne decretum, & prædicatum divinum, propter ſuam æternitatem, aut nunquam, aut ſemper exiſtit: ergo carentia contingens, qua Petrus deficit in inſtanti B, cum antea extiterit in inſtanti A, non identificatur cum decreto divino poſitivo, de eo, quod Petrus non exiſtat in B.

9. Dices 1. carentiam contingentem Petri non incipere in B, in quo Petrus primo deficit; ſed ſemper exiſtere, exiſtereque in inſtanti A, in quo Petrus exiſtit: tamen eam carentiam non excludere Petrum à rebus in A, quia decretum illud exiſtens in omni inſtanti, non eſt defectus Petri pro omni inſtanti; ſed pro inſtanti B; Ideoque Petrum primo deficere in B, pro quo decretum illum includit. Sed contra. Vel decretum illud, ſeipſo, & abſolutè excludit Petrum ab inſtanti B, vel ſub aliqua conditione adveniente poſt inſtans A? Si primum: ergo ſemper ac exiſtat decretum deficiet Petrus, deficietque in A, in quo ſupponimus exiſtere Petrum. Si ſecundum arguó ſic. Deſtruat Deus, vt poteſt immediatè poſt A, omne poſitivum creatum ceſſando ab eius productione, & conſervatione, vt ceſſavit per æternitatem; ſed tunc nulla conditio poteſt advenire poſt inſtans A, ſub qua decretum excludat Petrum: ergo abſolutè decretum non poteſt formaliter excludere Petrum. Min. probatur: nam non poteſt advenire aliquid, quod ſit poſitivum, proindeque neque conditio, quæ ſit aliquid poſitivum, cum ſupponamus poſt A, omne poſitivum deficere: non quæ ſit aliquid negativum: quia in ſententia, quam impugnamus, nihil negativum datur diſtinctum à poſitivo.

10. Dices 2. Hoc decretum ſe ſolo, & formaliter eſſe defectum formalem Petri non pro omni inſtanti; ſed pro inſtanti B, ſeu poſt inſtans A, ſicut in probabili ſententia creatio activa Angeli ſtat formaliter in volitione divina, quin Angelus ab æterno, ſed in tempore creetur: quia videlicet volitio divina eſt creatio Angeli pro inſtanti A, non pro omni inſtanti, licèt ipſa, in omni inſtanti exiſtat; ſed contra, admiſſa doctrina, quam ſupponit ſolutio, ita volitio eſt creatio Angeli pro inſtanti A, vt in ipſo inſtanti debeat exiſtere aliquid diſtinctum, vel identificatum cum inſtanti, ſub quo, vt conditione, volitio ſit creatio An-

Angeli pro eo inſtanti: ſed in noſtro caſu, poſt inſtans A nulla poteſt eſſe conditio, ſub qua decretum divinum, ſit excluſio Petri: ergo ſolutio nulla eſt. Min. probatur: quia, vt ſupponimus, poſt A nihil poſsitivum datur, nec dari poteſt iuxta te aliquod negativum à poſsitivo diſtinctum: ergo decretum divinum de non exiſtentia Petri poſt A, non poteſt eſſe deffectus formalis Petri.

11 Confirmatur. Defectus Petri exiſtentis in A, deficientis in B, incipit in inſtanti B: ſed decretum divinum de eo, quod Petrus non exiſtat in B, non poteſt incipere In B, ſed ſemper exiſtit: ergo defectus Petri in B, non identificatur cum decreto divino. Dices: Decretum divinum ſemper exiſtens incipere in B, in ratione excludentis abſolute Petrum: quia abſolutè non excludit Petrum, niſi vt coniunctum cum B. Sed contra, ceſſet Deus immediate poſt A à conſervatione omnis poſsitivi etiam temporis, quod iuxta veriorem ſententiam, in motibus poſsitivis conſiſtit, & arguo ſic. Decretum primo poſſet incipere poſt A, in ratione excludendi Petrum, quatenus decretum poſt A coniungeretur cum inſtanti B & poſt A, inciperet in ratione ſic ſe coniungendi; ſed decretum divinum non poteſt incipere in ratione ſe coniungendi cum B: ſiquidem, vt ſuppono, inſtans B nunquam eſt exiturum: ergo.

12 Sed dices 1. Cur ipſum decretum non conſervandi vllum ens poſsitivum poſt inſtans A, non erit defectus formalis Petri poſt A? Reſpondeo præter rationes ſuprà datas ideo eſſe, quia non conſervatio omnis entis poſsitivi poſt A poteſt pervenire à pura omiſsione libera Dei, qua omittat omne decretum circa res poſsitivas conſervandas, aut producendas. In quo caſu poſt A, Petrus deficeret, illeque defectus in nullo decreto ſtaret. Dices 2. Cur ſaltem non ſtabit, carentia, & defectus formalis Petri poſt A in ſcientia viſionis, qua Deus poſt liberam omiſsionem omnium decretorum cognoſceret poſt A, nihil exiſtere contingens poſitivum creatum, aut increatum præter ipſam ſcientiam? Reſpondeo, ideo eſſe: quia ea ſcientia viſionis, defectus Petri poſt inſtans A ſupponit ipſum defectum in quocumque ille conſiſtat; non enim deficit formaliter Petrus poſt A, quia Deus ſcit ipſum deficere; ſed potius Deus ſcit Petrum poſt A, deficere, quia ipſe poſt A formaliter deficit.

13 Probatur 2. concluſio ſupra poſita. Si carentia rei contingentis identificaretur cum re poſsitiva eſſentialiter oppoſita cum re contingente, plura eſſent contradictoria eiuſdem rei contingentis: ſed hoc eſt

imi-

impoſsibile: ergo: Maior eſt ſententia adverſariorum; minor probatur. Si Petri v. g. plura eſſent contradictoria, decretum de exiſtentia Petri eſſet exiſtentia formalis Petri, quod apud adverſarios, & apud omnes eſt evidenter falſum: ergo impoſsibile eſt eiuſdem rei contingentis eſſe plura contradictoria. Antecedens probetur. Signum decreti de exiſtentia Petri nihil includit, præter ipſum decretum: ſed illud ſignum eſt exiſtentiæ formalis Petri: ergo decretum illud eſt exiſtētia formalis Petri. Maior eſt certa: probatur minor. Signum illud eſt ſignum excluſionis formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri; ſed ſignum excluſionis formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri, eſt ſignum exiſtentiæ Petri: ergo ſignum illud eſt ſignum exiſtentiæ formalis Petri. Maior eſt evidens: etenim cum decretum illud eſſentialiter connectatur cum exiſtentia; eſſentialiter opponitur cum quovis connexo cum Petri non exiſtentia, proindeque, iuxta adverſariorum principia, decretum illud eſt excluſio, & defectus formalis omnis poſitivi, quod eſſet contradictorium Petri; ſiquidem iuxta ipſos, quidquid eſſentialiter opponitur cum alio eſt eius carentia.

14 Minor autem probatur. Excluſio formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri eſt exiſtentia formalis Petri: ergo ſignum excluſionis formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri, eſt ſignum exiſtentiæ formalis Petri. Antecedens probatur 1. Excluſio formalis rei, per vos, & per omnes, eſt carentia formalis rei: ergo excluſio formalis contradictorij rei eſt rei exiſtentia formalis. 2. Quia apud adverſarios identificantes eſſentiam cum exiſtentia, hoc argumentum tenet. Eſſentia ſe ipſa, vt diſtincta à quovis alio, eſt excluſio formalis ſuæ carentiæ à rebus: ergo eſſentia eſt exiſtentia formalis ſui: ergo hæc propoſitio apud ipſos vera eſt: excluſio formalis carentiæ, & contradictorij Petri, eſt exiſtentia formalis Petri: patet; nam alias argumentum ipſorum contra Thomiſtas nullum eſſet: ergo & hæc eſt vera propoſitio: excluſio formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri, eſt exiſtentia formalis Petri; ſed decretum de exiſtentia Petri eſt excluſio formalis per vos omnis contradictorij exiſtentiæ Petri: ergo decretum illud eſt exiſtentiæ formalis Petri quod intendimus inferre. 3. Quia cum res non aliter deficiat niſi per aliquem defectum formalem, & contradictorium ipſius; neque contradictorium rei aliter deficiet formaliter, quam per ipſam rem; imperceptibile enim eſt excluſionem formalem omnis contradictorij exiſtentiæ non eſſe exiſtentiam; item ſignum excluſionis om-

nis contradictorij, non eſſe ſignum exiſtentiæ rei.

15. Reſpondent 1. excluſionem formalem omnis contradictorij exiſtentiæ Petri identificatam cum decreto de exiſtentia Petri non eſſe exiſtentiam formalem: quia ea excluſio omnis contradictorij, eiuſque defectus, non eſt omnis defectus, & omnis excluſio omnis contradictorij; ſed aliquis: quippè ea excluſio identificata cum decreto, neque eſt ſcientia viſionis Dei de exiſtentia Petri; neque actus creatus eſſentialiter verus de eadem exiſtentia; neque eſt ipſum eſſe intrinſecum Petri, quæ omnia, & ſingula propter eſſentialem connexionem cum exiſtentia ſunt deffectus formalis omnis contradictorij exiſtentiæ, quia cum nullo coexiſtere poſſunt.

16. Sed contra: ergo exiſtentia intrinſeca, & identificata cum Petro, non eſt exiſtentia formalis Petri. Probatur conſequentia: ideò decretum divinum de exiſtentia Petri non eſt exiſtentia formalis Petri; quia licet ſit formalis excluſio omnis contradictorij exiſtentiæ Petri, non tamen eſt omnis excluſio formalis, ſed aliqua; ſed exiſtentia intrinſeca, & identificata cum Petro, non eſt omnis excluſio formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri; ſed aliqua: ergo exiſtentia intrinſeca, & identificata cum Petro, non eſt exiſtentia formalis Petri. Maior eſt ſolutio adverſariorum. Minor probatur. Exiſtentia intrinſeca, & identificata cum Petro non eſt formaliter decretum divinum, aut ſcientia viſionis, aut actus creatus eſſentialiter verus de exiſtentia Petri: vt eſt evidens; ſed quodlibet, horum iuxta adverſarios, eſt excluſio formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri: ergo exiſtentia intrinſeca, & identificata cum Petro non eſt omnis excluſio formalis omnis contradictorij exiſtentiæ Petri; ſed aliqua.

17. Dices exiſtentiam identificatam cum Petro, eſſe eius exiſtentiam formalem; quia licèt non ſit omnis formalis excluſio omnis contradictorij, ſicut non eſt decretum de exiſtentia; tamen immediate opponitur ſuæ carentiæ, ſuoque contradictorio. Sed contra 1. quia iuxta adverſarios, vt videre eſt in ipſorum ſcriptis, quodvis poſitivum eſſentialiter oppoſitum cum alio, eſt contradictorium immediatum, & formale ipſius. Contra 2. Ergo nolitio de exiſtentia Petri non eſt carentia formalis Petri. Probatur conſequentia. Ideo ſola exiſtentia identificata cum Petro, eſt eius exiſtentia formalis: quia ea ſolum, per ſe, immediatè opponitur ſuæ ca-

carentiæ; ſed nolitio de exiſtentia Petri non opponitur immediatè exiſtentiæ Petri: ergo nolitio de exiſtentia Petri non eſt carentia formalis Petri. Conſequentia eſt certa, quia ſicut id ſolum eſt exiſtentia formalis Petri, quod immediatè opponitur carentiæ Petri; ita id ſolùm eſt carentia formalis Petri, quod immediatè opponitur eius exiſtentiæ. Minor probatur: quia nolitio de exiſtentia Petri immediatius opponitur ſuæ carentiæ; quam cuilibet alteri rei poſitivæ, vt iuxta infra dicenda, clarius conſtabit.

18 Reſpondent 2. excluſionem omnis contradictorij identificatam cum volitione divina de exiſtentia Petri, non eſſe exiſtentiam formalem Petri: quia hæc aliquid creatum debet eſſe, vtpote in tempore producta, & in tempore deficiens, quod decreto divino convenire non poteſt. Sed contra. Ergo ſaltem erit exiſtentia formalis Petri actus creatus fidei eſſentialiter verus de exiſtentia Petri. Probatur conſequentia. Ille actus fidei iuxta te, eſt contradictorium, & excluſivum formale omnis contradictorij exiſtentiæ Petri, aliàs eſt quid creatum, in tempore incipiens, & in tempore deficiens: ergo habet ille actus fidei quidquid requiritur, vt ſit exiſtentia formalis Petri.

19 Dices: non habere; quia vltra aſsignata, neceſſarium eſt, vt aliquid ſit exiſtentia formalis Petri, quod ſit tale creatum formaliter oppoſitum omni contradictorio exiſtentiæ Petri, & ea talitas oppoſitionis formalis ſolum reperitur in exiſtentia, identificata cum Petro. Sed contra 1. exiſtentiam identificatam cum Petro eſſe talem defectum, ſolùm poteſt dicere, quod ea immediate opponatur ſuæ carentiæ, & ſi hoc ſolùm dicit, reddit argumentum ſupra factum num. 17. Contra 2. quia ſi eſſe talem defectum, qui ſit exiſtentia formalis Petri, aliud dicit præter immediatè opponi ſuæ carentiæ, hoc profectò inexplicatum manet iuxta oppoſitam ſententiam; cum tamen facilimè explicetur quid ſit exiſtentia formalis rei, item quid eius formalis carentia, ſi neque carentia cum decreto identificatur: neque eiuſdem rei plures carentiæ, pluraque contradictoria admittantur.

20 Iam probatur 2. eadem minor, ex num. 13. videlicèt, impoſsibile eſſe eiuſdem rei contingentis plura eſſe contradictoria. Nam de conceptu formali contradictorij rei eſt, quod ipſius exiſtere, ſit formale deficere rei, & ipſius deficere, ſit formale exiſtere

rei. Sed hoc falſum eſſet ſi eiuſdem rei contingentis plura eſſent contradictoria: ergo impoſsibile eſt eiuſdem rei contingentis plura eſſe contradictoria. Maior eſt certa ex communi conſenſu aſſerente, exiſtentiam formalem vnius contradictorij eſſe defectum alterius, & defectum formalem vnius exiſtentiam formalem alterius. Minor probatur facile: quia ſi, vt aiunt adverſarij exiſtentiæ Petri contradictoriè opponuntur nolitio divina de eius exiſtentia, & quodvis aliud, cum ipſa exiſtentia eſſentialiter oppoſitum, deficere formale contradictorii exiſtentiæ Petri, non eſt formale exiſtere Petri: patet, nam deficere formale nolitionis divinæ de exiſtentia Petri, non eſt exiſtere formale Petri, ſiquidem deficere formale eius nolitionis ad ſummum eſt, exiſtere formale volitionis oppoſitæ, quæ volitio, vt conſtat non eſt exiſtere formale Petri: ergo ſi eiuſdem rei contingentis plura ſunt contradictoria, falſo diceretur de conceptu formali rei contradictorij eſſe, quod ipſius exiſtere, ſit formale deficere rei, & ipſius formale deficere, ſit formale exiſtere rei.

21. 3. Probatur eadem minor: nam de conceptu formali contradictorij rei eſt, quod cum nullo alio immediatius opponatur; quam cum re cuius eſt contradictorium, ſed hoc falſum eſſet ſi eiuſdem rei plura eſſent contradictoria: ergo impoſsibile eſt eiuſdem rei plura eſſe contradictoria. Maior eſt certa; probatur minor. Nolitio divina de exiſtentia Petri, quæ pro vos eſt contradictorium exiſtentiæ Petri, cum alio immediatius opponitur, quam cum exiſtentia Petri. Et idem dico de quovis alio poſitivo cum ea exiſtentia eſſentialiter oppoſito: ergo falſum eſſet illud principium, ſi eiuſdem rei plura eſſent contradictoria Antecedens probatur: quia nolitio divina immediatius opponitur ſuo non eſſe, quam eſſe Petri, item viſio Dei de non exiſtentia Petri immediatius opponitur ſuo non eſſe, quam eſſe Petri: omnis enim res immediatius tendit, vt exiſtat ipſa, per ſui non eſſe excluſionem, quam vt non exiſtat aliud, cum quo eſſentialiter opponitur.

22. Inde inferes 1. nullum ens poſitivum, quantumvis eſſentialiter oppoſitum cum alio eſſe eius contradictorium formale: quia ſi tale eſſet, in ſigno in quo vnum poſitivum intelligeretur excluſum, aliud intelligeretur exiſtens; ſiquidem non eſt alia excluſio formalis vnius contradictorij, quam exiſtentia alterius; ſed hoc pro-

probabimus eſſe falſum : cum in ſigno in quo intelligitur excluſa nolitio de exiſtentia Petri, cum ea eſſentialiter oppoſita, non intelligatur exiſtentia formalis Petri. Inferes 2. quodvis poſitivum eſſentialiter oppoſitum cum alio præciſè eſſe eius carentiam, & contradictorium illativum: quia eſſe illativam carentiam, & contradictorium præciſè eſt, per eſſentialem oppoſitionem cum re inferre per legitimam conſequentiam eius defectum; ſed quodvis poſitivum eſſentialiter oppoſitum cum alio per legitimam conſequentiam infert defectum alterius: ergo quodvis poſitivum eſſentialiter oppoſitum cum alio, eſt eius carentia, & contradictorium illativum.

23 Probatur 3. concluſio ſupra poſita. Nullum eſt fundamentum adſtruendi carentiam contingentem identificatam cum poſitivo: ergo. Antecedens probatur. Vel ea carentia cum poſitivo identificatur, vt verificet propoſitiones negativas, vel vt res contingens formaliter impediatur ab exiſtendo; ſed ad neutrum horum neceſſaria eſt carentia identificata cum poſitivo: ergo nullum fundamentum eſt adſtruendi carentiam contingentem identificatam cum poſitivo. Minor probatur, quoad primam partem. Propoſitio negativa, v. g. hæc *Petrus non exiſtit*, non habet pro obiecto carentiam Petri; ſed ipſam exiſtentiam, quam negat, vt communiter tenent RR. etiam ex adverſarijs; ſed nulla propoſitio verificatur, ab eo, quod non eſt eius obiectum, quia vt alibi ex profeſſo exponam, veritas formalis cuiuſlibet actus, ſtat adæquatè in actu, & obiecto: ergo carentia identificata cum poſitivo non eſt neceſſaria ad verificandas propoſitiones negativas.

24 Deinde quoad 2. partem probatur: quia res contingens impeditur formaliter ab exiſtendo eo præciſe, quod vlterius non conſervetur; ſed ea non conſervatio nullo titulo identificatur cum poſitivo: ergo. Probatur minor: non ſic identificatur ex ipſa natura rei deficientis: quia ipſa æquè deficiet, ſive eius non conſervatio poſitiva ſit, ſive mere negativa: non ſic identificatur, quia ipſum decretum non conſervandi vlterius rem, ſit formalis eius non conſervatio: quia illud decretum ſolùm poſſet eſſe non conſervatio formalis: quia eſſentialiter connectitur cum eo, quod res non duret vlterius; hoc autem inſufficiens eſt: nam decretum de re conſervanda, æquè eſſentialiter connectitur cum conſervatione rei, & tamen non eſt eius formalis conſervatio; ſed tantum illativa iuxta ſuperius dicta, & iuxta adverſarios: ergo nullo titulo identificatur cum poſitivo, non conſervatio formalis rei, & formalis carentia rei contingen-

tis. Plura alia pro impugnatione huius ſententiæ congerit P. Izquierdo loco citato, quæ quia inſufficientia reputo, libenter omitto.

SECTIO. III.

Carentia contingens rei non identificatur cum aliquo negativo vere, & exiſtente à parte rei; neque cum coniuncto ex ente poſitivo, & actu negante ipſi exiſtentiam.

24 PRima pars concluſionis probatur 1. Carentia iuxta hanc ſententiam habet conceptum entis poſitivi: ergo vel eſt ens poſitivum, vel nihil eſt. Antecedens probatur iuxta hanc ſententiam carentia verè poteſt exiſtere, exiſtitque ex parte obiecti dum deficit res, excludit ex parte obiecti ſuum contradictorium, terminatque liberum decretum Dei, vt exiſtat, quid ergo illi deeſt, vt ſit ens poſitivum?

26 Dices 1. Carentiam non eſſe ens poſitivum: quia ex ſuo conceptu ſolum habet eſſe remotionem ſui contradictorij. Sed contra: vel ita eſt remotio ſui contradictorij, vt nihil aliud verificetur de ipſa: & hoc falſum eſt, quia verificantur prædicata ſuper aſſignata, vel ita eſt remotio ſui contradictorij, vt in hoc conceptu includantur realiter, & ex parte obiecti omnia prædicata ſupra aſſignata, & hoc inſufficiens eſt ad ſolvendum argumentum; nam lux excluſiva eſt tenebrarum, & eodem iure dicam ego, omnia alia prædicata lucis in hoc includi; ſed cum hoc ſtat lucem eſſe ens poſitivum: ergo cum eo, quod carentia ſit excluſiva ſui contradictorij, & in hoc prædicato alia includantur, ſtabit eſſe ens poſitivum.

27 Dices 2. carentiam non eſſe ens poſitivum; quia prędicata aſſignata non conveniunt illi propriè; ſed per alienationem; quia, vt propriè illi convenirent, ea proprietate, quæ ad ens poſitivum requiritur, neceſſarium erat, quod vel poſſet produci per veram actionem, vel per veram actionem in aliud influere. Sed contra 1. Non eſt de conceptu entis poſitivi influere per veram actionem, neque per veram actionem produci. Probatur hoc; nam commune eſt in Philoſophia, & Theologia, actum voluntatis oriri à notitia repreſentante bonitatem obiecti; eumque ortum, & dependentiam ſtare in coexiſtentia actus voluntatis, & notitiæ bonitatis obiecti, vel ſi aliud additur eſt veritas quædam conditionalis de defectu actus ſub conditione defectus eius notitiæ, quin vltra hoc dicat, vel notitiam, quæ poſitiva eſt influere per veram actionem in actum voluntatis: nec actum voluntatis, qui poſitivus eſt produci per veram actionem à notitia: ergo de-

ratione entis poſitivi vniverſaliter ſumpti non ſunt prædicata anumerata in ſolutione.

28 Contra 2. obiectum huius actus *carentia Petri exiſtit*, iuxta te, non merum nihil, nec entitas poſitiva Petri, nec quid fictitiũ eſt; ſed eſſẽtia aliqua verè exiſtens, & incipiens eſſe dum Petrus deficit. Interrogo modo, vel dum hæc eſſentia incipit eſſe, eſt á ſe, vel ab alio? Si à ſe: ergo ſemper exiſtit, proindeque exiſtet quando exiſtat Petrus: deinde à ſe non poteſt eſſe, quia eſſentia contingens, qualis eſt eſſe carentię, nequit eſſe à ſe. Si eſt ab alio: ergo ab alio determinatur per liberum decretum, vt exiſtat, ab alioque ponitur in rerum naturas ergo cauſatur, & terminat actionẽ ſuæ cauſæ: quia ab alio cauſari eſt ab alio vere poni in rerum natura. Contra 3. quia abſque fundamento tribuuntur carentiæ omnia prædicata ſupra aſsignata propria entis poſitivi, & ipſi negatur poſſe terminare, aut elicere actionem, cum hoc ſolum negetur, ne concedatur eſſe ens poſitivum, quod argumentum ex prædicatis enumeratis conatur deducere.

29 Probatur 2. prima pars concluſionis. Quando deficiens poſitivum datur per te, & vere exiſtit ex parte obiecti eius carentia: ergo cum per æternitatem à parte ante defecerint infinita entia poſitiva, datum fuit ab æterno infinitum cathegorematicum carentiarum, & hoc in quolibet inſtanti æternitatis diſtributive ſumpto, quia in nullo exiſterunt infinita entia poſitiva. Indè autem fieret infinitum aliquod cathegorematicum vere extitiſſe: item aliquid diſtinctũ à Deo ab æterno fuiſſe, & vtrumque abſurdum eſt. Dices abſurdum non eſſe infinitas negationes fuiſſe ab æterno: nam hoc re ipſa nihil aliud eſt, quam infinita entia poſitiva defeciſſe ab æterno, quod eſt veriſsimum.

30 Sed contra. Vel negatio entis poſitivi merum nihil eſt, ſtatque in hoc præciſſe, quod eſt *ens poſitivum non eſſe*, & deſeris tuam ſententiam, in quartamque incidis, quam falſam reputas. Si, vt ais, talis negatio aliquid eſt habens ſuam eſſentiam veram, & exiſtentiam licet imperfectam: ergo verè ab æterno extiterunt entia cathegorematicè infinita, licet negativa, & imperfecta, de quibus ita per alienationem verificatur extitiſſe, vt hoc verificari non ſit verificari nihil extitiſſe, ſed extitiſſe infinita entia cum hoc addito negativa, & imperfecta: ſed hoc æquè reputatur abſurdum, ac infinitum entium poſitivorum defacto dari: ergo.

31 Iam ſecunda pars concluſionis ſupra poſitæ probatur: quia ſi carentia contingens Petri ſtaret in coniuncto ex Petro, & actu ipſi negante exiſtentiam, Indè fieret Petrum exiſ-

tere, quando deficit, quod ſic probo: quando Petrus deficit, dæ eſt eius carentia; ſed carentia Petri includit eſſentialiter Petrum, & actum negantem: ergo quando deficit Petrus datur Petrus, & hic actus: ergo datur Petrus. Explicatur. Si deficeret actus negans non daretur carentia, quia deficeret pars, vt ita loquar, ipſam componens: ergo nec daretur ſi deficeret Petrus: quia deficeret alia pars: ergo quando datur carentia Petri, ſicut datur actus negans, ita datur Petrus: ergo datur Petrus, quando datur eius carentia.

32 Probatur 2. Petrus, vt realiter exiſtens nequit componere ſuam carentiam, quia vt realiter exiſtens eam eſſentialiter excludit. Deinde Petrus, vt intentionaliter exiſtens in actu negante, nequit eam componere. Probatur ſic. Petrus, vt exiſtens in actu negante ſolum dicit entitatem actus: ſed entitas actus nequit componere carentiam Petri: ergo nec Petrus intentionaliter exiſtens. Minor probatur entitas actus negantis non fuit ab æterno, & tamen ab æterno fuit carentia Petri non exiſtentis ab æterno, hoc ipſo, quod carentia non dicatur eſſe purum nihil: ergo entitas actus nequit componere carentiam Petri: ergo Petrus neque, vt realiter exiſtens, neque vt exiſtens intentionaliter, proindeque nullo modo componit ſuam carentiam.

SECTIO IV.

Eligitur, & probatur quarta ſententia

33 SIt noſtra concluſio. Carentia rei contingentis nihil eſt, nulloque modo exiſtit ex parte rerum præſcindendo à noſtro modo concipiendi. Probatur 1. ex impugnatione data aliarum ſententiarum. 2. ab authoritate Auguſtini expreſſè aientis, carentiam, & privationem contingentem nihil eſſe. Etenim libro de Geneſ. ad lit. cap. 5. reddens rationem cur non dicatur Deus feciſſe tenebras, ſicut dicitur feciſſe lucem, ait *Non enim Deum feciſſe tenebras dictum eſt: quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent.* Deinde in ſoliloquis cap. 3. ait: *Mors eſt, imò non eſt mors: quia mors nihil eſt.* Vnde ſic arguo; Ex Auguſtino nihil eſt mors; ſed mors eſt privatio, & carentia vitæ: ergo privatio, & carentia vitæ iuxta Auguſtinum nihil eſt.

34 Reſpondent aliqui AA. primæ ſententiæ, hæc, & ſimilia, quæ ex RR. & D. Thoma poſſunt referri intelligenda eſſe de carentijs in concreto ſumptis, videlicet, de entitatibus deficientibus per carentias: quia per eas carentias entitates conſtituuntur non exiſtentes, non vero in-

tel-

telligenda eſſe de ipſis carentijs formaliter ſumptis, & in abſtracto, prout diſtinctis ab entibus, quorū sūt caretię. Sed cōtra: quia ex contextu cōſtat Sancti de ipſis defectibus formalibus, prout diſtinctis à rebus deficientibus per ipſas loquuntur. 2. quia D. Auguſtinus primo loco allegato contraponit ſpecies rerum cum ſuis formalibus privationibus, de primis ait eſſe aliquid, ideoque à Deo produci; de ſecundis vero ait, ideo à Deo non produci, quia de ſuo conceptu nihil ſunt. 3. quia Auguſtinus ſecundo loco allegato, ait mortem non eſſe, *quia nihil eſt mors*: ſed ſi diceret Petrum mortuum poſt mortem nihil eſſe, impropriſſimè diceret, nihil eſt mors Petri cum deberet dicere, Petrus iam mortuus non eſt.

35 A ratione autem probatur 3. noſtra ſententia. Carentia Petri, præciſſe eſt non eſſe Petri: ergo carentia Petri nihil eſt. Antecedens eſt certum, quia omne ens, ſivè poſitivum, ſivè negativum, ita eſt non eſſe alterius, vt præter id habeat alia prædicata; carentia autem, vt talis ex ſuo conceptu ſolum habet, quod ſit non eſſe rei, cuius eſt carentia. Conſequentia probatur. *Non eſſe Petrum*, formaliter ſolum dicit Petrum deficere; ſed Petrum deficere nihil eſt: ergo non eſſe Petri nihil eſt. Explicatur 1. nam ipſa apprehenſione terminorum conſtare videtur non eſſe rei oppoſitum contradictorie cum ipſa, non eſſe aliquod eſſe; ſed præciſse eſſe nihilum rei: ergo non eſſe rei, ſeu eius carentia nihil eſt. Explicatur 2. Carentia Petri eſt defectus formalis Petri; ſed defectus formalis Petri nihil eſt: ergo carentia nihil eſt. Probatur minor. Defectus formalis Petri, eo eſſet aliquid, quia vt Petrus deficeret neceſſaria eſſet aliqua ratio obiectiva, quæ eſſet eius defectus; ſed ea ratio obiectiva non eſt neceſſaria: ergo defectus formalis Petri nihil eſt. Minor probatur. Licèt, vt Petrus ſit, neceſſaria ſit aliqua ratio obiectiva; at vt deficiat nulla ratio obiectiva eſt neceſſaria: ergo nulla ratio obiectiva, quæ ſit defectus formalis Petri neceſſaria eſt, vt Petrus deficiat. Antecedens probatur. Eo præciſè, quod non detur aliqua ratio obiectiva, vt Petrus ſit, Petrus deficiet, vt eſt evidens: ergo licet, vt Petrus ſit neceſſaria ſit aliqua ratio obiectiva, at vt deficiat nulla ratio obiectiva eſt neceſſaria.

36 Explicatur 3. Petrus, & eius carentia opponuntur contradictorie: ergo carentia Petri nihil eſt. Conſequentia probatur. Oppoſitio contradictoria verſatur inter eſſe, & non eſſe: ergo ſi Petrus, qui eſt poſitivum ens opponitur contradictorie cum ſua carentia, eius carentia eſt purum non eſſe, ſeu nihil. Dices verum eſſe oppoſitio-

tionem contradictoriam verſari inter eſſe, & non eſſe; ita tamen, vt illud non eſſe, ſit non eſſe rei cuius eſt contradictorium, non vero ſit non eſſe ſui: vnde carentia Petri erit aliquid poſitivum, quod ſit non eſſe Petri, & eſſe ſui. Sed contra: non eſſe Petri ipſi contradicens debet eſſe purum non eſſe Petri, & ſui: ergo ſolutio eſt falſa. Antecedens probatur: nam non eſſe Petri ipſi contradicens nullum alium defectum formalem debet habere, quam eſſe formale Petri, ea quippè eſt natura contradictoriorũ, vt exiſtentia vnius ſit defectus formalis alterius, & defectus formalis vnius, ſit exiſtentia formalis alterius; ſed ſi non eſſe Petri ipſi contradicens non eſſet purum non eſſe Petri, & ſui, hoc non eſſet verum: ergo non eſſe Petri ipſi contradicens debet eſſe purum non eſſe Petri, & ſui. Maior eſt communis omnium ſenſus. Minor probatur: nam ſi non eſſe Petri eſſet nolitio poſitiva de exiſtentia ipſius, quæ nolitio eſſet eſſe ſui, & non eſſe Petri, defectus formalis huius non eſſe Petri, non eſſet Petri exiſtentia formalis; patet: nam iuxta adverſarios defectus formalis non eſſe Petri identificari cum nolitione, eſt volitio de Petri exiſtentia nolitioni eſſentialiter oppoſita; ſed ea volitio non eſt exiſtentia formalis Petri, vt eſt evidens: ergo.

37 Iam pro præoccupandis pluribus, & ſolvendis alijs obiectionibus, ex dictis obſervandum eſt 1. has propoſitiones Petrus exiſtit, Petrus non exiſtit, idem attingere obiectum, ſcilicèt, exiſtentiam Petri: nam propoſitio negativa ſolum haberet aliud obiectum ab affirmativa, quia ly non exiſtit aliquid attingeret, quod ex parte obiecti eſſet carentia, ſeu non exiſtentia Petri, & nihil tale attingit, vt conſtat: ergo vtraque attingit idem obiectum; ſed diverſo modo, nam affirmativa attingit Petrum intentionaliter adhærendo eius exiſtentiæ affirmative; negativa vero tendit in Petrum recedendo ab eius exiſtentia negativè. Vnde fit verificativum vtriuſque propoſitionis eſſe Petri exiſtentiam: quia cuiuſlibet propoſitionis verificativum formale adæquatè identificatur cum ſuo obiecto. Etenim exiſtentia Petri in A verificat propoſitionem aſſerentem Petrum exiſtere in A: & eadem exiſtentia falſificat propoſitionem dicentem non exiſtere in A, rurſus exiſtentia Petri deficiens in B, verificat propoſitionem dicentem non exiſtere in B, & falſificat propoſitionem dicentem exiſtere in B.

38 Et ratio huius eſt: quia obiectum verificare, aut falſificare propoſitionem tendentem affirmativè, aut negativè circa ipſum, nihil aliud eſt,

quam

quàm obiectum exiſtere, vel non exiſtere eo tempore, pro quo propoſitio affirmat, vel negat exiſtere obiectum. Ideoque propoſitio dicens Petrum non exiſtere in B, verificabitur à Petro non exiſtente in B: quia non exiſtit eo tempore, quo propoſitio enuntiat non exiſtere, & propoſitio dicens Petrum exiſtere in B falſificatur ab eodem Petro non exiſtente in B: quia non exiſtit eo tempore, pro quo propoſitio enuntiat exiſtere. Fit 2. Propoſitionem negativam verificari ab obiecto non exiſtente dum eſt propoſitio: licèt illud obiectum dum eſt propoſitio nihil ſit. Ratio eſt quia, vt hæc propoſitio Petrus non exiſtit, ſit modo vera requiritur, quod Petrus non exiſtat modo; ſi enim modo exiſteret Petrus, falſa eſſet propoſitio; ſed verificativum huius propoſitionis eſt Petrus, ſiquidem ſolus Petrus eſt eius obiectum: ergo propoſitio negativa verificatur ab obiecto, & verificativo non exiſtente.

39 Obſervandum eſt 2. in his propoſitionibus, quæ affirmativæ videntur: *Petrus deficit*, *Petrus excluditur à rebus*, *datur carentia Petri*, & in alijs ſimilibus verba alienantur à propria ad impropriam ſignificationem, ſicut alienatur verbum eſt in hac propoſitione, *Petrus eſt mortuus*: illa enim verba propriè accepta ſignificant poſitivè, ſcilicèt defectum, excluſionem, & carentiam Petri vere exiſtere à parte rei, impropriè, & alienativè accepta, ſignificant negativè; ſcilicet, Petrum non eſſe, & eſſe Petri non dari in rebus. Vnde 1. omnes ſupra poſitæ propoſitiones, ſi non ſumantur in ſenſu æquivalenti propoſitionibus negativis, falſæ ſunt; quia ſi in ſenſu affirmativo ſumantur ſignificant carentiam aliquod eſſe obiectivum habere, quod eſt falſum. 2. Hæc propoſitio *Petrus excluditur per ſui carentiam*, eſt falſa, ſi affirmat carentiam, quaſi influxivè excludere Petrum, aut Petrum, & carentiam eſſe duo extrema obiectiva eſſentialiter oppoſita; nam quod nihil eſt, neque aliquid poteſt præſtare influxivè, neque componere verum numerum extremorum. 3. Si hæc propoſitio, de qua eſt ſermo non ſignificet oppoſitionem propriam inter Petrum, & eius carentiam, ſed impropriam, qualis datur inter rem, & nihilum in hoc ſenſu vera erit.

40 Obſervandum eſt 3. Sæpè tribuitur actui intellectus, quod eſt proprium obiecti: ſic huic termino mentali *Petrus* attribuimus eſſe ſubiectum huius prædicati *animal rationale*; cum tamen ſubiectum, de quo illud prædicatum affirmatur, aut negatur ſit ipſa entitas phyſica Petri. Deinde ſæpe tribuitur obiecto, quod eſt proprium actus intellectus: Sic huic obiec-

obiecto animal rationale attribuimus eſſe definitionem hominis; cum tamen ſolus conceptus mentalis exprimens hoc obiectum ſit definitio hominis. Hinc obſervandum eſt 1. Hanc propoſitionem *carentia Petri eſt inconiungibilis, & contradictorium Petri*, quæ loqui videtur de contradictione obiectiva, ſolùm eſſe veram ſi loquatur de contradictione intentionali, qua actus negans exiſtentiam Petri incomponibilis eſt in eodem intellectu, & contradicens actui eandem exiſtentiam affirmanti; falſam vero, ſi loquatur de contradictione obiectiva: quia ex parte obiecti nulla datur carentia, quæ contradicat, aut ſit incomponibilis cum exiſtentia Petri.

41 Hinc obſervandum eſt 5. Nullam dari contradictionem ex parte rerum in obiectis; ſed in actibus intellectus, aut in vocibus: non datur in obiectis: quia in obiectis ſolum poſſet eſſe contradictio inter rem, & eius carentiam; at cum carentia ex parte obiecti nihil ſit, non poteſt ex parte obiecti contradicere Petro: datur in actibus intellectus (idem dic de vocibus.) quia vnus negat, & intentionaliter deſtruit, quod adſtruit, & intentionaliter ponit alter. Etenim hic actus *Petrus exiſtit* intentionaliter ponit in rebus exiſtentiam Petri, quam intentionaliter deſtruit à rebus hic, *Petrus non exiſtit*, qui actus apud omnes in modo tendendi contradictorie opponuntur, neque actus intellectus cenſendi ſunt contradictorij, quia reſpiciant obiecta contradictoriè oppoſita; ſed quia idem obiectum modò tendendi ſibi contradicenti reſpiciant; vnde nunquam contradictio actus per obiectorum contradictionem deſumendam eſt.

42 Quod ſic probo in omnium ſententia. In noſtra probatione non indiget: quia nullam damus contradictionem ex parte obiecti. In prima ſententia ſupra impugnata probatur: quia eius AA. conſtituentes carentiam in poſitivo dicunt eam carentiam non eſſe obiectum actus negativi, affirmativo contradicentis: ergo iuxta ipſos aliunde, quam à contradictione obiectiva penſanda eſt contradictio intentionalis actus. Probatur etiam in ſecunda, & tertia ſententia; nam iuxta eam actus affirmativus, & negativus ſibi contradicentes non differunt obiecto; ſed vterque reſpicit exiſtentiam Petri v. gr. ſed exiſtentia Petri ex parte obiecti ſibiipſi non contradicit; ergo adhuc iuxta has ſententias contradictio intentionalis actus non eſt penſanda ex contradictione obiectiva.

43 Inde infero Ariſtot. & Philoſophos, tàm antiquos, quàm modernos, qui aliquod eſſe obiectivum videntur tribuere carentijs, aliquamque con-

contradictionem obiectivam cog noſcere, revera non ſentire carentiam aliquod eſſe habere, neque ex parte obiecti contradictorie opponi cum re; ſed de ipſa; ac ſi aliquod eſſe haberet loqui, tum ob penuriam terminorum; tùm quia iam convenerunt, ea verba ſenſum affirmativum præſeferentia, eſſe accipienda in ſenſu negativo, alienativo, & improprio: moveor: quia ipſi ſolum de carentijs loquebantur, vt ſtatuerent contradictionem propoſitionum; ſed contradictio propoſitionum apud ipſos, & apud omnes, iuxta veritatem aliunde eſt aſsignanda, quam ab eſſe obiectivo carentiarum: ergo ipſi nullum eſſe obiectivum concedebant carentijs. Maior eſt certa: Minor apud AA. primæ, ſecundæ, & tertiæ ſententiæ probavi eſſe veram: probo eſſe veram apud Ariſt. & alios: quia apud Ariſt. & alios contradictio propoſitionum in eo ponitur, quod cum ſit eiuſdem de eodem, ſeu quod idem eſt, quod cum obiecto conveniant, vna neget illud ipſum obiectum, quod altera affirmat: ergo contradictio propoſitionum apud Ariſt. & alios aliunde eſt aſsignanda, quam ab eſſe obiectivo carentiarum. Cum ergo ſolum occaſione contradictionis propoſitionum de contradictione obiectiva loquantur, cenſendum eſt ipſos, nullam contradictionem obiectivam agnoviſſe propriam; ſed impropriam, qualis dari poteſt inter rem, & nihilum.

44 Obſervandum eſt 6. cum carentiæ nullum eſſe habeant, neque diſtingui poſſunt inter ſe, aut in ordine ad aliud, aut diſtinctione numerica, aut ſpecifica: quia diſtinctio eſt paſſio entis; & non entis nullæ ſunt paſsiones, vt docet Ariſt. Vnde cum dicitur: *Carentia formæ in hoc ſubiecto diſtinguitur numero, aut ſpecie, à carentia formæ in alio*, ſolùm poteſt reddere hunc ſenſum verum; *hoc ſubiectum diſtinguitur numero, aut ſpecie ab alio; hæc forma diſtinguitur numero, aut ſpecie ab alia*. Et in vniverſum quidquid de diſtinctione, aut identitate ſpecifica privationum dicitur, ſolum debet iuxta veritatem intelligi de diſtinctione, aut identitate ſpecifica rerum, quæ privatæ exiſtentia dicuntur.

45 Obſervandum eſt 7. quando dicimus carentiam Petri eſſe contingentem, & carentiam chymæræ neceſſariam, ſolum ſignificamus *Petrum ſecum identificare potentiam deficiendi*, ſeu, quod idem eſt: *Petrum contingenter exiſtere; & chymæram ſecum identificare impotentiam exiſtendi*: vnde cum rurſus dicimus: contingens eſt Petrum non exiſtere, neceſſarium eſt non exiſtere chymæram: ſolum ſignificamus, nullam eſſe neceſsitatem ex parte rerum, neque ex-

par-

parte Petri, vt exiſtat: nec aliquam eſſe contingentiam exiſtendi chymæram: etenim per has omnes propoſitiones, non loquimur de carentijs contingentiæ, & neceſsitatis; ſed de ipſa contingentia, & neceſsitate, quas negativè attingimus per noſtros actus.

SECTIO V.

Solvuntur obiectiones.

46 OBijc. 1. Carentia plura cauſant: ergo habent aliquod eſſe obiectivum. Antecedens probatur. Nam privatio eſt principium entis naturalis. Carentia Solis cauſat carentiam lucis: quia à priori valet non eſt Sol: ergo non eſt lux: vmbra nociva, arboris cauſat infirmitatem; & cauſat, mittendo ſpeciem ſui, viſionem, qua videtur. Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem. Privatio eſt principium entis, vt terminus *à quo*, ad quod non requiritur habere aliquod eſſe: quia ſic eſſe principium ſolùm dicit, formam primo produci in hoc inſtanti, cum in inſtanti antecedenti non exiterit in materia; quare mutatio, quæ datur in productione entis naturalis, non eſt à termino habente eſſe, ad alium eſſe habentem; ſed tantum eſt à nihilo ad formam. Carentia ſolis non cauſat carentiam lucis; ſed ideo eſt vera hæc propoſitio; *non exiſtit lux*: quia vera eſt hæc non exiſtit Sol causa lucis: & à negatione cauſæ bene tranſit Intellectus ad negandum effectum. Vmbra arboris non eſt nociva; ſed qualitates arboris ſimul cum remiſsione lucis ſub illa nocent; neque vmbra videtur ſumpta pro privatione maioris lucis; ſed ipſa ſumpta pro intenſione remiſſa lucis, quod poſitivum eſt.

47 Hinc vt alia prævenias deduces à parte rei non dari cæcitatem hominis, tenebras aèris, carentiam identitatis Petri, & Pauli, carentiam alterius mundi, & ſimilia; ſed hominem non videntem, aèrem ſine luce; Petrus diſtinctus à Paulo, quæ diſtinctio identificatur cum Petro, & Paulo; Ideoque à parte rei non dari carentiam identitatis negativè ſumptam, ſed poſitivè, ſcilicet datur diſtinctio Petri à Paulo. Carentia alterius mundi nihil eſt, ideò de altero mundo modo verificatur non exiſtere; non tamen verificatur exiſtere modo non eſſe alterius mundi.

48 Obij. 2. Duo contradictoria nequeunt ſimul deficere: ergo deficiente Petro exiſtit eius carentia ipſi contradictoriè oppoſita. Argumentum ſupponit falſò contradictionem obiectivam, vt probavi à num. 41. vnde antecedens ſolum poteſt eſſe verum, ſi ſignificet impoſsibile eſſe rem ſimul neque exiſtere, neque non exiſtere; vel exiſtere, & ſimul nō exiſtere. Ex quo nihil con-

contra nos. Ob. 3: quando Petrus deſtruitur datur tranſitus, & variatio ab eſſe, ad non eſſe: ergo non eſſe aliquid eſt. Reſpondeo dari impropriam variationem, & tranſitum, ſcilicet rei ad nihilum. Quare, vt bene notat P. Izquierdo ille tranſitus melius appelabitur deſitio rei, quam rei deſtructio: quia in eo tranſitu preciſſe invenitur, quod Petrus antea exiſtens deſinat eſſe: ſimili iure, quando Petrus antea non exiſtens producitur, impropriè dicitur eius carentiam deſtrui per exiſtentiam: quia quod non eſt proprie, non poteſt deſtrui; dicitur autem impropriæ deſtrui, & eſſe deſinere: quatenus Petrus antea non exiſtens, modo incipit eſſe.

49 Ob. 4. Carentia prædeterminationis iuxta principia Societatis conſtituit libertatem, & carentia diſpenſationis cuiuſlibet præcepti conſtituit præceptum obligans in actu ſecundo. Quomodo ergo carentia conſtituit libertatem, & obligationem, ſi carentia nihil ſit? Reſpondeo: carentiam prędeterminationis non conſtituere in ſenſu proprio libertatem propter rationem noſtræ ſententiæ; ſed conſtituere libertatem prædeterminationem ipſam acceptam *negative* ex parte actus libertatem exiſtere affirmantis: quia actus affirmans dari libertatem, æquivalet huic: *datur voluntas, & indifferentia cogitationis allicientis, & retrahentis, & non datur prædeterminatio.* Vnde deduces 1: quando dicimus pro priori ad amorem dari voluntatem, & indifferentiam iudicij: item dari voluntatem non eſſe prędeterminatam ad odium, non concedimus carentiæ prædeterminationis aliquem influxum in amorem; ſed tantum affirmamus, libertatem voluntatis ad amorem excludere, & negare prædeterminationem exiſtentem pro toto eo inſtanti reali. Deduces 2. hæc propoſitio: non dari prædeterminationem ad odium conſtituit libertatem ad amorem, facit hunc ſenſum: prædeterminatio ad odiū in inſtanti, in quo exiſtit, tollit libertatem ad amorem: & in alio ſenſu falſa eſt prædicta propoſitio: quia ſolum eſt verum libertatem ad amorē eſſentialiter excludere prædeterminationem ad odium exiſtentem pro eo inſtanti, in quo eſt libertas.

50 Ob. 5. Decretum, & ſcientia viſionis de non exiſtentia alterius mundi, connectuntur cum carentia alterius mundi; ergo datur carentia alterius mundi. Conſequentia probatur. Dato bono antecedenti, datur conſequens; ſed illud decretum, & ſcientia ſunt bonum antecedens ad inferendam carentiā alterius mundi propter connexionem, quam habent cum ipſa: ergo. Confirmatur. Quando datur excluſivum illativum alicuius entis, datur ipſius excluſivum formale, patet: nam illativū tale dicitur, quia infert formale; ſed decretū de nō exiſtentia mun-

mundi alterius; eſt excluſivum illativum alterius mundi: ergo quando datur ipſum, datur etiam excluſivum formale, quod eſt carentia. Ad argumentum diſtinguo antecedens: connexione directè terminata ad ipſam carentiam, nego antecedens: connexione directè terminata ad mundum modo receſivo ab eius exiſtentia, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem huius diſtinguo mai. Si antecedens inferat dari conſequens, concedo, ſi antecedens non inferat dari conſequens; ſed aliud non dari, nego maiorem: & nego minorem: quia illud decretum non infert dari carentiam; ſed mundum non dari, vi connexionis receſivæ, quam habet cum altero mũdo. Ad confirmationem nego maiorem: excluſivum enim illativum rei, non dicitur tale, quia inferat formale, cum excluſivum formale nihil ſit: ſed tale dicitur; quia cum ipſum non ſit formalis defectus rei; poſitum tamen pro antecedenti, ſufficiens ratio ſit intellectui, vt de re dicat deficere, non aliter, ac ſi inferret aliquid, quod ex parte obiecti eſſet ipſe defectus rei. Hinc, vt ſtricte loquaris potius dices illud decretum, & illam ſcientiam de non exiſtentia alterius mundi opponi eſſentialiter, cum illius exiſtentia, quam connecti cum non exiſtentia; hæc enim, cum propriè loquendo, nihil ſit non poteſt eſſe terminus connexionis alicuius.

51 Obij. 6. Carentia amabilis eſt, & odibilis: ergo bona, vel mala, proindeque habens entitatem. Antecedens probatur primo: quia Deus libere eligit carentiam auxiliorum, quæ nobis non donat: 2. Quia amat carentiam rei, quam poſtulamus, & negat. 3. Amat, & præcipit carentiam peccatorum, & dolet de carentia virtutum. 4. Deus odio habet peccatum omiſsionis actus præcepti, quod ſtat in pura carentia actus, eaque carentia reddit hominem dignum odio divino, 5. Pœna damni ſtat in carentia viſionis beatæ, eaque pœna deteſtabilis eſt, deſactoque eam damnati deteſtantur, quia ipſis malam. Ad argumentum nego antecedens. Ad primam probationem. Deus dicitur eligere carentiam auxilij, quatenus non vult dare auxilia, quia illud beneficium nobis eſſet ex prava noſtra diſpoſitione nocivum. Vnde hæc propoſitio *Deus eligit carentiã auxilij* ſolum eſt vera per æquivalentiam ad hanc. Deus non vult dare auxilium. Vnde Deus non eligit carentam; ſed eligit auxilium negativè. Ad ſecundam eodem modo dicendum eſt: eatenus Deus dicitur amare carentiam rei, quam petimus; quatenus non vult illam dare.

52 Ad tertiam dicitur Deus, amare carentiam peccati quatenus odio habet peccatum

tum, & dolore de carentia virtutis; quatenus amat virtutes. Vnde hæc, & iam ſoluta, ſolum ſunt vera per æquivalentiam, videlicet, quatenus illæ propoſitiones æquivalent alijs ſignificantibus actus divinos ad entia poſitiva terminatos. Ad 4. Quando Deus odio habet hominem, quia omittit actum præceptum, odium non terminatur ad ipſam omiſſionem; ſed ad voluntatem: quia cum obligatione ad actum non poſſuit, ſed omiſsit actum: itaque ipſum non ponere actum, quia nihil eſt, non eſt dignum odio; poteſt tamen Deus odio habere voluntatem, quia non poſſuit. Sic libertas, voluntas, & obligatio non eſt digna odio; & tamen Deus odio habet actum oppoſitum præcepto: quia procedit à voluntate, libera, & obligata. Et ratio à priori eſt: quia benè poteſt aliquid reddi dignum odio per aliquid non odibile, & aliquid poteſt reddi amabile, per aliquid non amabile. Primum conſtat in exemplo allato de actu poſitivo oppoſito præcepto, quem Deus odit propter libertatem, & obligationem non odibiles. Secundum probatur: quia Deus amat pœnas damnatorum propter peccata, quæ non ſunt amabilia Deo, & nos amamus dare eleemoſinam pauperi, propter paupertatem, quam non amamus ipſi; ſeu potius ineſficaciter ſaltem odio habemus.

53 Ad 5. Carentia viſionis beatæ in ſe neque à Deo, neque à nobis eſt odibilis: quia nihil eſt; vnde ſi aliquando dicitur odio haberi, ſolum eſt verum, quatenus amatur viſio: Deus autem dicitur hominem punire carentia viſionis, non quia ipſam carentiam velit; ſed quia non vult viſionem in peccatore exiſtere, nolitione ad ipſam viſionem terminata tali modo tendendi, vt vi ipſius viſio nunquam exiſtet in peccatore; peccator verò non affligitur, ex carentia viſionis ſecundum ſe, ſed ex divino decreto ipſi in æternum deneganti tantum bonum. Quod ſic poteſt explicari. Deus dat damnato notitiam viſionis, quam haberet ſi decederet in gratia, & notitiam de eo quod ipſe decrevit in æternum eam ipſi negare, quia peccavit: hæc notitia ſimul cum ingenti propenſione, quam creatura rationalis habet circa ſuum vltimum finem, & ipſius poſſeſsionem ſtantem in viſione, parit magnum dolorem in damnato. Ille igitur dolor, vt ortus ex ea notitia dicitur pœna damni, quam Deus dat, & patitur damnatus.

54 Objic. 5. Si carentia non identificatur cum poſitivo divino, carentia extitiſſet ab æterno, & non extitiſſet, quod implicat. Probatur ſic, & in primis, quod extitiſſet: quia cum carentia exiſtat cum deficit res, carentia Petri non exiſtentis, ab æterno extitiſſet. Deinde probatur, quod non extitiſſet: non extitiſſet

tiſſet durans ſe ipſa, quia omne contingens durat aliquo ſuperaddito: non extitiſſet durans duratione ſuperaddita: quia vel per durationem ſuperadditam ſucceſivam, & ſic actu præceſſiſſent ad productionem Petri infinitæ durationes ſuæ carentiæ: vel per ſuperadditam permanentem, & ſic eadem indiviſibilis duratio creata amplecteretur totam æternitatem à parte ante, quod fortè impoſsibile eſt. Hoc argumentum me non vrget: cum enim carentia apud me nihil ſit, neque ſe ipſa, neque per aliquid ſupperadditum durat: non enim verum eſt carentiam Petri non exiſtentis ab æterno exiſtere ab æterno, niſi per æquivalentiam ad hanc propoſitionem, Petrus non exiſtit ab æterno.

55 Objic. 8. Modo eſt vera hæc propoſitio: anti-Chriſtus non exiſtit: ergo modo datur eius veritas; ſed veritas aliquid aliud dicit diſtinctum ab actu: ergo aliquid diſtinctum ab actu datur modo, quod ſit inadæquatè ipſa veritas; ſed nihil aliud poteſt eſſe præter carentiam Anti Chriſti: ergo hæc datur modo. Confirmatur. Quando hic actus eſt verus datur eius verificativum: nam à verificativo denominatur verus, ſed quando datur huic actus verus non datur Anti Chriſtus: ergo aliquid aliud, quod ſit eius verificativum: hoc autem erit carentia, quæ proinde aliquod eſſe poſitivum modo habebit. Diſtinguo primum conſequens: datur eius veritas ſumpto ly datur affirmativè quoad totam veritatem, nego: affirmativè quoad actum, & negativè quoad obiectum, concedo conſequentiam, & conceſſa minori ſubſumpta, diſtinguo conſequens, aliquid datur modo negativè concedo affirmativè nego conſequentiam, & reliqua, quæ inde inferuntur. Eſt dicere eſſe verum nunc actum negativum, eſt eſſe actum nunc, & obiectum nunc non eſſe: quia actus enuntiat obiectum ſuum nunc non dari. Vnde actus datur nunc, obiectum non datur nunc, & hoc eſt actum negativum eſſe nunc verum, & veritatem dari nunc affirmativè quoad actum, & negativè quoad obiectum. Ad confirmationem nego maiorem ſi ly datur ſumatur affirmativè; nam ſi verificativum actus negativi, ſcilicet eius obiectum, daretur, quando datur actus; actus eſſet falſus: vnde, vt actus verus ſit requiritur, quod quando datur actus verus non detur eius verificativum. Imò ideo actus eſt verus, quia eius verificativum non datur. Doctrina, qua nititur hæc ſolutio clarius conſtitit diſputatione de poſsibilitate rerum.

56 Objic. 9. Non repugnat aliquod poſitivum con-

contingens ; quod ſit eſſe ſui, & formale non eſſe Petri, v. g. ergo non repugnat aliquod poſitivum contingens, quod ſit carentia formalis Petri. Antecedens probatur. Ex terminis non repugnat hæc duo prædicata in vno coniungi : quia Deus ſe ipſo eſt ſuum eſſe, & formale non eſſe alterius Dei : ergo non repugnat aliquod poſitivum contingens, quod ſit eſſe ſui, & formale non eſſe Petri. Confirmatur 1. Si hæc duo prædicata ex terminis non repugnant in vno coniungi, cur nolitio efficax Petri non erit eſſe formale ſui, & formale non eſſe Petri, ſiquidem inducit Petrum non exiſtere? Confirmatur 2. Ideo illa nollitio non eſſet formale non eſſe Petri ipſi Petro contradictoriè oppoſitum, quia contradictio debet verſari inter eſſe, & non eſſe quod neque ſui, neque alterius ſit eſſe ; illaque nolitio ſaltem ſui eſt eſſe formale ; ſed hoc gratis omnino dicetur à nobis : ergo. Min. probatur. Nam dicere illam nolitionem non eſſe contradictorium Petri, quia contradictorium Petri, debet eſſe purum nihil, ex eo, quod contradictio debeat verſari, inter eſſe & purum non eſſe, vel eſt petere principium, vel gratis aſſignare conceptum contradictionis. Cur ergo non poterit eſſe contradictorium formale Petri, illud quod ſit aliquod eſſe ſui, cum tamen hoc ipſum eſſe ſit eſſentialiter oppoſitum cum Petro?

57 Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem nego etiam antecedens, & rationem probationis : quia vt dicam capite vltimo, Deus non eſt formalis carentia alterius Dei, neque vllius chymæræ. Ad primam confirmationem dico. Ideo nolitio divina de exiſtentia Petri, non eſt non eſſe formale Petri, quia iuxta ſupradicta, ea nolitio immediatius opponitur cum ſuo formali defectu identificato, cum volitione oppoſita, quam cum Petro ; cum tamen non eſſe formale Petri cum nullo alio immediatius opponatur, quam cum Petro : tum deinde : quia ſi ea nolitio eſſet non eſſe formale Petri, quia Petrum eſſentialiter excludit, volitio efficax de exiſtentia Petri, Petrum eſſentialiter inducens in rerum naturam, eſſet æquo iure exiſtentia formalis Petri. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo ; neque gratis dari eam doctrinam, neque petitionem principij continere. Si enim contradictorium Petri non eſſet purum non eſſe Petri, non eſſet contradictorium immediatum, & formale illius, vt ſupra probavit.

58 Probationis ſumma hæc eſt : quia contradictorium formale Petri debet eſſe illud,

 cuius

cuius defectus formalis ſit exiſtentia formalis Petri, iuxta illud principium in ſcholis receptum: *Exiſtentia formalis vnius contradictorij, eſt defectus formalis alterius: & defectuus vnius eſt exiſtentia formalis alterius.* Sed ſi contradictorium immediatum, & formale Petri non eſſet purum non eſſe Petri, ſed aliquod eſſe poſitivum v. gr. nolitio divina, defectus formalis eius contradictorij Petri non eſſet exiſtentia formalis Petri: ergo contradictorium immediatum, & formale Petri debet eſſe purum non eſſe Petri. Minor eſt certa: quia defectus formalis eius nolitionis eſt volitio formalis divina de exiſtentia Petri, quæ volitio non eſt exiſtentia formalis Petri.

59 Objic. 10. Nolitio divina efficax exiſtentiæ alterius mundi, eſt formale non eſſe alterius mundi; ſed formale non eſſe alterius mundi eſt illius carentia: ergo datur talis carentia identificata cum nolitione divina. Maior, quæ ſola eſt difficilis probatur. Nolitio illa eſt impedimentum immediatum, & formale alterius mundi: ſiquidem eſſentialiter eſt oppoſita cum illo independenter ab alio immediatius oppoſito, quod inferat, alias inferret aliud impedimentum formalius, quod aliud eſſe non poteſt, niſi carentia; ſed impedimentum immediatum, & formale alterius mundi, eſt non eſſe formale illius: ergo. Idem argumentum fiet de quavis re eſſentialiter oppoſita cum alia. Et confirmatur. Si non datur impedimentum formale alterius mundi, alter mundus exiſtit: ergo ſi non exiſtit, datur impedimentum formale illius. Probatur antecedens. Id exiſtit, quod non eſt impeditum ab exiſtendo: ergo ſi non datur impedimentum formale alterius mundi, alter mundus exiſtit.

60 Nego maiorem: & diſtinguo maiorem probationis, eſt impedimentum formale activum, aut quaſi activum, concedo maiorem, paſsivum in ſenſu quæſtionis nego maiorem: & diſtinguo minorem, impedimentum formale paſsivum, concedo minorem, activum nego minorem, & conſequentiam. Explicatur ſolutio. Nolitio divina dicitur impedimentum activum exiſtentiæ alterius mundi, quatenus ſe ipſa impedit volitionem Dei, quæ eſſet cauſa exiſtentiæ illius: diciturque in hoc ſenſu impedimentum formale: quia ſe ipſa independenter ab alio quod inferat impedit alium mundum exiſtere non tamen eſt impedimentum paſsivum illius: nam de eſſentia illius non eſt eſſe contradictorium alterius mundi, propter rationes noſtras, neque præciſè illum reddere non exiſtentem; ſed potius Deum poſitivè nolen-

nolentem, neque ea nolitio requiritur titulo non exiſtendi alium mundum, ſed titulo libertatis divinæ ad ſummum, ſi Deus non poſſit pure omittere decretum alterius mundi. Ad confirmationem nego antecedens, & antecedens probationis loquendo in ſenſu formali: quia præſcindendo ab omni impedimento, alter mundus formaliter non exiſtit: quia id ſalvatur eo præciſſe, quod nullum habeat prædicatum.

61 Objic. 11. Bruta percipiunt ſuis ſenſationibus materialibus carentias: ergo carentiæ aliquid ſunt. Antecedens probatur 1. Quia horrent loca tenebroſa. 2. Quia ſæpè defectu lucis non audent id ipſum, ad quod naturaliter propenſa ſunt. 2. Quia de carentia filiorum triſtantur: ergo percipiunt tenebras, carentiam lucis, & filiorum. Nego antecedens. Ad primam probationem, non percipiunt tenebras; ſed lucem abſentem actu quodam materiali interno negativo, qui explicaretur his terminis, *non exiſtit lux*. Ad ſecundam; non audent id, ad quod ſunt propenſa, quando deficit lux: quia ad talem auſum determinari debent à luce, vel ab aliquo alio præſente quod media luce perciperent, ſi non eſſet abſens. Ad tertiam; ideo triſtantur in abſentia filiorum: quia actu interno negative percipiunt filios ablatos, & abſentes.

62 Dices: Bruta à ſe ipſis non ſunt determinata ad actum internum negativum: à quonam ergo determinantur? Reſpondeo ſæpè determinari à perceptione alia affirmativa objecti incomponibili cum perceptione objecti abſentis, v. gr. quando abeſt filius, percipit brutum totum illud ſpatium, quod filius occupabat, eaque perceptio incomponibilis eſt cum perceptione filij; nam ſi perciperet filium præſentem non perciperet eam partem loci, quam occuparet filius. Sæpè etiam determinatur à motu, quem ponit incomponibilem cum motu, quem exerceret, ſi filius eſſet præſens: ſiquidem filius ſua quantitate mole occuparet aliquam partem loci, in quo nunc movetur: hicque motus, & illa perceptio, ſimul cum ſpeciebus relictis de filio abſente, determinant ad actum internum negativum: quia cum motus, & perceptio incomponibiles ſint cum actu affirmativo, dum coniunguntur cum ſpeciebus relictis in ſenſu interno, naturaliter cum actu interno negativo connexi ſunt.

SECTIO VI.

De Carentia neceſſaria chymærarum.

63 Aliqui ex AA. nobis conſen-

Digitized by Google

ſentientibus quoad carentias contingentes, in carentijs neceſſarijs aliquid ſpeciale inveniunt cur ipſas cum aliquo eſſe obiectivo identificent ſive poſitivo, quod ſit entitas ipſius Dei removens ab exiſtendo neceſſario omnem chymæram, ſivè negativo neceſſario ex parte obiectivi exiſtente licèt imperfectè, & alienativè. Hæc ſecunda cogitatio magis diſplicet: quia vel illud eſſe obiectivum improprium, & imperfectum, ita eſt improprium, vt nihil ſit, vel revera aliquid eſt, licèt valdè imperfectum. Si 1. cum nihil dicat hæc ſententia vltra noſtram mox referendam, & probandam male loquitur: dum dicere videtur id ipſum, quod ſub alijs terminis negat. Si 2. erunt ab æterno plura entia obiectiva imperfecta removentia oppoſitas chymæras, & quidem erunt neceſſario, citra omne exercitium liberum Dei, cum penes libertatem divinam non ſit chymæras exiſtere: ergo erunt plura entia creata nullo modo ſubiecta divino dominio quoad eſſe, & non eſſe, vicem erunt plura entia creata non producta in tempore, quod vtrumque impoſſibile eſt.

64 Diſplicet etiam prima propter dicenda. Ideo ſit noſtra concluſio. Carentiam neceſſariam chymærarum nihil eſſe poſitivum, aut negativum neceſſario exiſtens excludens chymæras ab exiſtendo. Probatur. Carentia neceſſaria ideo adſtrueretur in aliquo neceſſario exiſtente, vel vt verificaret propoſitiones negativas circa chymæras verſantes, vel vt ipſæ chymæræ formaliter impedirentur ab exiſtendo: ſed neque ad primum, neque ad ſecundum admittenda eſt carentia neceſſario exiſtens: ergo. Minor probatur quoad primam partem. Hæc propoſitio negativa, chymæra non exiſtit, & hæc, alter Deus impotens eſt exiſtere, ſicut, & quævis alia propoſitio verificatur à ſuo obiecto: ſed obiectum harum propoſitionum non eſt aliqua carentia excludens chymæram, & alterum Deum: ſed ipſa chymæra, & alter Deus: ergo. Maior eſt mihi certa. Minor evidens. Nam obiectum eſt illud de quo dicimus non exiſtere, neque exiſtere poſſe, & hoc non eſt carentia, quæ iuxta adverſarios neceſſario exiſtit: ſed chymæra, & alter Deus.

65 Quoad ſecundam partem probatur illa minor. Chymæra ſua intrinſeca impoſſibilitate impedita eſt formaliter ab exiſtendo: ergo non eſt admittenda carentia neceſſario exiſtens, vt chymæra formaliter impediatur ab exiſtendo. Antecedens probatur

tur. Eo chymæra formaliter impedita eſt ab exiſtendo, quo formaliter eſt impotens exiſtere: ſed chymæra ſua intrinſeca impoſſibilitate eſt formaliter impotens exiſtere: ergo ſua intrinſeca impoſſibilitate impedita eſt formaliter ab exiſtendo. Maior eſt certa, & minor probatur facile. Petrus apud omnes ſua intrinſeca poſſibilitate formaliter eſt potens exiſtere: ergo chymæra ſua intrinſeca impoſſibilitate eſt formaliter impotens exiſtere.

66 Hinc inferes 1. Entitatem neceſſariam Dei non eſſe carentiam formalem impoſſibilium, licet cum eorum impoſſibilitate eſſentialiter connectatur: quia cum eorum impoſſibilitate connecti, non probat Deum eſſe impoſſibilitatem formalem impoſſibilium, ſed ad ſummum impoſſibilitatem illativam: ergo cum eorum impoſſibilitate connecti, non probat, Deum eorum eſſe carentiam formalem, ſed ad ſummum illativam; patet conſequentia: quia ſolum poſſet eſſe titulo eius connexionis carentia formalis impoſſibilium, quatenus vi illius connexionis, impoſſibilia impediret ab exiſtendo; at Deus vi eius connexionis non ea impedit formaliter; ſed illativè tantum ab exiſtendo, iuxta dicta numero præcedenti: ergo cum eorum impoſſibilitate connecti, non probat, Deum eſſe eorum carentiam formalem; ſed ad ſummum illativam.

67 Inferes 2. Carentiam formalem alterius Dei, mendacij Divini, imperfectionis divinæ, & aliorum impoſſibilium, quæ immediatius opponuntur cum Deo, quam homo non rationalis, equus non hinnibilis, homo hinnibilis, equus rationalis & alia huius generis, non identificari formaliter cum Deo; ſed eſſe purum nihil ab omni poſitivo neceſſario diſtinctum. Probatur: quia neque prædicata neceſſaria Dei verificant propoſitiones negativas tendentes circa alterum Deum, mendacium Divinum, aut Divinam imperfectionem, neque formaliter impediunt ea obiecta ab exiſtendo; ſed ipſa ſua intrinſeca impoſſibilitate, quam haberent ſi exiſterent, impedita ſunt formaliter ab exiſtendo, iuxta ſuprà dicta: ergo prædicata neceſſaria Dei, non ſunt formalis carentia neceſſaria eorum impoſſibilium; ſed ſolum carentia illativa: & ratio à priori eſt ea, quam ſuprà vniverſaliter tradidimus, videlicet nullum eſſe poſitivum, opponi contradictoriè cum alio poſitivo: quia de duobus entibus poſitivis eſſentialiter oppoſitis verificari non poteſt conceptus formalis contradictionis, nempè, quia exiſtentia formalis vnius eſt defectus formalis alterius.

68. Dices: Deus, eo quod formaliter eſt Deus, eſt immortalis, impeccabilis, vnicus, &c. ergo eo, quo formaliter eſt, Deus excludit ſuum peccatum, ſuam mortem, alterum Deum, & reliqua impoſsibilia ſibi oppoſita: ergo eo, quo formaliter eſt, eſt carentia formalis ſui peccati, ſuæ mortis, & alterius Dei? Reſpondeo. Diſtinguo antecedens: ſi ea prædicata ſumantur pro poſitiva repugnantia ad mortem, peccatum, & ſocietatem cum altero Deo, concedo antecedens, ſi ſumantur pro carentia potentiæ moriendi, potentiæ peccandi, & potentiæ ſe coniungendi cum altero Deo, nego antecedens: & diſtinguo conſequens: excludit illativè mortem, peccatum, & alterum Deum concedo: formaliter nego conſequentiam, & diſtinguo ſecundum conſequens: ergo eſt carentia formalis ſui peccati, ſuæ mortis, & alterius Dei, nego conſequentiam: carentia illativa, concedo conſequentiam. Cum vero dicimus excludere illativè mortem peccatum, & alia huiuſmodi, non ideo eſt verum, quia inferant excluſionem formalem à parte rei exiſtentem; ſed quia eſt antecedens aptum, ad inferendum conſequens, negans mortem, & peccatum, quod conſequens negans eſt carentia intentionalis.

69. Explicatur. Impeccabilitas Dei, ſumpta pro poſitiva repugnantia ad peccatum, eſt ipſa entitas poſitiva Dei: ea repugnantia, non opponitur contradictoriè cum peccato; ſed cum non eſſe talis repugnantiæ, illudque non eſſe nihil eſt, ſicut nihil eſt ex parte obiecti carentia omnium prædicatorum Dei, quæ fingi poteſt. Impeccabilitas Dei, ſumpta pro carentia potentiæ ad peccatum: nihil eſt, eaque ſuo modo contradictoriè opponitur cum potentia impoſsibili Deo ad peccandum. Similiter dicito de alijs. Vnde 1. Deus, & alter Deus non ſunt immediatè oppoſiti: quia extrema poſitiva non opponuntur immediatè, & formaliter: ſed illativè, immediatè autem opponuntur Deus, non Deus: alter Deus, & non eſſe alterius Dei. 2. Deus non eſt impoſsibilitas formalis alterius Dei, neque ſui peccati; ſed illativa; impoſsibilitas vero formalis eorum obiectorum, eſt illud eſſe, quod alter Deus, & peccatum noſtri Dei haberent ſi exiſterent.

DISPVTATIO V.

Vtrùm entitas ſemel exiſtens poſsit deficere per defectum abſolutum, & immediatum, an tantum per defectum reſpectiuum:

PRæſens diſputatio ad perfectam notitiam corruptionis rerum deſideratur: licèt enim

enim de hac re nihil antiqui egerint, ſupponentes rei ſemel exiſtentis in vno inſtanti, dari in alio carentiam abſolutam, & contradictoriè oppoſitam; tamen plures RR. noſtri revocarunt hoc in dubium ſentientes duo contradictoria obiectiva non poſſe dari, pro diverſis inſtantibus. Quare poſtquam de carentijs rerum egimus, ſuccedit præſens diſputatio, ne aliquid eorum, quæ ad rei huius notitiam ſpectat deſideretur.

SECTIO I.

Nonnullis ſuppoſitis referuntur ſententiæ.

1 SVppono primo. Nullum verbum poſſe abſolvi à ſignificatione temporis. Quod ita notum eſt apud Authores, RR. exceptis, vt de eo non fuerit dubium, cum omnes cum Ariſtotele doceant verbum eſſe, *quod conſignificat tempus*. Eſſentias autem rerum debemus omnino ſupponere, ne alias, ſi cuivis liceat illas proprio ſenſui accommodare, nihil fixum in diſputationibus ſit; & ex hoc principio probavi lib. 4. Phyſic. diſp. 3. ſect. 4. nullam entitatem poſſe abſolvi omni duratione.

2 Suppono 2. Vt quæſtio facilius procedat, debet ſupponi pro præſenti, dari carentias à parte rei aliquod eſſe habentes, quodcumque illud ſit. Quia in ſententia negante tales carentias, quam docui diſput. ſuperiori, vel nullum locum habet præſens difficultas; vel difficile ſaltem poteſt diſputari. Suppono 3. Neque locum habere præſentem difficultatem in opinione eorum, qui identificant durationes rerum, vel adæquatè cum ipſis rebus durantibus, vel inadæquatè cum ipſis, & inadæquatè cum tempore extrinſeco. Cuius ratio eſt clara: quia cum evidens ſit rem exiſtentem in A deficere in B, evidens etiam eſt in B dari defectum durationis illius. Si ergo duratio identificatur cum entitate, non poterit non dari defectus huius, ſi datur defectus durationis. Si verò cum complexo entitatis, & temporis extrinſeci, cum in B, in quo ſupponimus rem non durare, non detur carentia temporis extrinſeci B; manifeſtum eſt dari carentiam abſolutam entitatis. Quare pro præſenti ſupponenda eſt diſtinctio durationis rei ab ipſa, & tempore extrinſeco, quam tenui diſput. citata.

3 Suppono 4. Non poſſe in dubium venire, an rei ſemel exiſtentis in inſtanti A, poſſit dari in inſtanti B carentia ita illam immediatè excludens, vt faciat ne exiſtat in inſtanti A, in quo ſupponimus extitiſſe: quia id fieri non poteſt, quin res in inſtanti A exiſteret ſimul, & non exiſteret: & eadem evidentia, qua conſtat rem non poſſe ſi-

mul,

mul exiſtere; & non exiſtere in A, conſtat etiam non poſſe dari in B, carentiam, quæ præſtet ne extiterit in inſtanti A, ex ſuppoſitione, quod in tali inſtanti extiterit. Itaque certum eſt in inſtanti B, neque dari entitatem, neque dari in eo inſtanti *rem non exiſtere in inſtanti* A; dubium tamen an ſi carentia abſoluta entitatis daretur in inſtanti B, non excluderet illam tantum á B, ſed etiam à reliquis inſtantibus? Si enim hoc ſecundum verum ſit, manifeſtè convincitur non poſſe dari pro diverſis inſtantibus entitatem, & eius abſolutam carentiam; ſi verò primum ſit verum, nullum inconveniens erit in eo, quod pro diverſis inſtantibus exiſtant.

4 Suppono 5. Neque entitatem abſolutam identificare ſecum ſe exiſtere in aliquo inſtanti, licet ex ſuppoſitione, quod abſolvi non poſſit omni duratione, ſit determinata, vt ſit exiſtat in aliquo inſtanti exiſtat: neque carentiam abſolutam entitatis excludere illam per ſe ſolam ab aliquo inſtanti. Ratio primi eſt, quia alias res identificaretur cum ſua duratione, cuius oppoſitum ab omnibus debet pro re præſenti ſupponi, vt notavi. Ratio ſecundi eſt, quia carentia abſoluta per ſe ſolam tantum excludit immediate, & formaliter id, quod identificatur cum entitate, cuius eſt carentia. Si ergo cum ea entitate non identificatur ſe exiſtere in aliquo inſtanti, neque cum eius carentia abſoluta identificatur excludere illam ab aliquo inſtanti; ſed hoc erit munus carentiæ durationis, qua entitas in illo inſtanti exiſteret.

5 Vt tamen aliquas æquivocationes præoccupemus ſuppono 6. carentiam abſolutam rei ſe ſola excludere complexum quodcumque intrinſecè claudens talem rem. Eſt manifeſtum, quia nequit eſſe excluſum vnum ex conſtitutivis alicuius complexi, quin ſit excluſum tale complexum, quod dari nequit niſi exiſtentibus omnibus ſuis conſtitutivis. Hinc patet carentiam durationis B eſſe excluſivum formale complexi ex Petro, & duratione B; & ſimiliter carentiam abſolutam Petri eſſe excluſivum formale complexi reſultantis ex Petro, & duratione B. ad hoc verò vt carentia quævis excludat illud complexum, nihil aliud debet excludere victa entitatem cuius eſt carentia, ſcilicet formaliter, & immediate. Patet enim carentiam albedinis excludere complexum ex ipſa, & ſubiecto albo, quin ſit carentia ſubiecti albi, ſed præciſè albedinis. Similiter carentia Petri excludit illud idem complexum, quin excludat formaliter *eſſe album ſeu albedinem*, ſed ſolum eſſe Petrum. Quare dubium non eſt hoc complexum, *Petrum exiſtere in inſtanti* B, intelliga deficiens,

ſens, eo præciſè quod intelligatur defectus durationis B: ideoque, caſſo labore fatigantur aliqui id enixè probantes, quod maximè ab vllo negaretur. Solum ergo dubitatur, an licèt illud complexum intelligatur formaliter deficiens per ſolum defectum durationis, inſuper detur etiam defectus immediatus, & abſolutus Petri in B, licet Petrus abſolutè in alio inſtanti exiſtat? In hac quæſt. duplex eſt ſententia valde probabilis.

6 Prima ſententia negat, & ait rem ſemel exiſtentem in aliquo inſtanti non poſſe in illo inſtanti deficere per carentiam abſolutam ſui, ſed vnico per defectum vlterioris durationis. Quare eatenus, & non aliter eſt verum iuxta hanc ſententiam Petrum exiſtentem in A deficere in inſtanti B, quia datur carentia formalis durationis B, quæ excludit complexum ex Petro, & duratione B, quo complexo excluſo Petrus non poteſt in B exiſtere. Ex qua ſententia fit 1. Re ſemel exiſtente in A neque dari in B eius carentiam formalem, neque carentiam abſolutam durationis A, ſed vnicè carentiam durationis B, qua res verè, & eiuſdem duratio A chymæricè, poſſent conſtitui in inſtanti B. Fit 2. Ex ſuppoſitione, quod Petrus exiſtat, poſſe à Deo deſtrui, non quatenus poſſit facere ne habeat abſolutè in rerum natura illud eſſe, quod ſemel habet in rerum natura; ſed præciſè quatenus poteſt Deus illi non donare vlteriorem durationem. Fit 3. diverſo modo deficere in inſtanti B rem purè poſſibilem, ac rem in aliqua duratione exiſtentem. Prima deficit per defectum abſolutum, ſecunda verò dumtaxat per defectum reſpectivum durationis.

7 Hanc ſententiam defendit noſter Lince lib. 7. Phyſicor. tract. 2. cap. 4. num. 28. P. Iunius in M. S. de mutua proprietate: P. Doct. Herrera in Metaph. M. S. latiſsimè eam illuſtrat, & defendit in manuſcriptis P. Dr. Gaſp. de Rivad. quem ſequuti ſunt plures RR. Oppoſitam ſententiam, quæ videtur eſſe de mente omnium antiquiorum, vt ait P. Izquierdo, tenent ipſe tùm in Pharo diſp. 10. quæſt. 4. propoſit. 1. à num. 239. tùm tom. 1. de Deo tract. 4. diſp. 8. quæſt. 7. propoſ. 5. Quiros in curſu Philoſoph. diſp. 66. ſect. 5. & potiori iure poſſunt pro ea citari P. Carleton, qui diſp. 18. Logicæ ſect. 9. ait poſſe ſimul tempore, ſed in diſtinctis locis dari rem, & eius carentiam, & Spinula, qui idem aſſerit diſp. 10. Phyſic. ſect. 6. art. 3.

SECTIO II.

Traditur, & probatur vera ſententia.

8 EA eſt rem ſemel exiſtentem in aliquo inſtanti non deficere in alio per ſolam carentiam reſpectivam, ſed

ſed etiam per carentiam abſolutam. Probo primo concluſionem. Petrus vt exiſtens in inſtanti A non excludit ſuam carentiam abſolutam ab inſtanti B: ergo Petrus exiſtens in inſtanti A, & deficiens in inſtanti B, non deficit per ſolam carentiam durationis B, ſed etiam per carentiam abſolutam. Conſequentia eſt legitima, quia non alia ratione, iuxta adverſarios, non daretur carentia abſoluta Petri in inſtanti B, niſi quia Petrus ſemel exiſtens in inſtanti A. excludit illam ab omnibus inſtantibus. Probo antecedens. Petrus, vt exiſtens in inſtanti A tantum excludit ſuam carentiam, vt involvens durationem A non quidem vt formam excludentem, ſed vt terminum, ſine quo non excludit, ſicut neque excludit, quia exiſtat cum actione productiva, quæ tamen non excludit formaliter carentiam Petri; ſed Petrus, vt involvens durationem A, non poteſt excludere ſuam carentiam ab exiſtendo in B: ergo. Maior eſt certa, quia licèt duratio A Petri non ſit forma formaliter excludens eius carentiam abſolutam; tamen eſt forma cui tribuitur, quod illam excludat in illo inſtanti. Imò in ſententia mihi vera, quam tenet P. Rivad. & plures ex adverſariis, cum nulla entitas poſsit exiſtere nuda omni duratione, nulla poteſt excludere ſuam carentiam, niſi, vt coniuncta cum aliqua duratione, nempè cum ea, quam de facto habet.

9 Probo igitur min. Petrus, vt coniunctus cum duratione A, diſtat eſſentialiter à duratione B: ſed Petrus vt eſſentialiter diſtans à duratione B, non poteſt excludere ſuam carentiam ab inſtanti B: ergo vt coniunctus cum duratione A, non poteſt ſuam carentiam excludere ab inſtanti B. Maior huius ſyllogiſmi etiam eſt certa: quia in Petro, vt coniuncto cum duratione A, involvitur duratio A per ſuam eſſentiam diſtans à duratione B, vtpote per ſuam eſſentiam prior illa. Min. verò probatur: Petrus, vt eſſentialiter diſtans à duratione B, nihil poteſt præſtare pro ea duratione à ſe diſtanti; quod conſtituatur per eius exiſtentiam. Quomodo enim præſtare poterit per ſuam exiſtentiam aliquid pro eo inſtanti à quo eius exiſtentia diſtat? Sed excludere ſuam carentiam abſolutam ab inſtanti B, eſt aliquid per ſuam exiſtentiam præſtare pro eo inſtanti. Nam eſt facere ne pro eo inſtanti detur ea carentia, quod non aliter fieri poteſt niſi per ſuam exiſtentiam formaliter oppoſitā cum ſua carentia: ergo. Confirmat. 1. Nulla forma poteſt præſtare ſuum effectum formalem exiſtentialem in genere phyſico pro inſtanti, pro quo non exiſtit: ergo nulla entitas poteſt excludere formaliter

tet

tet per ſe ipſam ab inſtanti, in quo non exiſtit. Probo conſeq. Ideo antecedens eſt verum, quia effectus formalis exiſtentialis formæ conſtituitur per ipſam formam phyſicè exiſtentem; ſed excluſio formalis carentiæ conſtituitur, ſeu fit formaliter per entitatem illi oppoſitam phyſicè exiſtentem: ergo ſi nulla forma poteſt præſtare ſuum effectum formalem pro inſtanti, pro quo non exiſtit, nulla entitas poteſt excludere ſuam carentiam ab inſtanti, in quo non exiſtit. Confirm. 1. Sicut Petrus exiſtens in A, eſſentialiter diſtat à B, ita carentia abſoluta Petri vt exiſtens in B, eſſentialiter diſtat à duratione A; ſed Petrus vt eſſentialiter diſtans à ſua carentia non poteſt illam excludere: quia non opponitur cum carentia vt á ſe diſtante, cum tantum petat non coniungi cum illa: ergo. Hinc.

10 Probo 2. & à priori concluſionem. Oppoſitio eſſentialis duplicis contradictorij obiectivi ſtat cum eo, quod exiſtant pro diverſis inſtantibus: ergo exiſtente vno in inſtanti A, poteſt exiſtere aliud in inſtanti B. Probo antec. Oppoſitio eſſentialis duplicis contradictorij obiectivi ſtat in eo, quod nulla potentia poſſint coniungi; ſed nulla potentia poſſe coniungi ſtat cum eo, quod exiſtant pro diverſis inſtantibus: ergo oppoſitio eſſentialis duplicis contradictorij ſtat cum eo, quod exiſtant pro diverſis inſtantibus. Min. difficilis probatur. Nulla potentia poſſe coniungi ſtat in eo, quod neceſſario exiſtant diviſa, quæ autem exiſtunt pro diverſis inſtantibus exiſtunt diviſa, vt patet, cum inſtantia ſint inter ſe diviſa, imò, & cum durationes diverſorum inſtantium ſint eſſentialis diſtantia vnius ab alio. Confirmantur 1. Petrus vt exiſtens in A non coniungitur cum carentia vt exiſtente in B. Quid clarius? Sed Petrus vt exiſtens in A permittit exiſtere ſuam carentiam, modo non coniungatur cum illa: ergo Petrus vt exiſtens in A permittit ſuam carentiam exiſtere in B. Confirmatur 2. Oppoſitio eſſentialis vnius cum alio non exigit, quod ſi in vno inſtanti exiſtit vnum, in nullo inſtanti exiſtat aliud: ergo oppoſitiò eſſentialis duplicis contradictorij obiectivi ſtat cum eo, quod exiſtant pro diverſis inſtantibus. Antec. conſtat: nam duæ formæ eſſentialiter contrariæ, & inconiungibiles (ponamus tales eſſe gratiam, & peccatum) non ita ſe excludunt, vt eſt manifeſtum: gratia enim, & peccatum exiſtunt pro diverſis inſtantibus. Stat igitur oppoſitio eſſentialis vnius cum alio, cum eo quod exiſtant pro diverſis inſtantibus.

11 Reſpondebis, ex eo quod duo contradictoria exiſterent pro diverſis inſtantibus, inferri neceſſario ea coniun-

gi in rebus: cum enim carentia rei illam abſolutè excludat, ſequitur quod excludat ab omni inſtanti; ac proinde quod ſi in aliquo exiſteret, exiſteret ſimul, & non exiſteret in illo: Sed contra primo. Ex eo quod carentia abſoluta Petri exiſtens in inſtanti B, abſolutè excludat Petrum (in ſenſu, ſano, quem ly *abſolutè* poteſt facere) non ſequitur illam carentiam exiſtere in inſtanti. A. ergo non infertur, quod coniungeretur cum Petro exiſtente in inſtanti A. Eſt certum: quia ſi ea carentia non exiſtit in inſtanti A, quomodo poteſt coniungi in inſtanti A cum Petro. Probo antec. Tàm abſolutè excludit Petrus ſuam carentiam, & tàm ſtrictè opponitur cum illa, ac illa excludit, & opponitur cum Petro. Eſt etiam certum; ſed ex eo, quod Petrus abſolutè excludat ſuam carentiam, non infertur Petrum exiſtentem in A, exiſtere etiam in B, alias ſemel exiſtens, neque per defectum durationis poſſet deficere: ergo ex eo, quod carentia exiſtens in B, abſolutè excludat Petrum, non ſequitur talem carentiam exiſtere in inſtanti A. Contra 2. Non magis abſoluta eſt carentia rei, quam eſt abſoluta eius exiſtentia; ſed exiſtentia abſoluta rei per durationem A, ita limitatur ad durationem A, vt præſcindat omnino à duratione B. Ergo carentia abſoluta rei per durationem B, ita limitatur ad inſtans B, vt præſcindat omnino à duratione A; ſed carentia vt præſcindens à duratione A, non coniungitur cum eo quod exiſtit in A: ergo carentia vt exiſtens in B, non coniungitur cum Petro exiſtente in A.

12 Contra 3. Ex eo quod duo contradictoria exiſtant pro diverſis inſtantibus, nulla ratione valet inferri ea coniungi in rebus: ergo poſſunt ita exiſtere. Probo antecedens: quia ex eo quod duo contradictoria exiſtant diviſa, nulla ratione valet inferri ea exiſtere coniuncta; ſed duo contradictoria exiſtere pro diverſis inſtantibus eſt exiſtere diviſa: ergo ex eo quod exiſtant pro diverſis inſtantibus nulla ratione valet inferri ea coniungi in rebus. Vrgetur hæc ratio 1. Oppoſitio contradictoria tantum petit, ne res ſimul ſit, & non ſit, ſeu ne coniungantur ſimul rem eſſe, & non eſſe; ſed evidens eſt non eſſe ſimul eſſe, & non eſſe rem, quæ eſt pro vno inſtanti, & non eſt pro alio; & non coniungi, & dari ſimul, rem eſſe, & non eſſe, quæ dantur pro diverſis inſtantibus: ergo. Neque dicas carentiam eo ipſo, quod exiſtat in vno, exituram in alio, titulo excludendi abſolutè ſuum contradictorium, quia vt ſuprà arguebam, non minus abſolutè excluditur carentia Petri ab ipſo, quam illum excludit. Et tamen ti-

titulo ita excludendi abſolutè, Petrus exiſtens in vno inſtanti non debet exiſtere in alio. Vrgetur. 2. Durationes A, & B, non coniunguntur in rerum natura; non alia ratione, niſi, quia diverſa inſtantia conſtituunt: ergo, quę in diverſis durationibus exiſtunt, non coniunguntur in rebus, quia non coniunguntur, quæ duntaxat exiſtunt affixa ad inſtantia non coniuncta.

13 Explicantur, & confirmantur dicta, primo. Petrus vt exiſtens in A, non coniungitur cum Petro v. gr. exiſtente in B: ergo Petrus vt exiſtens in A, non coniungitur cum ſua carentia exiſtente in B: Probo conſeq. Ideo antecedens eſt verum, quia in illo complexo includitur duratio A, eſſentialiter diſtans à duratione B, quę includitur in ſecundo complexo; ſed etiam in Petro exiſtente in A, includitur duratio A, eſſentialiter diſtans à duratione carentiæ exiſtentis in B. Ergo Petrus exiſtens in A, non coniungitur cum ſua carentiā exiſtente in B. ergo abſolutè diſtat, & non eſt ſimul cum ſua carentia; omnis enim diſtantia, aut indiſtantia in rebus conſtituitur per durationes per ſe ipſas diſtantes, aut indiſtantes. Vnde fit, quod res, quæ durationibus diſtantibus gaudent, ſimpliciter diſtent inter ſe: ergo cum Petrus exiſtens in A, & carentia exiſtens in B, habeant durationes diſtantes, ſimpliciter diſtant inter ſe, & non cōiunguntur. Neque refert ſi dicas, quod licèt non coniungerentur ſecundum durationes, coniungerentur tamē in rebus. Tùm quia id videtur opponi cum eo, quod adverſarij intendunt, nempè, exticuram rem in inſtanti A, & non exticuram in eodem inſtanti, ſi in alio exiſteret eius carentia. Tū quia cōiungi in rebus, & in rerū natura rē, & eius carentiā, nihil aliud eſt, quam coniungi has res, ſcilicèt Petrum, & eius carentiā. Satis autem manifeſtum videtur, vel ex ſola apprehenſione terminorum, non coniungi illas res, quæ exiſtunt cum durationibus diſtantibus inter ſe.

14 Explicatur 2. Eo præciſe, quod intelligantur Petrus, & eius carentia non intelligitur eorum ſimultanea exiſtentia. Si enim aliquid intelligitur potius eſt determinatio, vt non coniungantur; non enim identificant ſecum diſtantiam, aut indiſtantiam temporalem: alias deſtrueretur ſuppoſitio de diſtinctione durationis, & rei durantis: ergo non eo præciſe, quod intelligantur exiſtentes Petrus, & eius carentia (præſcindendo mentaliter à duratione, ſi in ea præciſione poſſunt intelligi exiſtentes, prout contendunt adverſarij) intelligitur Petrum eſſe cum ſua carentia. Probo hanc conſeq. Tùm quia implicat concipi ſimultatem duorum præſcindendo à tempore, cum omnis ſimultas per durationes conſtituatur. Tùm quia implicat Petrum intelligi ſimul cum ſua carentia per

per id præciſſe quod intelligatur exiſtens id, quod ex ſe præſcindit à tali ſimultate, & conſtitutivis illius; ſed Petrus, & eius carentia vt exiſtentes (præſcindendo mentaliter à duratione, ſi fieri poteſt) diſtinguuntur realiter, & præſcindunt omnino à ſimultate, vtpote conſtituta per durationem: ergo non eo præciſſe, quod intelligantur exiſtentes in ea præciſione Petrus, & eius carentia, intelliguntur eſſe ſimul. Ex his ſic promoveo argumentum.

15 Petrum exiſtere, & carentiam exiſtere præſcindendo à duratione non eſt Petrum coexiſtere, & eſſe ſimul cum ſua carentia: ergo Petrum exiſtere in inſtanti A, & carentiam exiſtere in inſtanti B, non eſt Petrum coexiſtere ſuæ carentiæ. Probo conſequentiam. Durationes, quæ ſecundum ſe ſumptæ non conſtituunt ſimultatem, ſed diſtantiam, non conſtituunt talem ſimultatem, neque illam inferunt, per id quod coniungantur rebus adæquatè diſtinctis, & præſcindentibus à tali ſimultate. Vel clarius. Res quæ ſecundum ſe ſumptæ non conſtituunt, ſed omnino diſtinguuntur, & præſcindunt à ſimultate, non ſunt ſimul per id, quod illis ſupperadditur, quod eſſentialiter conſtituit diſtantiam: ſed Petrum exiſtere in inſtanti A, & carentiam exiſtere in inſtanti B, vnice addit Petro, & eius carentiæ durationes A, & B, conſtituentes eſſentialiter diſtantiam: ergo ſi Petrum exiſtere, & carentiam exiſtere, præſcindendo à duratione, non eſt Petrum coexiſtere, & eſſe ſimul cum ſua carentia, Petrum exiſtere in inſtanti A, & carentiam exiſtere in inſtanti B, non eſt Petrum coexiſtere, & eſſe ſimul cum ſua carentia.

16 Dices, non intelligi formaliter talem ſimultatem; bene vero illativè, quia carentiam Petri exiſtere in B, infert Petrum non exiſtere in A. Sed contra 1. quia id non infert titulo excludendi abſolutè Petrum, vt ſupra probavi, & non apparet alius titulus, ex quo id inferat. Contra 2. Carentia ſe ipſa non eſt determinata ad exiſtendum in A, ſicut nec Petrus, alias tueret diſtinctio durationis, & rei durantis contra ſuppoſitionem. Deinde carentia, vt coniuncta cum duratione B, nihil addit per quod carentia determinetur ad exiſtēdum in A: nam à quo determinabitur ad hoc, vt in eo inſtanti exiſtat per durationem eſſentialiter ab A diſtantem? Contra 3. Carentia vt exiſtens in B, non tollit Petrum exiſtere in A: ergo non infert ſe exiſtere in A. Prob. antec. Carentia vt exiſtens in B, titulo oppoſitionis cum Petro, tantum excludit, ne Petrus ſibi coexiſtat; ſed Petrum exiſtere in inſtanti A, non eſt coexiſtere carentiæ exiſtenti in B: ergo, Neque recurras ad coexiſtentiam in rebus. Nam coexiſtere

Digitized by Google

in rebus, vt dixi, eſt coexiſtere has res, ſcilicet, Petrum, & eius carentia, & manifeſtum eſt non coexiſtere has res, ſi alia datur in A, & alia in B: omnis enim coexiſtentia ſtat in durationibus temporaliter penetratis.

17 Tandem declarantur, & roborantur dicta. Carentia hodie exiſtens non eſt determinata, vt ſemper exiſtat: ergo ex ſuppoſitione, quod exiſtat hodie carentia abſoluta rei, poteſt heri extitiſſe res, cuius eſt carentia. Conſeq. legitima eſt iuxta doctrinam adverſariorum, & antec. probatur: Petrus heri exiſtens non eſt determinatus, vt ſemper exiſtat: ergo carentia Petri hodie exiſtens non eſt determinata, vt ſemper exiſtat. Conſeq. prob. efficaciter à paritate, quia ſicut Petrus per durationem heſternam limitatur, vt heri exiſtat, ita carentia per durationem hodiernam limitatur, vt hodie exiſtat: deinde tàm abſolute exiſtit Petrus heri exiſtens, quam carentia Petri hodie exiſtens: inſuper non poteſt eſſe magis neceſſaria carentia Petri, quam Petrus ipſe: æquè enim contingens debet eſſe vnum contradictorium ac aliud: ergo ſi Petrus heri exiſtens non eſt determinatus, vt ſemper exiſtat, carentia Petri hodie exiſtens non eſt determinata, vt ſemper exiſtat. Vrgetur amplius. Non eſt magis neceſſarium non exiſtere Petrum, quam eſt Petrum exiſtere; ſed vtrumque eſt æquè contingens: ergo ſicut Petrus exiſtens in inſtanti A habet contingentiam deficiendi in B, ita non eſſe Petri exiſtens in vno inſtanti habet contingentiam deficiendi in alio; ſed non habebit niſi poſſit Petrus exiſtere in alio inſtanti, quia non poteſt carentia abſoluta Petri deficere niſi exiſtat Petrus: ergo exiſtente carentia abſoluta Petri in vno inſtanti poteſt Petrus exiſtere in alio.

18 Prob. 3. Concluſionem. Petrus exiſtens in inſtanti A poteſt deficere, & deficit defacto in inſtanti B; ſed non deficiet in inſtanti B, niſi in inſtanti B detur eius carentia abſoluta; ergo carentia abſoluta Petri exiſtentis in inſtanti A poteſt exiſtere in inſtanti B. Min. quæ ſola difficilis eſt probatur. Si Petri exiſtentis in inſtanti A nequit dari in B carentia abſoluta, Petrus ex ſuppoſitione ſuæ exiſtentiæ in inſtanti A eſt ſimpliciter neceſſarius in rerum natura, & à rerum natura indefectibilis. Patet: quia id eſt ſimpliciter neceſſarium, & à rerum natura indefectibiles, cuius contradictorium eſt impoſsibile in rerum natura; ſi autem Petri exiſtentis in A, nequit dari carentia abſoluta in B, contradictorium Petri ſemel exiſtentis eſt impoſsibile in rerum natura; ſed

Petrus, qua ratione eſt neceſſarius in rerum natura, & à rerum natura indefectibilis, exiſtit in inſtanti B: ergo ſi Petri exiſtendi in A, non datur in B carentia abſoluta, Petrus non deficiet in inſtanti B. Probo minorem. Ea ratione, qua Petrus eſt in rerum natura neceſſarius, coexiſtit omni exiſtenti in rerum natura: neceſſarium enim vt tale coexiſtit omni exiſtenti: ergo coexiſtit in inſtanti B, ac per conſequens non deficit in inſtanti B.

19. Confirmatur 1. Quidquid ſupervenit rei neceſſariæ, vt tali, illi coexiſtit: ſed inſtans B ſupervenit Petro, neceſſario exiſtenti in rerum natura ex ſuppoſitione, quod ſemel exiſtat: ergo inſtans B, neceſſario coexiſtit Petro ex ſuppoſitione, quod ſemel exiſtat. Maior ſola poſſet egere probatione; ſed certe nimis clara videtur: ſi enim res A ſemel exiſtens, deficere nequit, & vltra illam aliquid vlterius datur, neceſſarium eſt, quod con iungatur cum illo. Confirmatur 2. & clarius. Exiſtente Petro in inſtanti A, non ſolum eſt conſequenter neceſſarium, Petrum exiſtere in inſtanti A; ſed vlterius ipſe Petrus, vt præciſſus à duratione A, eſt conſequenter neceſſarius, ita vt ſecundum ſe indefectibilis ſit à rerum natura: ergo inſtans B invenit Petrum exiſtentem, & in rerum natura indefectibilem, ſeu advenit Petro, vt tali; ſed id quod advenit alij, vt exiſtenti, & indefectibili in rerum natura illi coexiſtit: ergo Petrus exiſtens in rerum natura, coexiſtit inſtanti B: ergo neque poteſt deficere in B, per defectum abſolutum, neque per defectum reſpectivum. Confirmatur 3. efficaciter. Deus non alia ratione neceſſario coexiſtit omni creato, ex ſuppoſitione, quod hoc exiſtat, cum neceſsitate antecedenti, vt ita coexiſtat, niſi quia Deus eſt antecedenter indefectibilis, & neceſſario exiſtens in rerum natura ſecundum ſe, & independenter ac omni alio à ſe diſtincto. Cuius nulla alia ratio eſſe potes, niſi eius indefectibilitas, & neceſsitas in exiſtendo: ex hoc enim capite ſolo, quidquid creatum exiſtat debet Deo coexiſtere: neque enim Deus eſt ex ſe determinatus, vt noſtro tempori extrinſeco coexiſtat, neque illi coexiſtit per durationem ſuperadditam, ſed vnicè per eſſentiam neceſſariò exiſtentem, & indefectibilem; ſed Petrus ſemel exiſtens eſt conſequenter indefectibilis, & ſecundum ſe, & vt diſtinctus ab alio, neceſſarius in rerum natura ex ea ſuppoſitione: ergo neceſſario coexiſtit omni tempori extrinſeco ex ſuppoſitione, quod ſemel exiſtat, conſequenter ad id, quod ſemel exiſtat.

20. Forraſſe reſpondebis

bis nõ ſufficere, vt res exiſtat in inſtanti B, quod ea detur, ſeu non deficiat abſolute in rerum natura; & quod illud inſtans in ſua menſura exiſtat: ſed alias eſſe neceſſarium, quod exiſtat reſpectivè ad illud inſtãs. Licet autem res ſemel exiſtens, ſit indefectibilis à rerum natura, eſt tamen defectibilis per defectum reſpectivum, nempè, per carentiam durationis B, & alias hoc argumento deſtruimus ſuppoſitionem de diſtinctione durationis ab entitate, & tempore extrinſeco: ſed hæc ſolutio videtur petitio principij: contendit enim argumentum, rem ſemel exiſtentem non poſſe deficere adhuc per defectum reſpectivum: quia non deficiet in inſtanti B, ſed illi coexiſtet & ſolutio eſt, rem non coexiſturam inſtanti B: quia deficiet in illo per defectum reſpectivum. Deinde fateor hoc argumento everti diſtinctionem durationis à complexo entitatis, & temporis extrinſeci; ſed id vnicè probat adverſarios implicari in terminis, cum neceſſario evertenda ſit in eorum opinione illa diſtinctio, ſine qua eorum ſententia nequit ſtare.

21 Quod vt clarius fiat, pone, me aſſerere, Petri exiſtentis nunquam poſſe dari carentiam abſolutam, vt in aſſeris: & vlterius ex hoc principio me aſſerere, Petrum ſemel exiſtentem in A; exiſtere in inſtanti B, certè omnia argumenta, quæ pro illa diſtinctione fiunt, nullo negotio ſolventur: nam dicam, Petrum ſemel exiſtentem, non eſſe indifferentem, vt exiſtat, vel non exiſtat in inſtanti B; ſed determinatum, vt omni tempori extrinſeco coexiſtat: eſt enim ſemel exiſtens indefectibilis à rerum natura, & omne indefectibile neceſſario coexiſtit omni exiſtenti. Vnde negabo facile, iuxta tua principia aliquid poſſe verificari de duratione Petri, & de exiſtẽtia ſimultanea ipſius, & temporis extrinſeci, quod non verificetur de complexo, vtriuſque: ergo vt ea diſtinctio defendi poſsit dicendum eſt, adveniente inſtanti B. poſſe Petrum deficere per carentiam abſolutam in illo.

22 Tandẽ probatur cõcluſio tradita ab abſurdis, quę ex oppoſita ſententia inferuntur. Primum eſt, rem ſemel exiſtentẽ, eſſe ſimpliciter indeſtructibilem à Deo, Probatur. Res ſemel exiſtens ita neceſſario exiſtit in rerum natura vt nõ poſsit à rerum natura deficere; ſed quod ita exiſtit in rerũ natura, vt nõ poſsit à rerum natura deficere, eſt ſimpliciter indeſtructibile: ergo res ſemel exiſtens, eſt ſimpliciter indeſtructibilis. Mai. eſt adverſariorum doctrina, min. ex terminis ſatis clara, probatur. Quod nõ poteſt deſinere eſſe in rerum natura, eſt ſimpliciter indeſtructibile; ſed quod ita exiſtit in rerum natura, vt nõ poſsit à rerũ natura deficere, nõ poteſt deſinere eſſe in rerũ natura: ergo quod

ita exiſtit in rerum natura, vt non poſſit à rerum natura deficere, eſt ſimpliciter indeſtructibile. Mai. eſt certa, & min. non videtur egere probatione. Id enim, à quo non aufertur eſſe quod habet, qua ratione verè deſtruitur? Certè deſtrui rem ex ipſis terminis eſt amittere ſuum eſſe: id autem, quod non poteſt deſinere eſſe in rerum natura, non amittit ſuum eſſe, vt patet.

23 Explicatur id, præoccupando ſolutionem, quæ ſolet adhiberi. Nulla alia ratione Petrus, ſemel exiſtens, poteſt deſtrui à Deo, iuxta adverſarios, niſi quia poteſt facere, ne exiſtat in inſtanti B, non donando illi durationem B, non vero, quia auferat à Petro, habere in rerum natura illud ſuum eſſe abſolutum, quod ante inſtans B. habebat: id enim iuxta ipſos metaphyſice repugnat; ſed id non eſt propriè Petrum deſtrui: deſtrui enim rem aliquam non ſtat in eo, quod aliquid denuò non requirat; ſed in eo quod amittat, quod habebat: alias diceretur homo deſtructus per id præciſsè, quod ipſi non tribuatur aliquid diſtinctum ab ipſo, & ab omni eo, quod ſemel habet, quod non niſi impropriiſsimè diceretur: ergo cum debeat concedi, quamvis creaturam eſſe ſimpliciter deſtructibilem à Deo, concedendum eſt, rem ſemel exiſtentem, poſſe deficere per defectum abſolutum, & non duntaxat per defectum reſpectivum. Vrgeo. Illa res propriè deſtruitur, cuius datur propria deſtructio formalis, & immediata; ſed deſtructio formalis, & immediata rei eſt eius formalis carentia: ergo illa entitas propriè deſtruitur, cuius datur formalis, immediata carentia. Vrgeo 2. Vt res deſtruatur non modo debet verificari aliquid ipſi non conferri de novo, ſed deſinere eſſe quod erat, & amittere eſſe, quod habebat; ſed id non verificatur iuxta ſententiā adverſariorū, iuxta quam vnicè eſt rerum Petro non conferri vlteriorem durationem; non vero tolli à rerum natura eſſe, quod ſemel habet: ergo entitas ſemel exiſtens non poteſt propriè deſtrui.

24 Declaratur amplius. Petrum vt diſtinctum ab omni non ipſo deficere in B, darique defectum Petri prout ſic diſtincti eatenus præciſsè eſt verum iuxta adverſarios, quatenus datur defectus durationis B, adæquatè diſtinctæ à Petro; ſed quidquid voces multiplicentur, dari defectum rei adæquatè diſtinctæ à Petro, non eſt propriè Petrum deſtrui: ergo id non verificatur, ſi ſit vera eſt doctrina, quam impugnamus. Minor probatur. Quidquid ſtat cum eo, quod Petrus intrinſecè in ſe ipſo habeat ſuum eſſe, & quod intrinſecè in ſe ipſo non

non deficiat, non eſt Petrum propriè, & ſimpliciter deſtrui; ſed dari defectum rei adæquatè à Petro diſtinctæ, ſtat cum eo, quod Petrus intrinſecè in ſe ipſo habeat ſuum eſſe, & quod intrinſecè in ſe ipſo non deficiat: ergo. Explicatur amplius. Rem aliquam deficere ab aliquo à ſe diſtincto, licet ſit ipſam prout ab omni non ipſa deficere ab aliquo, non eſt illam in ſe ipſa, & vt diſtinctam ab omni non ipſa abſolutè deficere, aut in ſe ipſa abſolutè, & ſimpliciter deſtrui. Alias, Petrum vt diſtinctum ab omni non ipſo deficere à Roma, eſſet Petrum, vt diſtinctum ab omni non ipſo, obſolutè deficere. Quod nec adverſarij concedent; ſed præciſè dari defectum durationis B, præciſè eſt Petrum, vt diſtinctum ab omni non ipſo deficere ab aliquo à ſe diſtincto: ergo. Omitto plura, quibus poſſet idem aſſumptum roborari. Et venio breviter ab alia abſurda.

25 Sit igitur ſecundum abſurdum: nullum hominem re ipſa mori: Nam mori eſt deſinere eſſe vnionem animæ cum corpore: vt patet; ſed iuxta doctrinam contrariam non poteſt verificari eam vnionem deſinere eſſe; ſed vnice vnionem in rerum natura exiſtentem non habere talem durationem B, v. g. cum prius haberet durationem A: ergo nullus homo propriè moritur. Tertium, quo confirmatur præcedens eſt dari modo, & in hoc inſtanti vnionem materiæ, & formæ Div. Petri v. gr. ex quo infertur adhuc in ſenſu conceſſo ab adverſarijs Div. Petrum non fuiſſe mortuum. Ratio eſt, quia ea vnio ita datur in rebus, vt ſit eſſentialiter inſeparabilis à materia, & forma; ſed materia, & forma dantur modo: ergo, & vnio, quæ eſt inſeparabilis ab illis. Nam intelligibile non eſt, eam vnionem dari in materia, & forma, & has exiſtere modo, quin modo exiſtat ea vnio. Quartum ſit Div. Petrum modo exiſtentem in gloria eſſe in peccato læthali. Nam illud peccatum ſemel comiſſum datur in rebus, & quidem non in alio, quam in Div. Petro, qui modo eſt beatus. Ex quo quivis infinita alia abſurda deducet. Quintum ſit ſubſtantiam panis revera non converti in corpus Chriſti Domini. Nam ſubſtantia panis ſemel exiſtens ſub accidentibus panis videtur non poſſe non exiſtere in rebus ſub accidentibus ſi vera ſit opinio adverſariorum. Vnde vi verborum efficitur, vt non exiſtat nova duratio illius ſubſtantiæ, non vero vt illa ſubſtantia abſolutè ab accidentibus deficiat. Certe ego non auderem ſic enunciare, *in hoſtia conſecrata datur ſubſtantia panis*, licet cum eo addito, *in rerum natura*, & *non in duratione B*.

26 Sexto, & vltimo omiſsis alijs, quæ videri poſſunt apud PP. Izquierdo, & Quiros, lo-

locis citatis, infertur nullam formam pugnare cum alia, vt vnita eidem ſubiecto, ac proinde ſubſtantiam corporis Chriſti exiſtentem ſub accidentibus panis, non pugnare cum ſubſtantia panis, vt eiſdem accidentibus vnita. Probatur ſic. Quidquid permitit dari in rerum natura formam ligni, v.gr. vnitam materię non pugnat cum tali forma, vt vnita materię, ſed forma ignis permitit dari in rerum natura formam ligni vnitam materiæ: nam hanc vnionem ſemel exiſtentem, nec Deus de potentia abſoluta excludere poteſt à rerum natura, vt ais: ergo forma ignis non pugnat cum forma ligni, vt vnita eidem materiæ. Dices pugnare cum illa, vt in eodem inſtanti vnita. Contra: ergo abſolute non pugnat cum illa vnione, & cum forma, vt vnita; ſed cum duratione illius vnionis. Probo conſeq. primo abſolutè. Pugnare cum A non vt exiſtente in ſe, ſed vt tali modo diſtincto ab A exiſtente, non eſt abſolute pugnare cum A, ſed cum tali modo: nam opponi Petro, vt albo, & non aliter, quam vt albo non eſt opponi Petro, ſed albedini, vt patet: ergo pugnare cum vnione, non aliter, quam vt durante in B, non eſt pugnare cum vnione abſolutè; ſed cum duratione B. Mirum autem erit formam ignis exiſtentem in materia, nihil obſtare formæ ligni, quominus in rerum natura exiſtat in eadem materia, & obſtare durationem vnius durationi alterius. Equidem ignis eſt, qui comburit lignum, non autem duratio. Secundo, ad hominem. Ideo per vos carentia durationis B, exiſtens in C, non pugnat contradictoriè cum duratione B, quia non excludit illam à ſe ipſa, ſed à duratione C ab illa diſtincta: ergo ſi forma ignis non aliter pugnat cum forma ligni, niſi vt cum duratione B, non pugnat contrariè cum forma ligni, ſed cum duratione B. Plura alia addi poſſent, ſed breuitati conſulens, ea omitto, ſicut, & ſolutiones, quas adhibent noſtri RR. quia ſi dicta bene penetrentur facile erit cuiuis illas impugnare.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

27 Obijc. 1. Carentia abſoluta Petri exiſtens in inſtāti B excludit Petrū ab inſtanti A: ergo exiſtente Petro in inſtanti A nequit dari eius carentia abſoluta in B. Conſequentia eſt legitima, & antec. probatur. Carentia abſoluta Petri exiſtens in inſtanti B excludit Petrum à rerum natura; ſed Petrus eo ipſo, quod excludatur à rerum natura, nequit non excludi ab A: ergo. Min. prob. Excluſo á rerum natura Petro excluditur complexum hoc, *Petrum*

trum exiſtere inſtanti A: nam excluditur Petrus, qui eſt ſubiectum denominationis talis complexi, quo ſubiecto excluſo, ſtare nequit complexum illo intrinſece conſtans. Sed excludi à rerum natura hoc complexum, *Petrum exiſtere in* A, eſt ipſum excludi ab inſtanti A: ergo. Confirmatur 1. Petrus excluſſus à rerum natura neque poteſt eſſe albus, neque niger, non alia de cauſa, niſi quia eſt ſubiectum harum denominationum, *Petrus albus*, *Petrus niger*: ergo Petrus excluſſus à rebus, neque exiſtere poteſt in A, neque in B propter eandem rationem. Confirm. 2. Carentia abſoluta Petri ita excludit Petrum, vt non duntaxat excludat à Matrito, ſed etiam a Roma, & reliquis locis: ergo ita excludit illum, vt non tantum excludat ab inſtanti A, ſed etiam ab inſtanti B, & reliquis. Prob. conſeq. Quia ideò antec. eſt verum, quia excluſſo Petro à rerum natura, deficit à rerum natura ſubiectum harum denominationum, *Petrus exiſtit Matriti*, *Petrus exiſtit Romæ*: ergo idem quod prius.

28 Ad argumentum nego antecedens, ad cuius probationem diſtinguo mai. Excludit Petrum à rerum natura, quæ datur in inſtanti B, conced. mai. quæ datur in inſtanti, A, nego mai. & diſtinguo min. Eo ipſo, quod excludatur à rerum natura, quæ eſt in inſtanti A, concedo min. quæ eſt in inſtanti B, nego min. & conſequent. Ad cuius probationem reſpondeo illud complexum, & ſubiectum denominationis illius excludi per carentiā abſolutā ab exiſtendo in rerū natura, quæ coexiſtit tali carentiæ: nam vt ſect. 1. notavimus, nullum complexum intrinſecè conſtitutum per Petrum poteſt coexiſtere carentiæ abſolutę Petri. Hoc tamen nō obſtat quominus detur complexum intrinſecè claudens Petrum in inſtanti, in quo Petrus non excluditur. Itaque natura rerum nihil aliud eſt, quam res exiſtentes: hæ autem aliæ dantur in inſtanti A, aliæ in B, aliæ in reliquis, aliæ poſt alias: cum autem nulla ſit implicatio in eo, quod entitas ſit vna ex rebus exiſtentibus in inſtanti A, & non ſit vna ex rebus exiſtentibus in inſtanti B, nulla eſt implicatio in eo, quod excludatur à natura rerum, quæ ſunt in inſtanti B, quin in inſtanti A, excludatur à natura rerum, quę ſunt in eo inſtanti. Nulla enim implicatio, in eo, quod hæc denominatio, *Petrum exiſtere in inſtanti* A, deficiat formaliter ab exiſtendo in B, per defectum Petri, quin deficiat ab exiſtendo in inſtanti A. Dari enim in vno inſtanti, & non dari in alio non eſt coniungi exiſtentiam illius cum non exiſtentia.

29 Ad primam confirmationem reſpondeo, Petrum in inſtanti, in quo eſt excluſus à rerum natura, neque eſſe album, neque nigrum

grum, poteſt vero talis eſſe in inſtanti, in quo non ſit excluſus: ſimiliter ergo in inſtanti, in quo eſt excluſus à rerum natura, neque datur per ſtatum exiſtere in eo inſtanti, neque exiſtere in alio inſtanti. Sic enim coniungerentur eſſe excluſum, & non eſſe excluſum à natura rerum. Sed per hæc vnde probatur, non poſſe exiſtere in alio inſtanti aliquam ex illis denominationibus? Ad 2. confirmationem, cui valde inſiſtunt AA. oppoſitæ ſententiæ: rogo ab ipſis, cur non dicunt, quod ſicut deficere durationem A, eſt Petrum propriè, & ſubſtantialiter deſtrui, ita deficere præſentiam A, eſt eodem modo deſtrui? Certe ſicut per defectum durationis, Petrus vt diſtinctus ab omni non ipſo, deficit ab inſtanti B, v.g. vt aiunt, ita per defectum præſentiæ Romanæ Petrus, vt diſtinctus ab omni non ipſo, pari modo deficit à Roma. Et ſicut in hoc ſecundo caſu, tantum datur defectus immediatus Petri vt præſentis; non vero Petri ſecundum ſe ſumpti; ita in primo tantum datur defectus Petri, vt durantis: quorum vtrumque eſt dari defectum præſentiæ, & durationis adæquatè diſtinctarum à Petro. Certe ſic vrgentior videtur paritas.

30 Dices eſſe ingentem diſparitatem, quia licet Petrus deficiat à Roma, manet in eodem inſtanti in rerum natura; quare non poteſt deſtrui per defectum præſentiæ. Bene. Sed in primis dicam ego, quod licet per defectum durationis excludatur ab inſtanti B, non excluditur à natura rerum, ac proinde non deſtruitur propriè, vt arguebam ſect. 2. Deinde, omiſſo anteced. negato ab AA. citatis ſect. 1. accipio diſparitatem: & admitto carentiam Petri abſolutam non ſolum excludere Petrum à Matrito, ſed à Roma (per ſe quidem formaliter tantum Petrum excludit; illum vero excludi à Matrito, & Roma formoliter provenit à carentia præſentię) in inſtanti, in quo exiſtit talis carentia, ne alias ſimul tempore dentur Petrum eſſe, & non eſſe. At cum ex eo, quod Petrus exiſtat in B, & non exiſtat in A, aut econtra, non dentur ſimul, ſed ſucceſsive Petrum eſſe, & non eſſe, inde carentia excludens ab inſtanti B, non excludit ipſum ab inſtanti A.

31 Inſtabis 1. Nequit excludi à rerum natura hoc complexum *Petrum exiſtere in A*, quin Petrus excludatur ab inſtanti A: ſed carentia abſoluta Petri exiſtens in B, excludit à natura rerum hoc complexum, ſiquidem excludit Petrum, qui eſt pars eſſentialis illius: ergo excludit Petrum ab exiſtendo in A. Dinſtinguo mai. vt ſupra nequit excludi in A hoc complexum

plexum, quin excludatur ab A, concedo mai. in B, nego mai. Et hinc patet ad reliqua: nam aliud eſt excludi in B, illud complexum, quod ſtat in eo præciſsè, quod non detur in B, hoc quod eſt Petrum exiſtere in A. Et hoc eſt nimis verum, ſive deficiat illud complexum per defectum abſolutum alicuius ex conſtitutivis illius, prout nos contendimus; ſive per defectum reſpectivum, prout volunt adverſarij Aliud vero illud complexum excludi ab A, & ad hoc determinate requiritur, quod in A ſit excluſum illud complexum. Cum autem ex eo, quod in B, detur defectus ſivè omnium, ſivè alicuius ex conſtitutivis illius complexi, non probetur hucuſque illum defectum dari in A, adhuc non probatur defectum illius complexi exiſtentem in B, excludere illud ab exiſtendo in A.

32 Inſtabis 2. Carentia Petri ſecundum ſe, & vt diſtincta à quovis alio habet per ſuam eſſentiam excludere Petrum ab exiſtendo in inſtanti A, ſed in quocumque inſtanti exiſtat, exiſtit cum ſua eſſentia: ergo in quocumque inſtanti exiſtat excludit Petrum ab inſtanti A, Mai. prob. Quia ea carentia per ſuam eſſentiam excludit, quodvis complexum intrinſece conſtitutum ex Petro, ac proinde, hoc, *Petrum exiſtere in A*, quo excluſo Petrus excluditur ab A, vt patet. Inſtantia hæc non addit vim, ſed multiplicat terminos. Petrum excludi ab inſtanti A, formaliter, & determinatè dicit carentiam durationis A, ſicut Petrum excludi ab eſſe albi formaliter dicit carentiam albedinis. Quare quouſque probes durationem A, identificari cum Petro, non probabis carentiam Petri ſe ſola excludere Petrum ab A. Vnde patet maiorem eſſe falſam; neque probatio vrget, quia vt toties diximus carentia illius complexi excludens Petrum ab A, habet eſſe carentia excludens illud in inſtanti A, Cum autem carentia abſoluta non habeat per ſe exiſtere in inſtanti A, ſed ſit indifferens, vt exiſtat in A vel alio inſtanti, hinc per ſe ipſam non habet excludere rem ab inſtanti A.

33. Obijc. 2. Ex ſuppoſitione, quod carentia Petri exiſtat in B, nequit eſſe vera hæc propoſitio, *Petrus exiſtit in A*: ergo ex ſuppoſitione, quod Petrus exiſtat in A, nequit eius carenta exiſtere in B. Conſeq. per ſe patet, & antec. prob. Ex ex ſuppoſitione, vera eſt hæc propoſitio *Petrus non exiſtit in A*. Ergo non eſt vera propoſitio contradictoria. Antecedens prob. Quando datur infallibile fundamentum veritatis alicuius propoſitionis, talis propoſitio vera eſt; ſed carentia exiſtens in B. eſt infallibile fundamentum veritatis huius pro-

propoſitionis, *Petrus non exiſtit in A*, ſiquidem eſt illius verificativum. Ergo. Confirmatur 1. Vel datur de præſenti aliquid impediens veritatem huius propoſitionis *Petrus extitit heri*, vel nihil? Si ſecundum: ergo non datur hodie contradictorium huius, quod eſt Petrum extitiſſe heri. Si primum: ergo falſa eſt hodie ea propoſitio; ſed nihil poteſt impedire eius veritatem niſi carentia Petri: ergo hæc exiſtens hodie præſtat, ne ſit verum Petrum extitiſſe heri. Confirm. 2. Vel tam deficit hodie Petrum extitiſſe heri, quam exiſtere hodie, vel ſecus? Si ſecumdum: ergo non datur hodie contradictorium huius, quod eſt Petrum extitiſſe heri. Si primum: ergo tam falſum eſt Petrum extitiſſe heri, quàm falſum eſt exiſtere hodie.

34 Inſto argumentum in exiſtentia Petri, quæ eſt infallibile fundamentum veritatis huius propoſitionis, *Petrus exiſtit in A*: & tamen non eſt vera ea propoſitio eo præciſè, quod detur ea propoſitio in A, Dices, ideò eſſe, quia exiſtentia non ſe ſola, ſed vt coniuncta cum duratione A, eſt verificativum illius propoſitionis. Reſpondeo ſimiliter ad obiectionem carentiam non ſe ſolam, ſed vt coniunctam cum ſua duratione, qualis illa fuerit, eſt verificativum illius propoſitionis, *Petrus non exiſtit in A*, quia hęc aſſerit illud non exiſtere Petri dari in A, & per id, quod carentia Petri detur in B, non verificatur eam carentiam dari in A. Inſto etiam primam confirmationem ſupponendo Petrum extitiſſe heri, & non exiſtere hodie. Vel datur hodie aliquid impediens Petrum extitiſſe heri, vel non? Si ſecundum: ergo datur hodie Petrum extitiſſe heri, quod eſt chymæra. Si primum: ergo datur hodie contradictorium huius, quod eſt Petrum extitiſſe heri. Dices hodie dari aliquid impediens Petrum extitiſſe heri ab exiſtendo hodie; non ab exiſtendo heri? Reſpondeo ſimiliter hodie dari carentiam Petri, quę coniuncta cum ſua duratione hodierna impedit Petrum extitiſſe heri ab exiſtendo hodie; non vero ab exiſtendo heri, quia ad id opus erat eam carentiam extitiſſe heri coniunctam cum ſua duratione heſterna. Ad 2. Confirm. omiſſa inſtantia, dico vtrumque illud complexum æquè deficere ab exiſtendo hodie. Et nego inde ſequi falſum eſſe Petrum extitiſſe heri, quia ad id opus eſt, dari defectum excludentem à die heſterno, qui defectus non datur hodie.

35 Obijc. 3. Si Petrus exiſtens in A, deficeret in B, per carentiam abſolutam, nunquam exiſteret ex ſuppoſitione, quod aliquando exiſteret; ſed id implicat in terminis; ergo rei exiſtentis in A, nequit dari carentia abſoluta in B. Probatur mai. diffi-

ficilis. Carentia abſoluta Petri præſtat Petrum nunquam exiſtere: ergo ſi in A, exiſtit Petrus, & in B carentia, Petrus nunquam exiſtit ex ſuppoſitione, quod aliquando exiſtat. Prob. mai. Carentia abſoluta Petri abſolutè excludit Petrum; ſed abſolutè excludere Petrum, eſt præſtare, nunquam Petrum exiſtere; præſtare enim, quod in aliquo tempore non exiſtat, non eſt excludere abſolutè, ſed reſtrictè ad illud tempus: ergo. Confirmatur 1. Quando datur vnicus modus deficiendi abſolutè rem, deficit abſolutè res: ſed carentia abſoluta eſt vnicus modus deficiendi abſolutè rem: ergo exiſtente carentia deficit abſolutè res; ſed abſolutè deficere, eſt deficere ab omni tempore, præſenti, præterito, & futuro: ergo dari carentiam abſolutam rei, eſt rem excludi ab omni tempore, ac proinde nunquam exiſtere. Confirm. 2. Non ſtat veritas huius propoſitionis, *Petrus exiſtit*, ſine veritate huius, *Petrus aliquando exiſtit*: ergo non ſtat falſitas primæ ſine falſitate ſecundæ; ſed ſemel exiſtente Petro in A, ſecunda non poteſt falſificari: ergo neque prima; ſed carentia abſoluta falſificat primam, nempe hanc, *Petrus exiſtit*: ergo, & ſecundam, nempe hanc, *Petrus aliquando exiſtit*.

36 Mirabile ſemper mihi fuit hoc argumentum, quo probatur carentiam abſolutam Petri eſſe carentiam omnium durationum ipſius Petri: ſi enim illa ſe ſola excludit Petrum aliquando exiſtere, illa ſola erit non aliquando, ſeu nunquam durationum Petri, quouſque enim id formaliter intelligatur, non intelligitur Petrum nunquam exiſtere: neque enim poteſt intelligi, *nunquam* ſine defectu omnium durationum. Nego mai. & mai. probationis: ad cuius probationem deſumptam ex illo termino *abſolutè*, inſto in exiſtentia Petri; quæ abſolutè exiſtit; & tamen non exiſtit in omni tempore. Si ergo abſolutè exiſtere, non eſt exiſtere in omni tempore, cur abſolutè deficere erit deficere ab omni tempore? Imò aio implicare in terminis carentiam abſolutam ſe ſola, & vt abſoluta eſt, excludere ſiue ab omni, ſiue ab aliquo tempore. Munus enim excludendi à tempore eſt carentiæ reſpectiuæ, nempe durationis. Carentia autem abſoluta rei non debet ſumi, prout ſumitur ab adverſarijs, ſcilicet pro carentia vniverſaliter ab omni modo exiſtendi excludente: aliàs carentia abſoluta Petri eſſet carentia durationis, & præſentiæ, & aliorum modorum illius: dicitur ergo carentia abſoluta, quæ terminatur ad Petrum ipſum immediatè, & ad eius eſſe abſolutum, illud in ſe ipſo ſumptum, & non præcisè prout veſtitum aliquo reſpectu ab illo diſtincto, excludendo. Carentia vero reſ-

reſpectiva eſt, quæ non terminatur ad rem in ſe ipſa, ſed prout coniunctam non aliquo modo à ſe diſtincto, vt carentia præſentiæ excludens Petrum ab hoc loco, & aliæ ſimiles. Si autem carentia abſoluta eſſet, prout illam meditantur adverſarij, eſſet reſpectiva, vtpote excludens à duratione, quæ eſt reſpectus, & modus Petri.

37 Ad 1. confirm. fateor deficere abſolutè rem, quando datur vnicus modus deficiendi abſolutè; fateor deinde tunc deficere rem ab omni tempore, quia in eo inſtanti, in quo datur carentia, non poteſt dari res coniuncta cum aliquo tempore, quæ eſt veritas nimis clara. Nego vero deficere abſolutè, eſſe deficere ab omni tempore, prout aiunt adverſarij, imò addo id implicare ob dicta num. præcedenti: quia deficere abſolutè, eſt deficere defectu ſui non vero formaliter defectu temporis, licèt illativè ſit deficere in aliquo tempore. Prima conſeq. ſecundæ confirmationis eſt manifeſtè mala, & contra omnes regulas ſumularum: ſupponimus enim propoſitionem aſſumptam pro antecedenti eſſe hanc: *Petrus exiſtit in* A, quæ non ſtat ſine veritate huius, *Petrus aliquando exiſtit*. Inſto clare; non ſtat veritas huius, *Petrus eſt albus*, ſine veritate huius, *aliquis homo eſt albus*: ergo non ſtat falſitas primæ ſine falſitate ſecundæ. Negas, & bene, quia licet ea ſingularis eſſet falſa, poteſt hæc particularis eſſe vera. En ſolutionem. Deinde permiſſis reliquis, nego vltimam min. quia carentia exiſtens in B, non falſificat hanc, *Petrus exiſtit in* A, vt patet; ſed hanc, *Petrus exiſtit in* B.

38 Dices 1. carentia abſoluta debet abſolutè, & ſine limitatione excludere: ergo ab omni tempore. Conſeq. patet; quia excludere ab aliquo tempore eſt cum limitatione excludere. Confirm. Duratio B non poteſt limitare carentiam, ne exiſtat in A: ergo non poteſt illam limitare, ne excludat rem ab A. Inſiſtit etiam hæc inſtantia ſiniſtræ acceptioni carentiæ abſolutæ. Et inſtatur ſimili forma in exiſtentia abſoluta, quam eſſe talem non ſtat in eo tempore, nec per durationem B poteſt limitari, ne exiſtat in A, & tamen non eſt de ratione illius, quod exiſtat in omni inſtanti. Reſpondeo ergo de ratione carentiæ abſolutæ non eſſe excludere ſine limitatione ad inſtans, ſicut de ratione exiſtentiæ abſolutæ non eſt exiſtere ſine tali limitationẽ; ſed vnicè eſt excludere formaliter, & immediatè rem in ſe ipſa, & non præciſſè prout affectam aliquo à ſe diſtincto. Etſi vis adde in rebus abſolutis indifferentiam, vt earum carentiæ, ſicut ipſæ, ſint indifferentes, & non determinare ex ſe ad hoc inſtans præ alio. Ad confirm. carentiam non eſt limitata per durationẽ B. ne exiſtat in

in A, ſicut nec exiſtentia; limitatur ergo per ſuum contradictorium exiſtens in aliquo inſtanti, ne in eo inſtanti exiſtat.

39 Inſtabis. Ergo carentia excludit Petrum ab aliquo tertio nempe ab inſtanti: ergo non abſolutè: nam excludere abſolutè non eſt excludere præciſsè ab aliquo tertio. Non capio vim conſequentiæ: Inſto. Exiſtentia non excludit abſolutè, aut ſaltem non excludet abſolutè carentiam, quia non poteſt illam excludere ſaltem de facto, niſi in aliquo inſtanti. Dices quod licet in inſtanti excludat, excludit carentiam à rebus, & ſecundum ſe. Idem reſpondeo de carentia. Excludere à tertio, eſt inducere defectum vnionis rei ad ſubiectum media ſui vnione ad illud. Carentia non vnitur alicui ſubiecto vt excludat rem: neque inſtans rei eſt inſtans, cui vniatur carentia: inſtans enim intrinſecum rei eſt duratio, quæ deficit deficiente re. Si autem ſermo ſit de inſtanti extrinſeco, hoc non eſt ſubiectum rei, aut carentia, igitur veſtra doctrina eſt, carentiam non poſſe excludere rem niſi coniunctam cum duratione, quam habet, ſicut non poteſt niſi coniuncta cum actione productiva, & cum Deo, & cum omni termino connexionis. Ipſa tamen carentia rem ipſam in ſe ipſa ſumptam deſtruit, & non durationem illius, aut aliquam vnionem ad aliquod ſubiectum, niſi pure illativè.

40 Dices 2. Exiſtentia Petri eſſentialiter involuit, Petrum durare in aliquo inſtanti: ergo carentia illius eſſentialiter excludit Petrum durare in aliquo inſtanti; ſed quod exeludit Petrum durare in aliquo inſtanti, eſt Petrum nunquam exiſtere: ergo carentia abſoluta Petri eſt Petrum nunquam exiſtere. Inſto, eſſentia Petri vt exiſtens eſſentialiter involuit, dari aliquam cauſam ſui: ergo carentia eſſentialiter excludit dari aliquam cauſam Petri: ergo carentia Petri eſt nullam cauſam Petri dari, ac per conſequens eſt carentia Dei, & omnium cauſarum Petri: Reſpondebis, aliud eſſe excludere rem eſſentialiter involuentem aliam identice, aliud excludere, quod eſſentialiter involuit aliud per connexionem cum illo: non enim carentia excludens A, debet excludere terminos connexiònis illius. En ſolutio ad inſtantiam: quia Petrus non involuit per identitatem, ſe durare in aliquo inſtanti, ſed per ſolam connexionem: quapropter carentia Petri non excludit formaliter illum durare, ſed illam determinationem ad durandum in aliquo inſtanti. Dices: Durare Petrum in aliquo inſtanti, connectitur eſſentialiter cum Petro: ergo carentia Petri ſaltem illativè eſt Petrum non durare in aliquo inſtanti, quia carentia fundamenti connexio-

nis infert neceſſario carentiam termini. Diſtinguo conſequens: eſt Petrum non durare in aliquo inſtanti, quando ipſa exiſtit, concedo conſeq. quia in inſtanti, in quo datur carentia, non datur actu, rem exiſtere in illo inſtanti. Eſt in alio inſtanti, nego conſeq. quia quod res in hoc inſtanti, vel in illo inſtanti non detur, ſtat cum eo, quod detur in inſtanti antecedenti, aut ſequenti: ſicut quod entitas hic non exiſtens, hic nullam præſentiam habeat, ſtat cum eo, quod aliquam habeat Romæ, aut alibi.

41 Obijc. 4. Si res, & eius carentia abſoluta poſſent dari pro diverſis inſtantibus, eſſent veræ hæ duæ propoſitiones contradictoriæ: *res exiſtit in rerum natura, res non exiſtit in rerum natura*; ſed id implicat: ergo. Prob. mai. Eſſet vera prima: quia bene valet: *res exiſtit in inſtanti A: ergo exiſtit in rerum natura*: quia à reſtricto ad non reſtrictum bene valet affirmative. Eſſet vera ſecunda: quia carentia in quocumque inſtanti detur, excludit rem à rerum natura; ſed excluſa hac à rerum natura vera eſt hæc propoſitio: *res non exiſtit in rerum natura*: eſſet ergo vera vtraque propoſitio contradictoria. Ad hoc argumentum nego verificari tales propoſitiones contradictorias: quia ſolum verificantur: hæ: *res exiſtit in rerum natura in A, non exiſtit in rerum natura in B*. Nego etiam ibi argui à reſtricto ad non reſtrictum: quia eatenus ita argueretur, quatenus illa propoſitio præſcinderet à tempore, quod nullo modo admittendum eſt iuxta dicta initio ſect. 1. Nego quoque carentiam excludere ſuum contradictorium à rerum natura, niſi in, & à determinato inſtanti, in quo ipſa exiſtat. Dices, negari nequit, hanc eſſe bonam conſequentiam: *res exiſtit in A: ergo exiſtit*; ſed non alio modo, quam à reſtricto ad non reſtrictum: ergo. Omiſſa mai. nego min. quia ſi ibi datur conſequentia, erit, vel ab explicito ad implicitum, vel à ſingulari ad disiunctivam. Primo modo facit hunc ſenſum: *res exiſtit de præſenti in inſtanti A. vel extitit in A: ergo exiſtit, vel extitit*. Secundo modo ſic. *Extitit in inſtanti A: ergo exiſtit in aliquo inſtanti*. En nunquam arguitur præſcindendo à tempore.

42 Obijc. 3. Hæc eſt bona conſequentia, *Petrus exiſtit in A: ergo exiſtit*. Ergo ab oppoſito conſequentis arguitur rectè ſic. *Petrus non exiſtit: ergo non exiſtit in inſtanti A*; ſed carentia Petri eſt hic conceptus obiectivus, *Petrus non exiſtit*: ergo exiſtente carentia, vera eſt hæc propoſitio, *Petrus non exiſtit in inſtanti A*. Confirmatur. Hæc eſt recte conſequentia; *Petrus exiſtit aliquando: ergo exiſtit*. Ergo, & hæc, quæ eſt ab oppſito.

Pe-

Petrus non exiſtit: *ergo non exiſtit aliquando*; ſed carentia Petri, in quocumque inſtanti exiſtat, verificat hanc, *Petrus non exiſtit*: ergo, & hanc, *Petrus non exiſtit aliquando*. Reſpondeo ad argumentum, illam conſequentiam eſſe bonam, ſi in conſequenti faciat hunc ſenſum: *ergo exiſtit in aliquo inſtanti*, vel ſi implicitè referatur ad ſolum inſtans A: ſecus in alio ſenſu; vnde ſi hoc conſequens negetur in antecedenti alterius conſequentiæ negativæ, rectè arguetur. At carentia exiſtens in B, v. g. non negat illud conſequens in inſtanti A, in quo verificatur, *Petrum exiſtere*; ſed in inſtanti B, ac proinde non verificat hanc propoſitionem: *Petrus non exiſtit in A*, quæ opponitur cum conſequenti; ſed hanc, *non exiſtit in B*, quæ non opponitur cum illo. Ad confirmationem reſpondeo, illam conſequentiam fore rectam, ſi fit ab explicito ad implicitum: quia aliàs non capio illam: quia non poteſt eſſe à reſtricto ad non reſtrictum, vt ſupra dictum eſt. Non à diſiunctiva ad ſingularem, aut diſtributivam, vt eſt evidens: ergo tantum ab explicito ad implicitum. Vnde ſi in oppoſito ſervetur eadem acceptio copulæ, rectè arguitur: at carentia exiſtens in B, non verificat hanc, *non exiſtit*, in qua eadem acceptio copulæ maneat; ſed præciſsè hanc, *non exiſtit in B*; ex quo infertur veritas huius, *Petrus aliquandò non exiſtit*; non vero huius, *Petrus non aliquando exiſtit*, quę ſunt diverſæ propoſitiones iuxta Summulas.

43. Obiic. 6. Carentia abſoluta rei ſe ſola excludit abſolutè rem: ergo non indiget duratione, vt illam excludat: excludit ergo illam ab omni duratione. Probatur conſequentia: quia ſi indigeret alio, ſe ſolà non eſſet contradictorium rei, neque ſe ſolà illam excludere. Inſto, exiſtentia ſe ſola eſt exiſtentia abſoluta rei: ergo non indiget duratione vt exiſtat, & excludat ſuam carentiam. Inſto 2. Albedo ſe ſola eſt forma dealbans: ergo ſe ſola ſeclûſa vnione dealbat Petrum, quia ſi indigeret vnione non eſſe forma abſolutè dealbans. Si dicas aliud eſſe formam dealbantem, aliud exercitium, medio quo dealbat; neque opponi cum eo, quod albedo ſit abſolutè forma dealbans, quod indigeat alio à ſe diſtincto, vt præſtet ſuum effectum, modo illud non ſit forma dealbans; ſed exercitium medio quo dealbat? En ſolutio ad tuum argumentum. Carentia ſe ſola eſt forma abſolutè excludens, *vt quod*, ſicut exiſtentia ſola eſt, quæ abſolutè excludit carentiam. Sicut autem exiſtentia indiget duratione A, diſtincta, non vt forma, quæ excludat ſuam carentiam, ſed vt termino cum quo eſſentialiter connectitur vt illam,

illam excludat ſicut indiget actione productiva non vt forma à qua habeat excludere ſuam carentiam, ſed vt termino ſine quo non exiſtit, idem de carentia dicendum eſt.

44 Tandem, omiſsis pluribus levioris momenti. obijc. 7. Duratio, & eius carentia abſoluta nequeunt dari pro diverſis inſtantibus: ergo neque alia contradictoria. Antecedens prob. Carentia durationis hodiernæ eſt, quæ excludit illam ab exiſtendo, quando poteſt exiſtere; ſed ſemel exiſtente duratione hodierna non poteſt dari carentia illam excludens ab exiſtendo, quando poteſt exiſtere; ea enim duratio tantum poteſt exiſtere hodie, & ſemel quod hodie exiſtat, nequit non exiſtere hodie: ergo. Mai. Probatur. Carentia durationis hodiernæ eſt, quæ opponitur cum huius exiſtentia; ſed tantum opponitur cum exiſtentia durationis hodiernæ, quod ipſam excludit ab exiſtendo, quando poteſt exiſtere: ergo. Confirm. Ex ſuppoſitione, quod duratio hodierna ſit hodie, nihil poteſt præſtare, ne ea duratio ſit hodie; ſed carentia durationis hodiernæ præſtat, ne ea duratio ſit hodie: ergo. Maior eſt certa, & minor probatur. Duratio hodierna per ſuam eſſentiam eſt ſe eſſe hodie: ergo eius carentia per ſuam eſſentiam eſt durationem hodiernam non eſſe hodie: ergo præſtat durationem hodiernam non eſſe hodie. Confirmatur 2. Quod præſtat durationem hodiernam non eſſe cras, non opponitur cum duratione hodierna, cum potius ſit de eius eſſentia non eſſe cras; ſed carentia excludens durationem hodiernam ab exiſtendo cras præcisè præſtat, ne ſit cras: ergo non opponitur cum duratione hodierna.

45 Ad argumentum nego antec. & diſtinguo mai. probationis. Carentia contingens durationis hodiernæ, concedo mai. neceſſaria, nego mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Eſt dicere, cum contingens ſit durationem hodiernam exiſtere hodie, & neceſſarium ipſam non exiſtere cras, hinc carentia excludens ipſam hodie eſt contingens; ſed hæc eſt impotens exiſtere cras, ſicut ipſa duratio; nam solùm poteſt contingenter excludi, quando poteſt contingenter exiſtere; at vero carentia excludens cras hanc durationem eſt neceſſaria: ſi enim impoſsibile eſt exiſtere cras durationem, neceſſarium eſt eam cras non exiſtere, & hæc carentia ſolum poteſt excludere durationem à menſura, in qua non poteſt exiſtere, quia in ea menſura eſt neceſſaria eius carentia. Ad 1. confirm. diſtinguo min. ſub eiſdem terminis. Carentia contingens præſtat ne ſit hodie, concedo; carentia neceſſaria, nego min. & conſeq. Ad 2. reſpondeo carentiam ex-

excludentem durationem hodiernam à cras opponi contradictoriè cum illa: quia præſtat, ne detur cras in rerum natura, non duntaxat excludendo durationem chymæricam illius, ſed ipſum exiſtere hodie excludendo cras: quod autem duratio hodierna per ſuam carentiam habeat, non poſſe exiſtere cras, probat quidem neceſſario dari cras eius carentiam, ſicut impoſſibile eſſe impotens exiſtere, probat neceſſario dari carentiam illius. Quod ſi velis, non eſſe neceſſariam carentiam, vt duratio hodierna deficiat à cras: id quidem mihi verum eſt neganti carentias obiectivas; ſed præſens quæſtio, illis admiſſis debet diſputari.

36 Inſtabis. Quidquid non exiſtit in A, non eſt carentia durationis. A: ergo carentia exiſtens in B non eſt carentia durationis A. Prob. antec. Quod non exiſtit in A, non eſt durationem A, non exiſtere in A; ſed quod tale non eſt, non eſt carentia durationis A, cum hæc duratio ſit exiſtere in A: ergo. Nego ant. & diſtinguo mai. per quam probatur, non eſt durationem A, non exiſtere in A, pro A, concedo mai. pro B, nego mag. & omiſſa min. nego conſeq. Itaque in B, datur durationem A, non exiſtere in A, imò neceſſario datur, cum neceſſarium ſit non dari in B, hoc quod eſt durationem A, exiſtere in A. Huius ergo obiecti datur in B defectus neceſſarius: quia tamen eſt neceſſarius hic defectus pro B. & non pro A, hinc hoc, quod eſt exiſtere in A, excluditur ab A contingenter, & à B. neceſſario. Vnde eius defectus, nempe non exiſtere in A durationem A, datur neceſſario pro B, & contingenter pro A. Quod ſi tandem inſiſtas, quod ſicut non poſſunt dari duratio & eius carentia contingens pro diverſis inſtantibus, ita dicendum erit de entitate abſoluta, & eius carentia: eſt clariſſima diſparitas ex eo quod duratio tantum poteſt contingenter exiſtere in vno inſtanti, vnde tantum in illo poteſt contingenter excludi, at verò res, & eius carentia ſunt indifferentes, & non determinatæ ad aliquod inſtans: vnde poſſunt exiſtere in quovis.

DISPVTATIO VI.

De Augmentatione, & diminutione.

AVgmentatio ſubſtantialis, & diminutio ei oppoſita reperitur in viventibus, & in non viventibus, eamque comitatur augmentatio quantitativa, quæ appellatur augmentatio accidentalis. De vtraque agemus breviter in hac diſputatione.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit augmentatio?

1 AVgmentatio in tota ſua latitudine eſt *actio per quam aliquid fit maius*; ideſt, per quam acquiritur aliquid, quod additum ſubiecto præexiſtenti conſtituit illud maius. Dividitur in ſubſtantialem, & accidentalem. Augmentatio ſubſtantialis eſt actio, per quam compoſitum ſubſtantiale acquirit novas partes ſubſtantiæ, per quas maioratur ſubſtantialiter. Accidentalis eſt actio, per quam compoſitum ſubſtantiale acquirit novas partes quantitatis, per quas maioratur quantitativè, & hæc actio, vt diſtincta ab augmentatione ſubſtantiali, ſimplici voce appellatur accretio.

2. Augmentatio ſubſtantialis definitur ſic: *Motus à minori ad maiorem ſubſtantiam.* Per particulam *motus* convenit cum quavis productione termini, cuius privatio præceſsit in ſubiecto; & per particulam *à minori ad maiorem ſubſtantiam* differt à diminutione ſubſtantiali, quæ definitur *motus à maiori ad minorem ſubſtantiam*; & tandem per eandem particulam differt ab accretione, quæ eſt *motus à minori ad maiorem quantitatem.* Differt eſſentialiter augmentatio ſubſtantialis à generatione in duobus. Primo: quia generatio eſt à non ſubſtantia ad ſubſtantiam; augmentatio vero eſt motus à minori ad maiorem ſubſtantiam. Secundo, quia augmentatio eſt eſſentialiter mutatio ſubiecti à privatione maioris ſubſtantiæ ad ipſam maiorem ſubſtantiam; & generatio producens ſubſtantiam ante non exiſtentem in rerum natura non eſt eſſentialiter mutatio ſubiecti à privatione formæ ad formam, vt dictum eſt ſup. diſp. 2. ſect. 2.

3. In mutatione augmentativa, ſicut in quavis alia mutatione, dantur termini *à quo*, & *ad quem*. Terminus à quo eſt minor ſubſtantia ſecundum negativum, quod dicit; nempe ſecundum privationem, & carentiam maioris ſubſtantiæ; non ſecundum poſitivum: nam ſubſtantia præcedens augmentationem non ammittitur per adventum, & acquiſitionem novæ partis ſubſtantiæ. Terminus *ad quem* eſt nova pars ſubſtantiæ acquiſita, quæ adiuncta ſubſtantiæ præexiſtenti reddit eam maiorem. In diminutione ſubſtantiali, quæ eſt motus contrarius augmentationi, res ſe habent oppoſito modo. In ea enim terminus *à quo*, eſt pars ſubſtantiæ, quæ deperditur, & terminus *ad quem*, eſt minor ſubſtantia ſecundum negativum, quod dicit, hoc eſt ſecundum carentiam maioris ſubſtantiæ.

4. Vt autem mutatio aliqua dicatur augmentatio, non eſt neceſſe, quod ſubſtantia præ-

cedens evadat re ipſa maior per terminum de novo advenientem; ſed ſufficit, quod illa actio quantum eſt ex ſe ſit inductiva eius maioritatis. Si enim in inſtanti, in quo vivens acquirit novam partem ſubſtantiæ, amittit tantam, aut maiorem ſubſtantiam per diminutionem provenientem à contrarijs qualitatibus alimenti, actio acquiſitiva illius novæ partis ſubſtantiæ dicitur augmentatio: quia de ſe maioritatem ſubſtantiæ induceret; & extrinſecum eſt illi, quod ab ea cauſa impediatur maioritas. Sic dicitur quis quantum eſt in ſe augere aquam vaſis quando plus aquæ in illud infundit, licet aliunde effundatur tantundem. Similiter, ſi ſum per reactionem alimenti perditur aliqua pars ſubſtantiæ, acquirit vivens aliam, aut alias partes, deperditio illa abſolutè dicitur diminutio, quia de ſe eſt ſufficiens inducere minoritatem, licet hæc non ponatur in re.

5 Augmentatio ſubſtantialis alia eſt non viventium; alia viventium. Augmentatio non viventium contingit, vel quando vna ſubſtantia producit, & ſibi vnit continuativè aliam eiuſdem ſpeciei, vt quando ignis conceptus in prima parte ligni producit ſuam formam in parte proxima ligni continuativè vnita cum prima, & hæc augmentatio dicitur *aggeneratio*; vel quando abſque productione nova ſubſtantiæ alia ſubſtantia alteri vnitur, vt quando aqua vaſis augetur per vnionem ad aliam aquam antecedenter productam; & hæc actio dicitur augmentatio *ſimplex*. Augmentatio viventium contingit quando vivens attrahendo per poros, & venas alimentum, illud convertit in propriam ſubſtantiam, vel producendo in materia alimenti novam partem formæ, ſi forma viventis eſt diviſibilis integraliter; vel producendo vnionem formæ præexiſtentis cum materia alimenti, ſi forma viventis eſt integraliter indiviſibilis.

6 Hæc augmentatio propria viventium differt eſſentialiter à prima eorundem generatione. Tùm quia ſupponit eſſentialiter vivens iam genitum, & productum, quod per nutritionem tendit in ſuam perfectionem, & prima generatio non ſupponit; ſed primo producit viventis. Tùm quia habet principium diverſum à principio generationis: nam principium primæ generationis eſt ſemen parentum, & principium nutritionis eſt ipſum vivens, quod nutritur. Differt deinde in pluribus ab augmentatione non viventium: 1. Quia vivens non poteſt producere in ſubiecto extraneo partem ſubſtantiæ, per quam augetur; & non vivens poteſt eam producere in ſubiecto extraneo: nam ignis æquè benè produceret in paſſo omnino extraneo, & ſibi

non continuò formam ignis, quam defacto producit in parte ligni ſibi vnita continuativè. 2. Quia ad augmentationem non viventium neceſſaria eſt productio, ſeu acquiſitio novæ formæ, & ad augmentationem viventium ſufficit productio vnionis formæ præexiſtentis ad materiam alimenti. 3. Quia augmentatio viventium eſt actio vitalis; ſecus autem augmentatio non viventium, vt dicimus lib. 1. de Anima.

SECTIO II.

De Nutritione, & Augmentatione ſubſtantiali viventium.

7 NVtritio eſt actio, qua vivens acquirit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis, ſeu *Motus viventis à minori ad maiorem ſubſtantiam viventem.* Ad eam plures actiones neceſſariæ ſunt. Poſtquam enim cibus in ſtomacho concoquitur, ibique convertitur in chylum, & in hepar traiectus convertitur in ſanguinum, per venas, & poros attrahitur ab omnibus partibus viventis, vt vnaquæque portionem illius convertat in propriam ſubantiam.

8 In quo munere hæ intercedunt actiones. Prima, per quam quælibet viventis pars introducit in partem ſubſtantiæ alimenti attractam diſpoſitiones præparantes ad ſuam formam, & expulſionem formæ præcedentis in illa materia. Secunda, per quam producitur vnio continuans materiam alimenti cum materia viventis. Tertia, per quam vivens, conſtans forma integraliter diviſibili, producit in illa materia partem formæ, & illius vnionem. Quarta, per quam producitur vnio continuans eam partem formę cum forma præexiſtente. Quinta, per quam producitur vnio nectens vnionem materierum, & vnionem formarum inter ſe, & cum vnione viventis præexiſtentis. Si autem vivens conſtet, ſicut homo, forma integraliter indiviſibili, immediatè poſt ſecundam actionem ſuccedit alia, per quam vivens vnit ſuam formam cum materia alimenti; & immediatè poſt hanc alia, per quam producitur vnio nectens vnionem materierum, & vnionem formæ de novo productam cum vnione formæ præexiſtentis.

9 Difficultas eſt, in quanam iſtarum actionum conſiſtat formaliter nutritio? Communis ſententia, quam præalijs explicant Oviedo contr. 3. punct. 2. & Alphonſ. diſp. 8. ſect. 5. tenet conſiſtere formaliter in vltima actione numerata; ſcilicet in actione productiva vnionis vnionum, quæ actio appellari ſolet nutritio. Ratio eſt; namque nutritio con-

conſiſtit formaliter in actione, per quam vivens acquirit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis; ſed actio, producens vnionem vnionum, eſt actio per quam vivens acquirit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis: ergo nutritio conſiſtit formaliter in hac actione. Minor probatur: actio, per quam vivens vnit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis, eſt actio, per quam acquirit ſibi nova partem ſubſtantiæ viventis; ſed actio, producens vnionem vnionum, eſt actio, per quam vivens vnit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis: nam per eam producit vnionem nectentem cum vivente præexiſtente eam novam partem ſubſtantiæ: ergo actio, producens vnionem vnionum eſt actio, per quam vivens acquirit ſibi novam partem ſubſtantiæ viventis.

10 Confirmatur. Reliquæ omnes actiones poſſunt exiſtere, quin vivens ſit maius ſubſtantialiter, & quin faciat propriam novam partem ſubſtantiæ: hæc autem actio talis eſt, vt non poſſit exiſtere, quin vivens ſit ſubſtantialiter maius, & faciat propriam novam partem ſubſtantiæ; ſed nutritio ſtat formaliter in actione, per quam vivens fit ſubſtantialiter maius, facitque propriam novam partem ſubſtantiæ, & qua deficiente, reliquis actionibus manentibus, neque vivens fit ſubſtantialiter maius, neque facit propriam novam partem ſubſtantiæ: ergo nutritio conſiſtit formaliter in hac actione. Maior, in qua ſtat difficultas, quoad primam partem eſt certa: quia per reliquas actiones præcedentes ad actionem producentem vnionem vnionum nondum eſt vnita nova pars ſubſtantiæ ad vivens præexiſtens: quia earum munus ſolum eſt vnire materias inter ſe; & partes formę inter ſe, ſi forma eſt diviſibilis, vel vnire formam præexiſtentem cum materia alimenti, ſi forma eſt indiviſibilis; ſed totum hoc poteſt exiſtere, quin vivens pręexiſtens ſit ſubſtantialiter maius, quia poteſt exiſtere, quin illa nova pars ſubſtantiæ vniatur viventi præexiſtenti, cui vnicè vnitur per vnionem vnientem novam illam partem ſubſtantię cum vnione eſſentiali viventis pręexiſtentis: ergo reliquę omnes actiones poſſunt exiſtere, quin vivens pręexiſtens ſit ſubſtantialiter maius, & quin facia propriam novam partem ſubſtantię.

11 Secunda pars eiuſdem maioris probatur: quia actio producens vnionem vnionum, vtpote producens vnionem, quę eſt per eſſentiam ſuam modus vnionis materierum, & formę, vel formarum, & vnionis eſſentialis viventis præexiſtentis, nequit exiſtere abſque terminis actionum pręcedentium

& abſque illis actionibus, vt patet: deinde nequit exiſtere, quia nova pars ſubſtantiæ reſultans ex nova materia, & vel ex nova parte formæ, vel ex vnione formæ præcedentis cum materia alimenti, vniatur viventi præexiſtenti, & fiat illi propria, vt etiam conſtat: ergo hæc actio talis eſt, vt licèt aliæ actiones poſsint exiſtere, quin vivens ſit ſubſtantialiter maius, & quin acquirat novam partem ſubſtantiæ, ipſa tamen non poſsit exiſtere, quin vivens ſit ſubſtantialiter maius, & quin acquirat, & faciat propriam novam partem ſubſtantiæ. In hac igitur actione, & vnitione conſiſtit formaliter nutritio, & reliquæ aliæ ſe habent præſuppoſitivè, de connotato, & extra conceptum formalem nutritionis.

12. Dubitantur hîc aliqua. 1. Quænam ſit cauſa nutritionis? Reſpondeo eſſe ſolum vivens, quod nutritur. Tùnc quia nutritio eſt actio vitalis, & omnis actio vitalis procedit à vivente, quod vivit per illam. Tùm quia non eſt aliud, à quo vivens poſsit iuvari ad nutritionem. Quia licet temperamentum partis convertendæ in vivens poſsit iuvare diſpoſitivè, & in genere cauſæ efficientis moralis; non tamen in genere cauſæ phyſicè efficientis: nullum enim accidens concurrit adhuc partialiter ad productionem termini ſubſtantialis, vt probavimus lib. 2. Phyſic. diſp. 6 ſect. 2. Neque item poteſt iuvare agens aliquod extrinſecum concurrens efficienter phyſicè ſimul cũ vivēte quia actio vitalis, vt diſtincta à non vitali per ſe ipſam, excludit procedere ab alio, quam à vivente in ſenſu explicando lib. 1. de Anim.

13. Dubitatur 2. Vtrum pars alimenti converſa in vivens diſcontinuetur à parte proxima nondum converſa? Reſpondeo non diſcontinuari: quia neque neceſſaria eſt hæc diſcontinuatio ad nutritionem, neque datur ratio vrgens illam probans. Dices ſufficienter probari. 1. Quia materia viventis eſt ſolida, & materia alimenti magis liquida: ergo illæ materiæ non ſunt capaces vt phyſicè continuentur. 2. Quia indiviſibile vnitivum, & continuativum earum materierum, vel informaretur ſimul forma alimenti, & forma viventis, quod impoſsibile eſt; vel nulla earum formarum informaretur; quia non eſt ratio, cur informanda ſit altera præ altera forma. 3. Quia quando aqua convertitur in aër materia converſa diſcontinuatur à nondum converſa: ergo etiam diſcontinuabitur materia alimenti converſa in vivens à materia nondum converſa.

14. Hæc non vrgent. Non primum: quia materia alimenti proxima materiæ iam converſæ aliquam inducit duritiem per alterationem viventis, quod operatur vniformiter difformiter in partes alimenti applicati; & ratio-

ne huius duritiei rectè poteſt continuari cum materia magis ſolida, quæ proximè converſa eſt. Non ſecundum: quia vnitivum illarum partium materiæ non exiſtit in loco vtriuſque, ſed in loco vnius partis, quam Deus determinaverit, & illius ſolius forma informabitur, vt etiam dictum eſt in phyſica diſp. de continuo. Non tertium: quia materia aquæ converſa in aër, & pars proxima non dum converſa etiam continuantur per aliquod breve tempus vſque dum per agitationem aëris, vel per aliquod aliud agens extrinſecum, quod facile adeſt, corrumpitur vnio continuativa.

15 Dubitatur 3. Quæ partes viventis nutriantur, & quo tempore? Dico 1. Omnes partes viventis nutriuntur: quia omnes partes carneæ, nervoſæ, & oſſeæ creſcunt per intuſſumptionem, qui modus creſcendi importat nutritionem. Creſcunt tamen aliæ celerius, aliæ lentius, aliæ plus, aliæ minus; ideoque nutritio fit in ipſis difformiter quoad tempus, & quoad magnitudinem. Dico 2. Nutritio durat toto tempore vitæ, ſi nutritio accipiatur pro acquiſitione novæ partis ſubſtantiæ. Conſtat 1. Ex indigentia, & appetitu cibi per totam vitam. 2. Quia nutritio neceſſaria eſt, vt in ea occupatus calor nativus, non agat in humidū radicale; & illud abſumat, & pariter vivens. Inde experimento compertum eſt, quod vbi deficit per aliquod longum tempus alimentum deſerviens nutritioni, vivens tabeſcit, exſicatur, & moritur. Si autem nutritio accipiatur pro actione agente re ipſa ſubſtantiam viventis, & reddente vivens ſubſtantialiter maius, non durat per totam vitam. Nam vivens, dum pervenit ad *ſtatum*, fortè tantum ſubſtantiæ deperdit per diminutionem, quantum acquirit per nutritionem; & dum vergit in ſenectam, plus perdit per diminutionem, quam acquirit per nutritionem; vnde paulatim debilitantur eius vires, & patet additus contrarijs inducentibus mortem.

16 Dubitatur 4. Vtrū nutritio fiat ſucceſsive, & cōtinuè? Nutritionem fieri ſucceſsivè conſtat ex perientia: nunquam enim viſū eſt vivens, quod in inſtanti acquirat totam eam ſubſtantiā, quam habet in ſtatu perfecto: imò ſucceſsivè etiam acquirit quamvis partem diviſibilē materię alimenti. Cuius ratio eſt: quia nullam partē materię alimenti poteſt acquirere, & in ſe convertere quouſque ſit vltimò diſpoſita per temperamentum primarum qualitatum requiſitum ad formā vivētis; ſed partes materiæ diviſibilis alimenti vltimò diſponuntur ſucceſsivè, nempe, prius partes propinquiores, & poſteà remotiores: ſiquidem agēs diſponens operatur vniformiter difformiter per partes extenſionis paſsi: ergo vivēs acquirit ſucceſsivè materiā diviſibilē alimenti; & con-

conſequenter nutritio ſucceſsivè fit: cauſa verò huius ſucceſsionis eſt reſiſtentia qualitatū alimēti, quæ reagunt in vivens, & eius vires debilitant, ne ſimul operetur, quantum alias poſſet operari.

17. Quoad continuationem verò nutritionis duplex eſt oppoſita ſententia. Alia affirmat nutritionem, quæ de facto ſucceſsivè fit, fieri etiam continuè. Ita communiter Thomiſtæ, & ex noſtris Pereira, Conimbricenſ. Rubius, & alij, quos ſequitur Carleton. Alia negat nutritionem ſucceſsivam fieri continue. Ita Scotus in 4. diſt. 44. quæſt. 5. Toletus, Hurtado, Arriaga, Quiros, & plures alij ex RR. Et ex Thomiſtis idem ſentiunt Capreolus in 1. diſt. 17. q. 2. artic. 2. & Soncinas 8. met. quæſt. 24. & 28. Vtraque ſententia pro ſe refert D. Thomam, quod ſignum eſt Sanct. Doctoris mentem eſſe dubiam in hac re.

18. Sentio cum ſecunda ſententia, nutritionem non eſſe motum continuum. Ratio eſt; quia motus nutritionis fit iuxta ſucceſsionem motus alterationis, diſponentis materiam convertendam in vivens; nam vt dictum eſt ſuprà, nulla pars alimenti poteſt converti in vivens, niſi prius vltimo diſponatur per alterationem: ſed motus alterationis diſponentis materiam alimenti non fit ſucceſſive continuè, ſed diſcretè, & nonnullis interpoſitis morulis, vt conſtat ex dictis tract. 1. diſp. 4. ſect. 3. ergo motus nutritionis non fit ſucceſsivè continuè, ſed diſcretè, & nonnullis interpoſitis morulis.

19. Addo cum P. Quiros diſp. 71. nutritionem adhuc non eſſe ſucceſsivam per ſe; ſed totam eius ſucceſsionem provenire ex ſucceſsione alterationis, diſponentis materiam alimenti. Quare ſi vivens poſſet in inſtanti diſponere vltimo materiam diviſibilem alimenti, poſſed etiam in inſtanti eam ſibi acquirere per nutritionem. Probatur ſic. Forma, introducenda in materia diviſibili alimenti per nutritionem, eſt eiuſdem conditionis, & naturæ cum formæ primo introducta in materia diviſibili embrionis per generationem: ſed in prima generatione forma introducitur tota ſimul abſque vlla ſucceſsione in materia diviſibili, vltimo diſpoſita: ergo ſimiliter introducetur tota ſimul abſque vlla ſucceſsione in materia diviſibili alimenti, ſi ea invenietur, ſimul vltimo diſpoſita: ergo quod ſucceſsivè introducatur in materia diviſibili alimenti, provenit ratione ſucceſsionis alterationis, diſponentis partes materiæ, non verò ratione ipſius nutritionis.

20. Dices. Omne agens agit per ſe vniformiter diffor-
mitet

miter per partes extenſionis paſsi, ita vt prius, & plus operetur in parte proxima, quam in remotiori: ergo vivens ita etiam operatur in nutritione per partes materiæ diviſibilis, vt prius introducat ſuam formam in partem proximam materiæ alimenti, quam in partem remotiorem. Diſtinguo antecedens: agit *per ſe* vniformiter difformiter per partes extenſionis paſsi in productione accidentis, habentis contrarium, concedo: in productione ſubſtantiæ, nego antecedens, & conſequentiam: quia ſi vivens, dum ſe nutrit, inveniret ſimul diſpoſitam vltimo materiam diviſibilem alimenti, ſimul in ea introduceret ſuam formam, quæ capax eſt ſimul introduci in materia diviſibili, vltimo diſpoſita, vt patet in prima generatione. Quare ſucceſsio nutritionis non eſt ratione formæ introducendæ, & materiæ acquirendæ, ſed ratione ſucceſſionis qualitatis diſponentis.

21 Dixi actionem agentis eſſe *per ſe* vniformem difformem per partes extenſionis paſsi *in productione accidentis habentis contrarium*. Nam quando accidens producendum non habet contrarium, agens in inſtanti, & ſimul producit quantum poteſt etiam in paſſo diviſibili, vt patet in luce: etenim dum primò candela, applicatur aëri, producit abſque vlla ſucceſsione quantum poteſt in partes omnes ſuæ ſphæræ. Datur quidem etiam in hoc caſu vniformitas difformitas actionis, conſiſtens in eo quod plus lucis producit candela in parte vicina aëris, quàm in magis diſtante: quia melius, & magis applicata eſt primæ, quam ſecundæ; cæterum non datur vniformitas difformitas actionis arguens ſucceſsionem; nempè conſiſtens in eo quod prius operetur in parte proxima, quam in parte remota; ſimul enim operatur in omnibus. Quare forma ſubſtantialis viventis, quæ vt expellat formam contrariam alimenti, non plus exigit, quam quod illius materia ſit vltimo diſpoſita, careatque contrarijs qualitatibus, tota ſimul introduceretur à vivente in materia diviſibili alimenti, ſi hæc materia tota ſimul reperiretur à vivente, vltimò diſpoſita: ergo tandem ſucceſsio nutritionis *per ſe* provenit ratione ſucceſsionis alterationis præcedentis; non verò ratione ſui, & ex natura formæ introducendæ, & materiæ acquirendæ.

22 Dubitatur vltimò, Vtrùm ex neceſsitate nutritionis proveniat mors animalis? Hoc eſt: an debeat neceſſario mori, quia nutritur? Certum eſt ſaltem per accidens provenire mortem animalis ex neceſsitate nutritionis: quia alimenta habent qualitates contrarias temperamento viventis, quæ reagunt

gunt in vivens, quando hoc agit in alimentum, vt convertat eius materiam in propriam ſubſtantiam: hac enim perpetua actione, & reactione paulatim imminuitur temperamentum viventis, illudque tandem diſſolvitur, & perit animal.

23 Verius tamen videtur: mortem animalis non provenire per ſe, & neceſſariò ex neceſsitate nutritionis. Nam licet plura alimenta habeant qualitates contrarias temperamento viventis, plura alia habent qualitates conſonas, & proficuas: ergo quod ad alimenta neceſſaria ad nutritionem attinet, poſſent ita miſceri, vt alia reſarcirent ex integro dãnum illatum ab alijs; ac per conſequens non ideo morietur neceſſariò vivens, quia indiget nutritione. Et confirmatur 1. Quia ſi medicamenta, & cibi medicinales poſſunt reducere ad debitam temperiem temperamentum hominis valde immutatum per infirmitatem: ergo ſimiliter alimentum prævalens in frigiditate poterit reparare damnum illatum viventi ab alimento prævalente in calore.

24 Confirm. 2. Quia fructus arboris vitæ habuiſſe defacto eam virtutem, vt homo illo veſcens perpetuo viveret, ſententia eſt plurium PP. quos referunt P. Suarez de opere ſex dierum lib. 3. cap. 15. & P. Molin. ibidem diſp. 28. qui conſequẽter dicunt, Adamum condemnatum ad mortẽ in pœnam peccati, eiectũ eſſe è Paradyſo, ne manducaret illum ſalutiferum fructum, & viveret in æternum; qui quidem ſenſus videtur cōtineri In illo Gen. 3. *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum: emiſit eum Dominus de Paradyſo voluptatis.* Quare D. Aug. lib. 14. de Civ. Dei. cap. 16. ait: *Cibus aderat homini, ne eſuriret, potus ne ſitiret, & lignum vitæ ne ſenectus eum diſſolveret.* Et lib. de qq. veteris, & novi Teſtamenti tract. 5. q. 16. *Vita arbor medicina modo corruptionem hominum prohibebat.*

SECTIO III.

De Augmentationis quantitativâ, ſeu accretione.

25 Vivens augetur, & fit maius ſecundũ quantitatẽ, quando per ſuam actionem facit propriam quantitatem alimenti; idque contingit in omni nutritione: quia non poteſt vivens acquirere per nutritionem materiam alimenti, quin ſimul acquirat quantitatem, quæ in illa materia reperitur, & eam neceſſario conſequitur tanquam propria paſſio. Hæc augmentatio, vt etiam nomine diſtinguatur à nutritione appellatur *accretio*; & definitur ſic: *Motus viventis à minori ad maiorem quantitatem.* Motus iſte eſt accidentalis, quia terminus per eam acquiſitus eſt accidentalis. Habet terminum *à quo*, & *ad quem*, & vterque explicandus eſt, ſicut ſect. 1. explicavimus termi-

num

num *à quo*, & *ad quem* nutritionis.

26 Vt autem detur accretio duo indiſpenſabiliter requiſita ſunt. Primo neceſſaria eſt nutritio, quia niſi vivens acquirat ſibi per nutritionem novam partem ſubſtantiæ, non adquirit novam partem quantitatis, quæ ſubſtantiam conſequitur. Secundo neceſſaria eſt actio producens vnionem quantitatis alimenti cum quantitate præexiſtente in vivente; ſed eſt difficultas, in quanam harum actionum conſiſtat formaliter accretio? Aliqui dicunt conſiſtere formaliter in ſola nutritione connotata in obliquo, ſeu præſuppoſitivè vnione quantitatum viventis, & alimenti, & productione eius vnionis. Alij conſiſtere in ſola actione producente vnionem quantitatum.

27 Sentio cum P. Alphonſo, vbi ſup. ſect. 4. conſiſtere formaliter in coniuncto vtriuſque actionis, nempè nutritionis, & productionis vnionis vtriuſque quantitatis. Probatur. Vt vivens fiat maius ſecundum quantitatē, prout revera fit formaliter per accretionē, duo neceſſaria ſunt; nempè, quod vivens præexiſtens faciat propriam quantitatem alimenti, & quod evadat maius ſecundum quantitatem; ſed primum ſtat formaliter in nutritione, & ſecundū in actione producente vnionem quantitatis alimenti cum quantitate viventis: ergo accretio ſtat formaliter in coniuncto vtriuſque actionis. Maior eſt certa, & prima pars minoris probatur. Vivens non aliter facit propriam quantitatem alimenti, niſi quatenus facit propriam materiam alimenti, cuius eſt propria illa quantitas; ſed vivens facit propriam materiam alimenti formaliter per nutritionem: ergo facit propriam quantitatem alimenti formaliter per nutritionem.

28 Secunda pars eiuſdem minoris probatur: nam vivens evadere maius ſecundum quantitatem formaliter involvit actionem, per quam eius quantitas fit maior; ſed nulla alia eſt actio, per quam quantitas viventis fiat maior, niſi actio producens vnionem quantitatis alimenti cum quantitate viventis: ergo quod vivens evadat maius ſecundum quantitatem ſtat, formaliter in actione producente vnionem quantitatis alimenti cum quantitate viventis: ergo accretio formaliter ſumpta claudit nutritionem, & actionem producentem vnionem quantitatis viventis, & quantitatis alimenti.

Circa ſucceſsionem, & continuationem motus accretionis nihil ſpeciale dicendum occurrit præterdicta ſect. 2. de ſucceſsione, & continuatione motus nutritionis, quam ſemper comitatur motus accretionis.

*

DIS-

DISPVTATIO VII.

De Corporum Rarefactione, & Condenſatione.

RArefactio eſt motus, vi cuius corpus extenditur ad occupandum maius ſpatium, quam occupare ſolet; & condenſatio eſt motus, vi cuius corpus contrahitur ad occupandum minus ſpatium, quam occupare ſolet: experimur enim, quod dum cera, aut lac rareſcit, occupat plus ſpatij, quam antea; & dum condenſatur, contrahitur ad ſpatium minus eo, quod occupabat ſub raritate, minuſque eo, quod occupare ſolet dum eſt in ſtatu, & diſpoſitione ſibi connaturali. Quomodo autem contingat non eſt facile definire.

SECTIO. I.

Propoſita ratione dubitandi, rejiciuntur ſententiæ minus veræ.

1 RArum definitur communiter: *Quod ſub magnis dimenſionibus habet parvum materiæ*. Denſum verò: *Quod ſub parvis dimenſionibus multum habet materiæ*. Cæterum Ariſt. 4. Phyſic. cap. 8. ſect. 84. vnde definitiones iſtæ deſumuntur non dixit, parvam materiam habere ſub raritate magnas dimenſiones, & multam materiam habere ſub denſitate parvas dimenſiones, ſed eandem omnino materiam iam habere magnam dimenſionem ſub raritate, iam parvam dimenſionem ſub denſitate. Conſtabit id clarè ex verbis Ariſt. infra adducendis. Quare ad illius mentem rarum ſic debet definiri: *Cuius materia habet maiorem extenſionem, quam alias ſolet habere*. Et denſum ſic: *Cuius materia habet minorem extenſionem: quam alias ſolet habere*.

2 Ideo communes definitiones ſic intelligendæ ſunt, vt rarum, & denſum non dicantur habere multum, aut parum materiæ abſolutè; ſed habere multum, aut parum materiæ relatè, & comparativè ad extenſionem quam habent ſub raritate, & denſitate; vel ita accipiendæ ſunt, vt idem corpus dicatur ſub raritate magnum, & parvum ſub denſitate; magnum, inquam, & parvum extenſivè, & quoad dimenſionem, ſed non entitativè; quia non habet plus, aut minus de entitate propriæ materiæ, aut quantitatis; ſed præciſè, quia habet maiorem, aut minorem extenſionem, quam habere ſolet in alio ſtatu, & ſub alio temperamento, cum quo ex natura rei poteſt coniungi.

3 Hinc autem oritur difficultas, & ratio dubitandi. Nam ſi cera, & lac, nulla dem-

ta, vel addita parte materiæ, aut quantitatis rarefit, & condenſatur, contrahitur, & extenditur ad minus, & maius ſpatium: ergo quælibet pars ipſius occupat, dũ eſt rarefacta, duplex ſpatium; vel inter vnam, & alteram partem remanet ſpatium vacuum, & vtrumque hoc eſt impoſsibile: & dum eſt denſa, quælibet pars ipſius exiſtit in eodem loco, & ſpatio cum alia, ac proinde penetratur, quod etiam eſt impoſſibile. Explicatur. Pone ceram occupare antequam rarefiat quatuor partes ſpatij, & per raritatem extendi ad occupandas ſex, vel octo partes; per denſitatem vero contrahi ad occupandas duas tantum partes ſpatij: quomodo ergo id poteſt accidere, niſi, vel quia ſub ſtatu raritatis quælibet pars ceræ exiſtit in duplici loco, & ſpatio; vel quia inter vnam, & alteram partem maneat aliquod ſpatium non occupatum à cera; & quia ſub ſtatu denſitatis duplex pars ceræ ſit in eodem loco? Vt hanc difficultatem componant in varios dicendi modos diſtracti ſunt Authores.

4 Prima ſententia aſſerit, ideo corpus rarefieri, quia per rarefactionem producitur in illo quantitas nova omnino diſtincta à præcedente, quæ conſequenter deſtruitur; vel quia producitur aliqua pars quantitatis, quæ ſimul cum quantitate præcedente conſtituit corpus in maiori ſpatio: ideo autem condenſari, quia per motum condenſationis deſtruitur tota quantitas præcedens, & producitur alia quantitas minor; vel quia deſtruitur aliqua pars quantitatis præcedentis, per cuius deſtructionem fit, quod corpus occupet ſpatium minus eo, quod antea occupabat. Ita Marſilius lib. 1. de Generat. quæſt. 15. Fabus in 4. diſt. 40. Cardinalis Toletus in 4. Phyſic. quæſt. 11. Et refertur etiam Scotus in 4. diſt. 12. quæſt. 4. Dicit tamen Pontius diſp. 55. Subtilem Doct. non defenſaſſe hanc ſententiam, ſed eam propoſuiſſe.

5 Sed hic modus dicendi valdè difficilis eſt. 1. Quia vel cum nova quantitate producta per rarefactionem producitur ſimul nova pars materiæ; vel manet ſola materia præexiſtens in corpore, quod rarefit? Si dicatur primum: ſubiectum, & corpus, quod rarefit, acquiret per rarefactionem novam ſubſtantiam; & conſequenter motus rarefactionis non diſtinguitur à motu augmentationis ſubſtantialis. Fietque vlterius corpus rarum eſſe magis activum, quam denſum: ſiquidem rarum habet plures partes ſubſtantiæ, & multitudo agentium iuvat ad agendum.

6 Si dicatur ſecundum. Tunc interrogo; vel maior quantitas acquiſita exiſtit in loco materiæ præcedentis, quin hæc ma-

materia acquirat maiorem extenſionem; & ſic in eadem parte materiæ, & in eius loco erit penetrata duplex pars quantitatis. Vel materia præcedens determinatur per novam partem advenientem quantitatis, vt habeat maiorem extenſionem localem; & ſic eadem materia erit in duplici ſpatio, quod adverſarij non concedunt: ergo rareſactio non poteſt conſiſtere in productione maioris quantitatis, & conſequenter, neque condenſatio in deſtructione alicuius partis quantitatis præcedentis. 2. Impugnatur hæc ſententia rationibus quibus impugnatur ſecunda ſententia mox referenda.

7 Secunda ſententia docet rarefactionem fieri per intromiſsionem corpuſculorum intra poros corporis rarefacti, & condenſationem per eorundem corpuſculorum expulſionem: etenim cum totus aër ambiens corpora ſit plenus athomis, & corporibus alijs imperceptibilibus, quando in aliquo corpore datur diſpoſitio ad raritatem, illuc confugiunt corpuſcula, ne detur vacuum, & ſimul cum partibus corporis rarefacti occupant maius illud ſpatium, quod experimur occupare corpus quando rarum eſt. Quando vero corpus recuperat temperamentum denſitatis, exeunt ab eo corpuſcula, ne penetrentur cum illius partibus, & partes corporis contrahuntur ad minus ſpatium, atque ita condenſantur. Refert P. Alph. pro hac ſententia in Ocham, Valles, & Arriaga, quibus adde. Oviedo controv. 7. punct. 5. Tellez diſp. 75. ſect. 2. Suarez Luſitanum diſp. 3. de Generat. Pontium. diſp. 55. cit. & RR. plures.

8 Non inficior, ſæpè intromitti corpuſcula intra corpus rarefactum, eaque replere aliquam partem maioris ſpacij de novo acquiſiti. Cæterum rarefactio non poteſt conſiſtere in ea intromiſsione, neque condenſatio in oppoſita expulſione. Probo 1. Ab authoritate. Nam Ariſt. 8. Phyſic. text. 84. dicit: *Magnitudo, & parvitas ſenſibilis corporis non accipiente aliquid materiæ extenditur; ſed quia potentia eſt materia vtriuſque: Itaque idem rarum & denſum eſt.* Ecce corpus ita extenditur per rarefactionem, vt id non contingat, quia materia recipiat in ſe aliquod corpus; ſed quia eadem omnino materia in differens de ſe ad maiorem, & minorem extenſionem, iam determinatur ad maiorem, iam ad minorem. Tradit eandem doctrinam 4. Phyſic. tex. 84. vbi docet: *Eandem materiam, nulla re inſuper alia aſſumpta, eſſe parvam ſub aqua, & magnam ſub aëre genito ex ipſa.* Quod, vt magis explicet, confirmat exemplo intenſionis, per quam ſubiectum ita ſit magis calidum, vt nullum ſuperveniat ſubiectum, quod non eſſet calidum ante intenſionem; ſed idem numero

ſub-

ſubiectum prius calidum fit magis calidum per ſolam additionem maioris caloris.

9. Vnde ſic arguo. Iuxta Ariſt: eadem numero materia parva ſub aqua eſt magna ſub aère genito ex aqua, nulla denuo aſſumpta parte materiæ; ſed ſi rarefactio fieret per intromiſſionem corpuſculorum, materia aquæ aſſumeret aliam materiam dum rareſit ſub aère; aſſumeret enim materiam corpuſculorum: ergo rarefactio non fit per intromiſſionem corpuſculorum; & conſequenter neque condenſatio fit per corpuſculorum expulſionem, & extromiſſionem. Vlterius. Iuxta Ariſt. corpus extenſum ita fit per rarefictionem magis extenſum, ſicut ſubiectum calidum fit per intenſionem magis calidum; ſed ſubiectum calidum non fit magis calidum per additionem ſubiecti, ſed præciſsè per additionem caloris: ergo ſubiectum extenſum non fit per rarefictionem magis extenſum per additionem, & adventum novi ſubiecti, & corporis replentis locum, ſed præciſsè per additionum extenſionis ſubiecti, & corporis præcedentis. Quare D. Thom. 4. Phyſic. lect. 14. lit. I. dixit: *Non ergo rarefactio fit per hoc quod aliquæ partes ſubintrando adveniant, vel condenſatio per hoc, quod partes inhærentes extrahantur.*

10. 2. Probo idem aſſumptum à ratione deſumpta ex definitionibus rari, & denſi communiter admiſsis. Rarum eſt, quod ſub magnis dimenſionibus, parum habet materiæ; & denſum, quod ſub parvis dimenſionibus multum habet materiæ; ſed definitiones iſtæ non ſtant, ſi rarefactio conſiſtit in intromiſſione corpuſculorum intra partes corporis rarefacti, & condenſatio in eorundem corpuſculorum expulſione: ergo rarefactio, & condenſatio aliter ſunt conſtituendæ. Minor probatur: quia ſi cera, & lac rarefiant per admiſsionem corpuſculorum intra ſuas partes materia habens magnas dimenſiones non eſt parva, ſed magna; ſiquidem materia illa eſt coniunctum ex materia ceræ, & materia corpuſculorum. E contra verò ſi condenſantur per expulſionem corpuſculorum materia habens minores dimenſiones non eſt magna, ſed parva, ſiquidem eſt ſola materia ceræ, quæ parva eſt comparativè ad materiam compoſitam ex materia corpuſculorum, & ceræ: ergo communes definitiones non ſtant ſi rarefactio conſiſtit in intromiſſione corpuſculorum, & condenſatio in eorundem expulſione. Vnde colliges, quod ſi aliquando ingrediuntur corpuſcula in corpus rarefactum, aut eggrediuntur è condenſato, id ſe habet omnino per accidens, & de materiali ad effectum formalem rari, & denſi.

11. 3. Arguo duplici experien-

perientia, omiſsis alijs, quæ videri poſſunt apud Hurtad. Alphonſ. & Carleton. Prima ſic ſe habet. Quando pulvis tormentarius intenditur in ſcopleto occupat quidem intra illud ſpatium decies, imò, & vigeſies maius, quam occupavat antea; ſed in hoc caſu non eſt vnde adveniant corpuſcula replentia maius illud ſpatium: ergo pulvis tormentarius non rareſcit per intromiſsionem corpuſculorum. Minor probatur. In primis non poſſunt advenire, & intrare per os ſcopleti: quia potius aër, & corpuſcula exiſtentia verſus os ſcopleti expelluntur inde ab igne, magna vi eggrediente. Neque poſſunt advenire, & intrare per anguſtum illud foramen, per quod accenditur pulvis: nam per viam illam non poteſt fere in inſtanti ingredi adeo ingens corpuſculorum copia, qualis neceſſaria eſt ad occupandum ſpatium illud tanto maius: ergo in prædicto caſu non eſt vnde, aut qua adveniant corpuſcula repletura maius illud ſpatium.

12 Dices 1. Materiam pulveris rareſieri in hoc caſu per intromiſsionem aëris vicini ſe inſinuatis intra partes materiæ pulveris; ſed contra 1. Vel aër intromititur, quia ingrediuntur corpuſcula valde ſubtilia, & aërea; vel quia ingreditur aër, vt adæquatè diſtinctus à corpuſculis? Non primum: quia probatum iam eſt, non eſſe vnde, aut qua adveniant materiæ pulveris illa corpuſcula; ſed neque ſecundum. Tùm quia quantitas illa aëris, quæ non niſi magna vi ingredi poſſet, vt vinceret impetum ignis, diſcontinuaret flammam accenſam in pulvere; quod, & eſt contra experientiam, & contra rationem: quia vt corpus aliquod rareſiat, non eſt neceſſe, quod eius partes diſcontinuentur, & ammittant vnionem, quam habebant inter ſe. Tùm quia ſi permiſtio aëris cum materia pulveris, & flamma accenſa, ſufficienter ad rareſactionem pulveris, eodem iure poſſet dici, quod ſpongia recipiens aërem intra ſuas cavitates rareſcit per receptionem aëris; quod tamen eſt contra communem ſenſum.

13 Dices 2. Materiam pulveris accenſi non occupare, poſtquam incenſa eſt, maius ſpatium, quam antea; ſed incendi etiam aërem vicinum exiſtentem intra ſcopletum, ideoque flammam eſſe, & apparere maiorem; ſed contra eſt. Si aër vicinus pulveri accenditur, quando incenditur pulvis, profectò aër cedit igni: hoc autem eſt contra experientiam: nam pulvis accenſus imprimit impulſum in aërem vicinum, vt ſtrepitu ipſo, qui auditur, compertum eſt; ſi autem cederet igni, & ei non reſiſteret, nullus eſſet impulſus, & nullus ſtrepitus: ergo aër ille vicinus non cedit ig-

ignis recipiendo eius formam. Vrgetur. Quando incenditur magna pulveris copia, adeo vehemens impulſus imprimitur in aërem vicinum, vt ſæpè etiam domos ſubvertat: ergo quia pulvis accenſus pellit aërem à ſuo loco, cogitque illum pellere alia corpora, cum quibus penetrari non poteſt, vt illis alio pulſis, occupet eorum locum. Nunc interrogo: ingens illa flamma pellens adeò vehementer aërem, quo pacto excrevit ad eam extenſionem?

14 Secunda experientia eſt. Sit vas, aut globus æreus, intra cuius cavitatem introducatur inſtrumento aliquo magna aëris copia; obturetur que orificium eius, ita vt nullam habeat, vel minimam partem, qua vel aëre expellat, vel ad nittat. Aperiatur deinde anguſtum foramen, per quod exeat aër, & arguitur ſic. In hoc caſu aër manens intra globum rareſit ne detur vacuum; ſed non poteſt rareſieri per intromiſsionem corpuſculorum: ergo rarefactio corporis non fit per intromiſsionem corpuſculorum. Min. probatur: Corpuſcula non poſſunt ingredi per foramē denuò apertum; eggreditur enim aër per illud adeò magna vi, vt in manum applicatam magnum imprimat impulſum, vt teſtatur experientia: ergo multò potius imprimet impulſum in aërem vicinum, & leviſsima corpuſcula, eaque coget abire alio; ſed neque poſſunt ingredi alia via: ſupponimus enim denſitatem, & ſoliditatem vaſis talem eſſe, vt non permitat aërem, vel alia corpora per eius partes inſinuari: ergo aër manens intra globum non poteſt rareſcere per intromiſsionem corpuſculorum. Alias experientias, & rationes impugnātes hanc ſententiam vide apud AA. citatos.

15 Tertia ſententia docet corpus, & ius quantitatem rareſieri, & condenſari, quia ratione temperamenti ipſi advenientis producitur qualitas quædam, quæ eſt raritas, vel alia, quæ eſt denſitas; & iſta qualitas vt inhærens corpori, & quantitati illa determinat vt occupet maius, vel minus ſpatium: ita tamen vt in rarefactione partes diſtent magis inter ſe abſque vllius replicatione ſecundum locum, id eſt, quin vlla occupet maius ſpatium, quam antea, & in condenſatione magis inter ſe coniungantur. Ita PP. Rubio, Hurt. & Conimbric. Et hæc videtur ſententia Thomiſtarum, qui aſſerunt apud, & cum Prado lib. 1. de Generat. q. 23. & Lerma q. 43. rarefactionem conſiſtere in productione qualitatis tertiæ ſpeciei, quæ eſt raritas formalis, & ex qua oritur diverſa diſpoſitio, & diverſus ſitus partium materiæ, & quantitatis ſecundum locum.

16 Hæc ſententia primò modo explicata cum Noſtris ægrè admodum intelligi poteſt,

vt bene oſtendit P. Alphonſ. Nam quomodo fieri poteſt, quod ex determinatione qualitatis productæ per rarefactionem duæ partes materiæ, & quantitatis occupent maius ſpatium, quam antea, ſi nulla earum ſe extendit ad maius ſpacium, nec habet maiorem præſentiam, quam habebat ante illius qualitatis adventum. Vlterius, quomodo duæ illæ partes diſtabunt magis inter ſe, ſi inter vtramque nullum interponitur corpus, & aliàs quævis correſpondet eidem prorſus ſpatio, & loco, cui ante correſpondebat. 2. Corpus dum eſt rarum, habet quidem maiorem extenſionem, & occupat maius ſpatium, quam ante, vt conſtat experientia; ſed corpus non aliter poteſt habere maiorem extenſionem, neque maius occupare ſpatium, niſi omnes, vel aliquæ illius partes, habeant maiorem præſentiam, quam ante, quia corpus per ſolam præſentiam extendit formaliter, & occupat locum maius, vel minus: ergo qualitas illa producta per rarefactionem nihil deſervit ad hoc, vt corpus rarum habeat maiorem extenſionem in loco, ſi non determinat illud, vt habeat maiorem præſentiam.

17 Deinde eadem ſententia ſecundo modo explicata difficilis eſt. 1. Quia vel ratione illius qualitatis tertiæ ſpeciei determinatur quælibet pars corporis, & quantitatis, vt habeat maiorem præſentiam localem, quam antea; vel non determinatur? Si primum: incidit hic modus dicendi in rectam ſententiam explicandam ſect. 2. ſed non Philoſophantur rectè eius AA. dum addunt qualitatem illam tertiæ ſpeciei: quia ſicut corpus, & quantitas corporis determinantur per illam qualitatem ad maiorem præſentiam; ita pariter illa ſecluſa determinari poſſunt per calorem, aut aliud temperamentum proportionatum raritati: ergo ſuperfluit alia qualitas introducta, vt præſtet id munus. Si ſecundum: quid præſtat illa qualitas, vt quantitas ſub raritate habeat maiorem extenſionem, & occupet maius ſpatium? Certè nihil.

18 2. Quia ex Div. Thoma, quem pro ſe adducunt adverſarij, ſatis videtur colligi nihil aliud produci in condenſatione, & rarefactione, per quod corpus fiat rarum, aut denſum, niſi diverſus ſitus in partibus materiæ. Nam 2. de Generat. lect. 7. lit. C. ait: *Rarum, & denſum non addunt ſupra partes materiæ qualitatem, quæ eſſentialiter ſit qualitas; ſed potius diverſum ſitum in partibus materiæ.* Et 4 Phyſic. lect. 14. ſupra cit. ait: *Rarefactio fit per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem:* Scilicet quantitatem maiorem non entitativè, ſed extenſivè, nam ſubdit: *Vt ſit*

ſit rareſſi eri nihil aliud ſit, quam materiam recipere maiores dimenſiones per reductionem de potentia in actum, quod idem eſt, ac quantitatem fieri maiorem *extenſive*; vt ait Caiet. 2. 2. quæſt. 24. art. 5. ad 1. ergo D. Thomas nihil aliud agnovit de novo productum per rarefactionem, & condenſationem, niſi diverſam extenſionem partium quantitatis in ordine ad locum, & diverſum ſitum; ſed exenſio partium quantitatis in ordine ad locum non diſtinguitur à præſentia quantitatis, in quocumque ea præſentia conſiſtat; pariter *ſitus* partium materiæ, & quantitatis non diſtinguitur à præſentia: nam ſitus nihil aliud eſt, quam ordinatio partium in loco, vi cuius formaliter conſtituuntur ſic, vel aliter loco correſpondentes: ergo rarefactio non conſiſtit in productione qualitatis tertiæ ſpeciei; ſed in productione maioris extenſionis, ſitus, & præſentiæ: omnia enim hæc verba idem ſignificant ſed de hoc, iterum ſect. ſeq.

19 Quarta ſententia docet, rarefactionem, & condenſationem ideo contingere, quia puncta continuativa punctorum quantitatis penetrata cum alterò ex punctis continuatis, ratione temperamenti inducentis rarefactionem, determinantur, vt exeant extra puncta continuata, & occupent diverſum locum ac illa; quando vero poſtea amittitur illud temperamentum, & advenit temperamentum inducens condeſationem, determinantur, vt amittant illas præſentiam, & rurſus ingrediantur in loco alterius ex punctis continuatis. Hunc modum dicendi probabilem reddidere ingenioſi RR. ex noſtris

20 Diſplicet tamen. 1. Quia in punctis continuativis punctorum quantitatis continuæ ſolum poteſt admitti indifferentia, vt iam ſint intra, iam extra puncta continuata, ſi aliter non poteſt recte componi, & explicari rarefactio, & condenſatio quantitatis; ſed aliter poteſt rectè componi, & explicari rarefactio, & condenſatio, vt conſtabit infra; ergo in punctis continuativis punctorum quantitatis continuæ non eſt admittenda prædicta indifferentia.

21 2. & difficilius. Pone quatuor puncta quantitatis continuata tribus punctis continuativis determinari per ſupervenieńs temperamentum, vt omnia rareſiant. Vel ergo in hac rarefactione nullum ex punctis continuatis occupat pluſquam vnum punctum ſpatij, vel aliquod eorum occupat plus? Si dicas ſecundum: ergo iam concedis in puncto reali quantitatis indifferentiam, vt habeat minorem, & maiorem præſentiam, & vt minori, & maiori ſpatio correſpondeat. Hoc autē eſt incidere in ſē-

tentiam infra defenſ[illegible]dam, quam prædicti RR. impugnant tanquam falſam. Si dicas primum: ergo quantitas illa, occupans ante rarefactionem quatuor puncta ſpatij, non poterit per rarefactionem occupare pluſquam alia tria; ſeu quod idem eſt, non poterit occupare alia quatuor puncta ſpatij; & ſpatium duplo maius replere; ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam: experimur enim, quod plura corpora, dum rareſcunt, occupant ſpatium duplo maius, imò plus duplo maius eo, quod occupabant ante rarefactionem: ergo rarefactio non poteſt ita contingere, ſicut meditantur hi AA.

22 Quinta demum ſententia docet, rarefactionem ſtare formaliter in vnione facile ſolubili partium corporis, & condenſationem in earundem partium vnione difficile ſolubili. Ideo enim ferrum, & lapis denſiora ſunt aqua, quia huius partes copulantur vnione facile ſolubili: nam partes aquæ facile inter ſe diſcontinuantur, vt experientia compertum eſt; partes verò ferri, & lapidis copulantur vnione, quæ non niſi difficulter diſſolvitur. Ita RR. alij cum P. Quiros diſp. 76. ſect. 3.

23 Sed contra eſt. Quia iuxta hanc ſententiam, corpus eſſe rarum, idem eſt, ac eſſe liquidum, & corpus eſſe denſum, idem eſt; ac eſſe ſolidum; ſed vt bene norant plures cum Pontio vbi ſup. non agitur in præſenti à Phyloſophis de raro prout coincidit cum liquido, & de denſo prout coincidit cum ſolido; ſed de raro ſumpto pro corpore, quod ratione alicuius diſpoſitionis ipſi advenientis occupat maius ſpatium, quam occupabat, dum erat in ſtatu connaturali conſtitutum; & ſimiliter de denſo ſumpto pro corpore occupante minus ſpatium, quam aliàs occupare ſolet: ergo cum hæc ſententia non explicet quonam formaliter rarefiat: & condenſetur corpus in hoc ſenſu, penitus relinquit inexplicatam præſentem difficultatem.

24 Vrgetur. Dum corpus liquidum, aqua v.g. rarefit ratione caloris in ſe recepti, vel occupat maius ſpatium, vel non? Secundum dici non poteſt: tùm quia experientia teſtatur oppoſitum: tùm quia conſtat ex Ariſt. adducto ſupra, materiam corporis extendi localiter in rarefactione, & eſſe magnam comparativè ad ſe ipſam, vt exiſtentẽ ante rarefactionem. Si propterea dicatur, vti dici debet, primum: certè illa maior extenſio localis non poteſt cõſiſtere formaliter in vnione facile ſolubili; tùm quia etiam ante rarefactionem partes aquæ facile poterant amittere vnionem continuativam, multoque facilius, quam ferrum, aut lapis, vt patet: tùm præ-

præterea, quia vt aqua occupet plus ſpatij modo, quam antea, quid refert, vnionem, quam modo habet, eſſe facile ſolubilem, imò facilius ſolubilem, quam antea, ſi neque vnio ipſa, neque vlla pars aquæ occupat modo maius ſpatium, quam antea?

25 Tandem. Nam vt ait Ariſt. ſupra, quando ex aqua generatur aër, eadem materia prius parva ſub aqua eſt magna ſub aëre, ideòque ſub aëre rara eſt; ſed vtrobique illa materia, & illius quantitas habet vnionem continuativam facile ſolubilem: ergo nondum explicatur quomodo materia, & quantitas aquæ ſit magna ſub aëre genito ex ipſa præciſè per vnionem facile ſolubilem partium continuativè vnitarum: aliquid ergo aliud ſuperaddendum eſt, & de hoc quærimus, quidnam illud ſit?

SECTIO II.

Eligitur, & explicatur veritas ſententia.

26 Recentiores aliqui ſuppreſſo nomine citati ab Hurtad. Arriaga, & Oviedo dixerunt, rarefactionem ſtare formaliter in actione, per quam corpus producit maiorem præſentiam ſui, per quam correſpondet ſpatio maiori eo, cui correſpondebat ante rarefactionem, & raritatem ipſam nil aliud eſſe formaliter diſtinctum ab illa maiori præſentia. E contra verò condenſationem ſtare formaliter in actione, per quam corpus producit minorem præſentiam ſui, per quam correſpondet ſpatio minori eo, quod occupabat ante condenſationem; & denſitatem ipſam non diſtingui ab illa minori præſentia. Hanc ſententiam illuſtravit poſtea P. Alphonſ. diſp. 9. ſect. 4. & P. Carleton diſp. 10. ſect. 4. quibus alij RR. conſentiunt in M.S. Necnon P. Izquierdo tom. 1. de Deo, diſp. 10. num. 326. dicens non poſſe aliter intelligi iuxta veritatem diffinitiones rari, & denſi communiter receptas; neque aliter poſſe contingere ſtrictam rarefactionem, & condenſationem.

27 Itaque iuxta hanc ſententiam rarefactio formaliter ſumpta eſt motus, & actio producens maiorem præſentiam corporis; & condenſatio formaliter ſumpta eſt motus, & actio producens minorem præſentiam, vel defitio actionis producentis maiorem. Raritas verò, & denſitas non ſunt qualitas aliqua tertiæ ſpeciei, ſed ipſa maior, & minor præſentia. Qualitates autem, quæ inhærentes corpori, illud determinant ad maiorem, & minorem præſentiam, ſunt rarefactio, & condenſatio, necnon raritas, & denſitas radicalis, illativa, & determinativa.

Qualitas plerumque determinans corpora ad rarefactionem, eſt calor; frigus verò eſt qualitas, plerumque determinans corpora ad condenſationem.

18. Dictum eſt *plerumque*: quia aliquando corpora rarefiunt, & condenſantur independenter à calore, & frigore in illis recepto. Primo: nam quando aër exiſtens in globulo, aut pila, condenſantur per impulſum alterius aëris inſtrumento aliquo intromiſsi, non datur novum frigus determinans ad eam denſitatem: nam eodem modo denſaretur, licèt aër denuo immiſſus eſſet calidus. Secundo: quia hoc ipſum cernere eſt, quando condenſatur aër per impulſum aliorum corporum rarefactorum: tunc enim ne penetretur cum corporibus rarefactis, denſatur quidem, & loco cedit, licèt nullum frigus in ſe recipiat. Similiter aër ſine novo calore rarefit, quando ne detur vacuum in natura, ſe extendit ad occupandum ſpatium relictum à corporibus condenſatis, vt infra exponetur. Quare in prędictis caſibus nulla alia cauſa datur in corpore determinans ad effectus raritatis, & denſitatis, niſi natura ipſa, quæ determinata eſt ad impediendum vacuum, & corporum penetrationem.

19. Hæc ſententia mihi vera eſt. Probatur 1. ex aliarum refutatione. Nam, illis modis dicendi reiectis, nullus alius videtur ſuppetere præter hunc. Probatur 2. Quia id, & non aliud videtur expræſsè docere Ariſt. locis adductis, & expertis ſect. 1. Nec non D. Thom. tùm verbis ibi adductis. Tùm etiam, quia 4. Phyſic. lect. 14. ait: *Rareſieri nihil aliud eſt*, (qui modus loquendi aperte videtur continere ſenſum formalem) *quam materiam recipere maiores dimenſiones per reductionem de potentia in actum*; *in condeſatione autem eſt è contra*: ſed per ly *dimenſiones* non intelligit quantitatem, quæ alias nomine dimenſionis ſignificari ſolet: quia, iuxta ipſum in rarefactione non producitur nova quantitas in materia, ſic enim ſentit cum Phyloſopho 4. Phyſic. text. 84. illis verbis ſect. 1. relatis *Magnitudo, & parvitas, &c.* Intelligit ergo per ly *dimenſiones* extenſionem, & dilatationem quantitatis ſecundum locum. Et hanc eſſe mentem Angelici Doct. teſtatur Caietanus 2. 2. quæſt. 24. art. 4. §. *In eodem* per hæc verba: *Mens authoris eſt, quod in rarefactione quantitas ſit maior extenſive, non per additionem quanti ad quantum, vt coniungit in motu augmenti; ſed per maiorem extenſionem præcedentis quantitatis*: ſed extenſio formalis corporis eſt præſentia; & maior extenſio maior præſentia: ergo ſecundum D. Thom. rarefactio conſiſtit formaliter in productione maioris præſentiæ.

30. Neque obſtat, quod adducitur à Lerma lib. 1. quæſt.

44. & ab alijs Thomiſtis; nempe S. Doct. dicere 1. rarum, & denſum eſſe diviſionem qualitatum. 2. rarefactionem fieri ſecundum tranſmutationem paſsibilium qualitatum. 3. mutationem rarefactionis eſſe alterationem. Quæ omnia ſignificare videntur, rarefactionem non eſſe actionem productivam præſentiæ, ſed qualitatis. Id, inquam, non obſtat: nam ſatis congruè explicatur de rarefactione, non quidem ſumpta formaliter, & quidditativè; ſed ſumpta præſuppoſitivè, activè, & cauſaliter: quia communiter non contingit, corpus in rarefactione producere in ſe maiorem extenſionem, & præſentiam, & in condenſatione minorem, niſi præcedente alteratione, per quam producitur calor determinans ad rarefactionem, & frigus determinans ad condenſationem.

31 Probatur 3. eadem ſententia. Quia iuxta eam facile percipiuntur definitiones rari & denſi; ſi enim corpus rareſcit per productionem maioris præſentiæ, & condenſatur per productionem minoris, aut amiſsionem maioris, clarè conſtat, quomodo in rarefactione parum materiç ſit ſub magnis dimenſionibus; & è contrario in condenſatione multum materiæ, vel potius eadem materia ſit ſub parvis dimenſionibus. Facile etiam componitur, & explicatur quomodo corpora rareſcant, & condenſentur, quin detur vacuũ, quin corpora penetrentur, & quin replicentur replicatione naturaliter impoſsibili; ſed vt hæc omnia facilius percipiantur, & ſolutioni obiectionum paretur via.

32 Obſervandum eſt 1. Quantitatem, quæ primariò, & ratione ſui eſt impenetrabilis, componi phyſicè ex punctis indiviſibilibus, quorum quodlibet exigit exiſtere localiter extra aliud. Suppono ex dictis in phyſica, continuum phyſicum componi ex ſolis punctis finitis. Cæterum ita quodvis punctum quantitatis exigit exiſtere localiter extra aliud, vt non exigat exiſtere extra aliud per hanc determinatam præſentiam, potiuſquam per illam; ſed indifferens eſt, vt ſit extra locum alterius per hanc præſentiam maiorem, vel per illam minorem. Probo 1. Quia cùm ſolùm exigat exiſtere extra aliud, ne penetretur cum illo; contentum erit cum quacumque pręſentia, per quã extra locum alterius ponatur; ideoque erit indifferens ad omnes præſentias vagè ſumptas, per quas poteſt conſtitui extra locum alterius.

33 2. Quia indifferentia ad maiorem, & minorem præſentiam non repugnat puncto quantitatis ex eo, quod eſt indiviſibile phyſicè, & entitativè: nam anima rationalis eſt ita indiviſibilis, & habet indifferentiam ad præſentiam minorem, per quam præſentatur corpori in pueritia, & ad maiorem, per quam præſentatur corpo-

11 in ætate virili. Neque repugnat illa indifferentia puncto quãtitatis ex eo, quod eſt indiviſibile, & materiale: tùm quia anima perfectorum brutorum, in ſententia Thomiſtarum, eſt indiviſibilis, & in omnium ſententia, eſt materialis, & habet indifferentiam, vt iam fiat præſens parvo corpori per minorem præſentiam; iam magno corpori per aliam maiorem: tùm quia conceptus rei corporeæ, & materialis explicatur independenter omnino ab indifferentia, & carentia indifferentiæ ad maiorem, & minorem præſentiam, & conſtabit lib. 1. de Anima, diſp. 3.

34 Hac indifferentia ſtatuta, & probata, conſequens eſt, quod punctum quantitatis indigeat aliquo à ſe diſtincto, per quod determinetur, vt iam habeat maiorem præſentiam præ minore, & è converſo. Hoc ſuperaditum frequenter eſt temperamentum primarum qualitatum receptum, & variè permixtum in quantitate corporis; ſicut enim materia prima indifferens de ſe ad omnes formas determinatur vt habeat hanc præ alia, & vt exigat hanc præ alia per has, aut illas diſpoſitiones; ita punctum quantitatis indifferens ad omnes præſentias maiorem, & minorem, per quas poteſt conſtitui extra locum alterius, determinatur vt habeat, & exigat hanc præ illa per hoc determinatum temperamentum; per aliudque determinatur, vt habeat, & exigat aliam. Vnde, quænam præſentia ſit hic, & nunc adæquata, & proportionata puncto quantitatis, non eſt penſandum ex puncto ſecundum ſe, ſed ex ipſo vt coniuncto cum tali diſpoſitione, & temperamento qualitatum. Cuius ratio eſt. Quia illa præſentia eſt adæquata, & proportionata puncto quantitatis, quæ ipſi debetur: ſed ipſi ſecundum ſe nulla præſentia determinata debetur determinatè, quia ſecundum ſe, intrinſecè eſt indifferens ad omnes: ipſi autem vt coniuncto cum hoc temperamento debetur hæc, & vt coniuncto cum alio debetur alia: ergo quænam præſentia ſit ipſa adæquata, & proportionata, non eſt penſandum ex puncto ſecundum ſe, ſed ex ipſo, vt coniuncto cum tali temperamento.

35 Vnde fit 1. Tunc quantitatem continuam, & quodvis aliud corpus diviſibile exiſtere in loco ſibi adæquato, quando omnia eius puncta ſunt alia extra alia per præſentiam, quæ debetur ipſi, vt coniuncto cum eo temperamento, quod tunc habet. Ideò per varietatem temperamenti, cum quo poteſt in diverſis temporibus coniungi, iam erit tanquam in loco ſibi adæquato in hoc loco, maiori, & non in alio minori; iam in alio minori, & non in hoc maiori. Fit 2. Tunc quantitatem, & aliud

aliud quodvis corpus bilocari, & replicari præſentijs naturaliter impoſſibilibus, quando extenditur ad occupandum ſpatium maius illo, quod debetur ipſi, vt coniuncto cum temperamento, quod tunc habet. Si enim quantitati ſub hoc temperamento debetur occupare octo puncta ſpatij, & datur illi præſentia, per quam occupet ſexdecim; tunc dabitur quantitatis replicatio ſecundum locum indebita, & miraculoſa. Ex 3. Tunc puncta quantitatis, & cuiuſvis alterius corporis penetrari inter ſe, quando ita contrahuntur ad ſpatium minus illo, quod debetur ipſis vt coniunctis cum temperamento, quod tunc habent, vt aliquod, aut aliqua ſint intra locum aliorum.

36 Obſervandum eſt 2. Punctum indiviſibile quantitatis dupliciter poſſe extendi ad occupandum ſpatium diviſibile. Primo per præſentiam entitativè indiviſibilem, quæ ſe, & punctum quantitatis faciat præſentem toti ſpatio, & loco diviſibili, & cuilibet puncto ipſius. Secundo per præſentiam diviſibilem entitativè, cuius quodlibet punctum ſe, & punctum quantitatis faciat præſentem puncto indiviſibili ſpatij, ita vt punctum quantitatis per totam præſentiam ſit in toto ſpatio diviſibili, & in quovis determinato puncto ſpatij per punctum præſentiæ ei puncto ſpatij correſpondens; vndè punctum quantitatis erit replicatum localiter in tot punctis ſpatij, quot ſunt puncta præſentiæ correſpondentis punctis ſpatij. Prima præſentia eſt diffinitiva eſſentialiter diſtincta à circumſcriptiva; ſecunda eſt etiam definitiva, ſed non diſtincta eſſentialiter à circumſcriptiva, vt dictum eſt in Phyſica lib. 4. diſp. 1. ſect. 3.

37 Res entitativè indiviſibilis ſivè materialis, ſive formalis, de facto forte non poteſt exiſtere in loco diviſibili, niſi per præſentiam ſecundi generis. Supponamus id ita accidere, & præſentiam primo loco expoſitam non poſſe dari citra miraculum rei indiviſibilis. Indè autem infertur 1. Corpus diviſibile quatuor punctorum, occupans quatuor puncta ſpatij, non aliter poſſe extendi ad occupanda octo, niſi quatenus quodvis punctum ipſius per replicatas præſentias, continuas tamen, fiat præſens duplici puncto ſpatij. Similiter idem corpus extenſum per replicatas præſentias per octo puncta ſpatij, non aliter contrahetur ad quatuor niſi amittendo præſentias replicatas, manenteque quovis puncto corporis in vnico tantum puncto ſpatij.

38 Ex his, & ſupra dictis infertur 2. Si corpus quatuor punctorum extendatur ad octo puncta ſpatij, quando hoc ſpatium debetur illi ratione tempera-

peramenti, quod tunc habet, ea replicatio præſentiarum erit rarefactio, & naturaliter poſsibilis, quia pro eis circunſtantijs erit debita naturæ; ſed talis replicatio non erit rarefactio naturaliter poſſibilis, quando non ſit debita corpori ratione temperamenti, quod habet, ſimiliter quando ratione alterius temperamenti contrahitur idem corpus ad ſex puncta ſpatij, ea diminutio præſentiarum eſt condenſatio: quia ea minor extenſio eſt tunc debita corpori ratione temperamenti, cum quo coniungitur.

39 Infertur 3. Tunc corpus quatuor punctorum erit ſummè denſum, quando non occupet pluſquam quatuor puncta ſpatij: quia nullum punctum ipſius poteſt per condenſationem contrahi ad occupandum minus ſpatium. Tunc vero illud corpus rareſiet, quando omnia, aut aliqua puncta ipſius occupant per replicatas præſentias plus vno puncto ſpatij, & eo plus rareſiet, quo omnia, aut aliqua eius puncta replicentur in pluribus, & pluribus punctis ſpatij. Infertur 4. Corpus natura ſua rarum ſiet denſum, quando omnia, aut aliqua puncta ipſius contrahunt, vt occopent pauciora puncta ſpatij, quam occupabant ſub temperamento ſibi connaturali: corpus autem natura ſua denſum rareſiet, quando omnia, aut aliqua eius puncta extendantur, vt per replicatas præſentias occupent plura puncta ſpatij, quam occupare ſolent ſub temperamento ſibi connaturali.

40 Sed advertendum eſt, quod corpus non ſemper rareſit, aut condenſatur ſecundum omnia puncta quantitatis, quam habet. Nam ſi ſemper ac corpus rareſit, rareſieret ſecundum omnia ſua puncta, quodlibet punctum replicaretur, vt minimùm in duplici puncto ſpatij, & conſequenter corpus occuparet duplo maius ſpatium, quam antea; ſed non ſemper, ac rareſit corpus, occupat duplo maius ſpatium, quam antea, vt conſtat experientia: ergo non ſemper rareſit ſecundum omnia ſua puncta. Quod autem aliæ partes, aliaque puncta corporis præ alijs rareſiant, provenit ex eo, quod temperamentum determinans ad raritatem, introducitur in alijs partibus, & non in alijs.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta impugnantia noſtram ſententiam.

41 OBijc. 1. Quantitas non eſt indifferens ad habendam maiorem, & minorem extenſionem ex determinatione huius, aut illius temperamenti: ergo illius rarefactio non poteſt conſiſtere in productione maioris extenſionis. Antecedens probatur 1. Quia ſi eſſet ita indifferens, certe contenta

eſſet

eſſet cum quavis extenſione ; ac proinde per quamvis extenſionem exiſteret in loco ſibi adæquato abſque vlla penetrari me ſuarum partium : ſed hoc eſt falſum : tùm quia ſi quantitas Gigantis reduceretur ad ſpatium vnius palmi, haberet aliquam extenſionem ; & tamen partes illius penetrarentur abſque dubio : tùm quia quantitas corporis Chriſti D. non eſſet penetrata in Eucharistia ; ſiquidem ibi etiam habet aliquam extenſionem. 2. Probatur idem antecedens. Maior extenſio, quam habet aqua, dum rarefit, eſt contra exigentiam quantitatis aquæ : ergo quantitas aquæ non eſt indifferens ad minorem, & maiorem extenſionem. Antecedens probatur : quia dum remouetur agens extrinſecum, quantitas aquæ, recuperat priſtinam extenſionem, quod non accideret, ſi maior illa extenſio non eſſet contra eius exigentiam.

42. Nego antecedens argumenti, & ad primam illius probationem nego maiorem : quia quantitas non eſt contenta, niſi cum ea extenſione, quæ eſt proportionata ipſi vt coniunctæ cum tali temperamento, & per quam ita conſtituatur in loco, vt omnes ipſius partes ſint aliæ extra alias. Ideò quantitas Gigantis nō eſt contenta cum extenſione vnius palmi : quia tot habet partes, quæ ſi reducerentur ad tam paruum ſpatium, aliæ eſſent intra locum aliarum. Similiter quantitas Corporis Chriſti D. eſt penetrata in Eucharistia : quia partes aliæ ſūt in loco aliarum. Ideò que extenſio illa vi cuius quæuis pars ipſius eſt replicata in pluribus partibus ſpatij hoſtiæ, non eſt extenſio propria corporis rari, nec naturaliter poſsibilis. Ad ſecundam probationenem, nego antecedēs, & ad illius probationem dico, quantitatem aquæ non ideo recuperare priſtinam extenſionem, quia maior alia, quam habebat dum erat rara, eſt contra exigentiam illius, vt coniunctæ cum temperamento raritatis ; ſed quia hoc temperamento deficiente, recuperat priſtinum temperamentum, cum quo extenſio minor eſt ei debita, proportionata, & non alia maior.

43. Obijc. 2. Quando quātitas ceræ eſt denſa, & occupat medietatem vaſis, eſt in loco ſibi adæquato : ergo ſi per rarefactionem occupat aliam medietatem vaſis, erit in duplici loco ſibi adæquato, quod eſt naturaliter impoſsibile : ergo quantitas non rarefit per productionē maioris extenſionis. Reſpondent aliqui quantitatem poſſe occupare duplex ſpatium adæquatum continuum, licet non poſsit occupare duplex diſcontinuum : quia duplex ſpatium diſcontinuum non poteſt eſſe illi debitum : poteſt tamē eſſe illi debitum duplex ſpatiū adæquatum continuum, vt in caſu argumēti ; ſed contra, faciat Deus, vt poteſt meam quantitatem per præſen-

ſentias circuſcriptivas continuas præſentari toti huic gymnaſio. In hoc caſu exiſteret quantitas in pluribus locis adæquatis continuis: & tamen nullus dicit eſſe raram, ſed potius replicatam modo naturaliter impoſsibili: ergo quod quantitas ſit rara, vel replicata replicatione locali naturaliter impoſsibili non eſt deſumendum ex eo, quod exiſtat in duplici loco adæquato continuo, vel diſcontinuo.

44 Quare ad argumentum reſpondeo, quantitatem ceræ ante rarefactionem eſſe in loco tunc ſibi adæquato ratione temperamenti, quod tunc habebat; & in rarefactione eſſe in loco tunc ſibi adæquato ratione temperamenti advenientis. Inde diſtinguo primum conſequens: erit in duplici loco adæquato ſibi vt coniunctæ cum priori temperamento, concedo: in duplici loco adæquato ſibi vt coniunctæ cum temperamento raritatis, nego conſequentiam: quia præſentia adæquata corporis eſt illa, quæ debetur ipſi vt coniuncto cum temperamento, quod de facto habet, & quando habet temperamentum raritatis, hęc præſentia maior, & non alia minor eſt, quæ ipſi debetur, ideoque hæc ſola eſt tunc adæquata.

45 Obijc. 3. Corpus circulare poteſt æquè condenſari ſecundum omnes ſuas partes & puncta; ſed iuxta noſtram ſententiam id non poteſt accidere: ergo ea falſa eſt. Minor probatur. Si æquè condenſaretur ſecundum omnes ſuas partes, & puncta, tantum ſpatium occupabunt puncta circuli concentrici, ac puncta circuli excentrici: quia tot puncta ſunt in vno, ac in alio; ſed puncta circuli concentrici non poſſunt occupare tantum ſpatium, quantum occupant puncta circuli concentrici: conſtat enim circulum concentricum correſpondere multo minori ſpatio, quam circulum excentricum: ergo. Conceſſa maiore, nego minorem, cuius probatio ſupponit falſo, circulum concentricum corporis circularij habere tot puncta quãtitatis, quot habet circulus excentricus, cuius oppoſitum probatum eſt à nobis in Phyſica diſput. de continuo: quare quando totum illud corpus æquè condenſatur ſecundum omnes ſuas partes, neceſſe eſt, quod circulus concentricus occupet ſpatium multò minus eo, quod occupabitur à circulo excentrico. Quomodo autem cum hoc componatur, quod à quolibet puncto circuli excentrici poſsit dari linea recta ad centrum, quin vlla illarum linearum coincidat cum alia in eodem puncto circuli concentrici, dictum eſt loco citato.

46 Obij. 4. Iuxta han ſententiam agens denſius non aget in paſſo applicato fortius, quam agens minus denſum,

con-

contra id quod diximus tract. 1. diſp. 3. ſect. 2. Sequela probatur 1. Quia Angelus præſens tantum angulo gymnaſij non intelligit intenſius, quam ſi fiat præſens toti gymnaſio. 2. Quia Petrus exiſtens circumſcriptivè Compluti, & Romæ, non nutritur, nec intelligit debilius, quam ſi ſolum exiſtat Compluti: ergo agens denſius non plus operatur, quam rarum. Nego ſequelam, ad cuius primam probationem, eſt diſparitas: nam agens corporeum denſum v.g. ferrum calidum indiget applicatione, vt operetur in paſſo, & applicatio eſt maior, quo denſius eſt agens, ideòque fortius agit, quam agens rarum. Angelus autem, vt intelligat non indiget applicatione locali, aut alia diſpoſitione dependente à loco, & ideò conducente ad actionem: ac proinde æquè bene intelligit quando eſt in parvo, & in magno ſpatio. Ad ſecundam verum eſt antecedens, ſi vtrobique habet eadem comprincipia ad operandum, ſecus ſi aliter: nam ad operandum, vltra ſuam virtutem intrinſecam, indiget alijs comprincipijs.

47 Obijc. 5. Corpus miraculosè præſens circumſcriptivè Compluti, & Romæ non eſſe rarum. Sed haberet maiorem extenſionem: ergo raritas non conſiſtit in maiori extenſione, neque rarefactio in productione maioris extenſionis. Confirmatur. Corpus Chriſti D. in Euchariſtia non eſt denſum, licet habeat minorem extenſionem, quam in cœlo: ergo condenſatio non conſiſtit in minoris extenſionis productione; neque denſitas in minore extenſione. Conceſſa maiore argumenti, diſtinguo minorem; habet maiorem extenſionem provenientem ex determinatione temperamenti, quod tunc habet, nego: aliunde provenientem, concedo minorem, & diſtinguo conſequens: ſi maior extenſio non provenit ex determinatione temperamenti qualitatum exiſtentis in corpore concedo: ſi provenit ex determinatione eius temperamenti, nego conſequentiam. Inde ad confirmationem. Corpus Chriſti in Euchariſtia, licet minus extenſum, quam in cœlo non eſt denſum: tùm quia illà minor extenſio non provenit ex determinatione proprij temperaméti: tùm quia illa minor extenſio includit penetrationem partium corporis Chriſti inter ſe, & effectus formalis denſi, vtpote, qui naturaliter, & citra miraculum accidit corporibus, non includit; potius repugnat penetrationi naturaliter impoſsibili.

48 Obijc. 6. Ponamus ceram exiſtentem intra vas æreũ condenſari ſummè, & ei poſtea adiungi ingentem ignem; & probatur ſic in noſtra ſententia non poſſe rareſieri. Non enim poteſt rarefieri à parte ſuperiori; quia calor applicatur illi à par-

parte inferiori (ſupponamus hoc) & nullum agens operatur in diſtans, quin prius operetur in propinquum. Non à parte inferiori immediatè contigua fundo vaſis; neque à parte exiſtente in medio vaſis: quia cera exiſtens in fundo, & medietate vaſis nequit rareſieri, quin aliæ partes ipſi continuæ condenſentur, nam alias daretur penetratio; ſed partes illæ continuæ non poſſunt condenſari, quia ſupponimus eſſe ſummè denſas: ergo cera illa nullo modo poſſet rareſieri. Hæc obiecto, cui nimium inſiſtunt aliqui, æquè impugnat alias ſententias. Nam ſi rarefactio facienda eſt per introductionem novæ quantitatis, aut corpuſculorum, quomodo intrare poterunt ad fundum, aut ad medietatem vaſis? Non enim intrabunt per vas ipſum, quod caret poris dantibus additum adeo ingenti copiæ corporum, & magnæ quantitati. Non per ceræ latus, aut partis ſuperioris vaſis, quia ſummè denſa cum ſit, neque amittet advenientem quantitatem, aut corpuſcula; neque intra ſe habet aliqua corpuſcula, quæ mittere poſſit ad partem rarefaciendam. Deinde, eſto poſſent aliunde advenire corpuſcula, adhuc cera non poſſet rareſieri; quia nulla ipſius pars poſſet per rarefactionem ſe extendere ad occupandum maius ſpatium, quin penetraretur cum alia vicina, nam loquimur in caſu, in quo partes vicinæ non poſſunt contrahi ad minus ſpatium propter ſummam denſitatem, quam habent. Eodem modo poteſt retorqueri argumentum contra ſententiam quarto loco reiectam vt facile quiſque deprehendet.

49 Admiſſo caſu argumenti, reſpondeo, quod ſi in partes ceræ exiſtentis in fundo, aut in medietate vaſis introducitur temperamentum raritatis, & non in reliquas, vas frangetur, ne detur corporum penetratio; atque inde provenit, quod ſæpè experimur; nempè vas plenum liquore aliquo congelato frangi, ſi calori, aut igni applicatur. Si vero temperamentus raritatis introducitur in partes ceræ exiſtentis in ſuperficie ſuperiori vaſis, qua ex parte facilior eſt additus, tunc partes illæ prius rareſiunt, vt etiam conſtat experientia. Tandem ſi ſimul detur in omnibus æquale temperamentum; & ſi qualis quæ diſpoſitio ad raritatem, Deus determinabit à quibus partibus incipienda eſt rarefactio. Admiſſi argumenti caſum, qui forte nunquam contingit, quia cum quodvis corpus circundetur tot cauſis extrinſecis, difficile valde eſt, earum omnium qualitates adeo conſpirare in denſitatem, vt omnino expellant ab omnibus partibus ceræ vaſis temperamentum

raritatis. Ideò experimur, quod à medietate vaſis ceræ congelatæ aſcendunt ſurſum aliquæ partes rarefactæ, non rarefactis alijs, quod accidere nequit quin partes vicinæ aliquatenus contrahantur, & magis condenſentur.

50 Obijc. 7. Si cera rarefit per acquiſitionem maioris præſentiæ, & denſatur per acquiſitionem minoris, cum aliàs omne ſpatium infra cœlum ſit repletum corporibus, neceſſarium erit, quod cera rarefacta penetretur cum eius; & ſimiliter neceſſarium erit, quod quando condenſatur maneat vacuum maius illud ſpacium, quod prius occupat; ſed vtrumque horum eſt impoſsibile: ergo. Reſpondeo neque in rarefactione penetrari corpora; neque in condenſatione dari vacuum. Non datur primum: quia dum cera rarefit, imprimit impulſum in corpus proximum, vt ad minus ſpacium ſe contrahat, contrahiturquè, ſi eſt capax denſitatis; ſin autem illud imprimit impulſum in proximum, quod ſi non eſt capax denſitatis, imprimit etiam impulſum in proximum, & ſic deinceps donec impulſus perveniat ad corpus aptum denſitati, quod abſque dubio denſabitur ad vitandam penetrationem. Non datur ſecundum: quia corpus ipſum, quod contrahitur ad minus ſpacium per denſitatem, attrahit proximum, vt ſe extendat ad maius illud ſpacium relictum, & rarefiat; rarefit autem, ſi eſt capax rarefactionis, ſin autem hoc attrahit proximum, & ſic deinceps donec ad aliquod aptum raritati perventum ſit, quod abſque dubio rarefiet ad vitandum vacuum. Ratio autem horum eſt, quia vt dictum eſt lib. 4. Phyſic. diſp. 1. ſect. 6. natura abhorens vacuum, & penetrationem corporum, omnibus eis indidit vim; vt alia impellant, & attrahant quantum neceſſarium ſit ad impediendum vacuum, & penetrationem.

51 Dices: ergo non poteſt vnum corpus rarefieri quin condenſetur aliud; neque vnum condenſari quin aliud rarefiat. Concedo conſequentiam, quam quidquid dicat P. Oviedo, concedere tenetur ipſe, & omnes componentes rarefactionem, & condenſationem per appulſum, & depulſum corpuſculorum. Nam vel quando cera rarefit corpuſcula illa, per quæ tumeſcit, extrahuntur ab aère vicino; vel producuntur de novo intra ipſam, nullo extracto ab aère vicino? Si primum: neceſſe eſt aèrem vicinum eis corpuſculis evacuatum redigi ad occupandum minus ſpatium, ne intra illius partes detur vacuum. Si ſecundum: neceſſe etiam eſt, aèrem vicinum contrahi, & condenſari, ne cera ſe extendens ad maius ſpatium, penetretur cum aère.

Si-

Similiter quando condenſatur, vel deſtruuntur corpuſcula egredientia, vel ſe inſinuant in aërem vicinum. Si primum rareſit aër propinquus ceræ, ne detur vacuum. Si ſecundum: ne corpuſcula penetrentur cum aëre, hic per illorum ſuſceptionem occupabit maius ſpatium, & rareſiet: ergo adhuc in ea ſententia, quæ quia videtur vitare hanc conſequentiam commendatur à ſuis AA. nequit vnum corpus rareſieri, quin aliud condenſetur, neque vnum condenſari, quin aliud rareſiat.

52 Objic. 8. Sit quantitas ceræ longitudinis octo punctorum nullam habens latitudinem, & profunditatem; ponatur ſupra papyrum longitudinis, & latitudinis palmaris, & ratione caloris applicati rareſiat verſus longitudinem, & latitudinem papyri. Iam ſic arguitur contra nos. Poſita hac rarefactione ceræ poteſt quis forfice ſecare papyrum illam verſus longitudinem, vt videtur certum. Vel ergo ſecabit ceram rarefactam, & hoc eſt impoſsibile, quia cum cera non habeat puncta aliqua, quæ verſus latitudinem dividi poſsint, & ſeparari alia ab alijs, ſecari non poteſt, neque ab agente creato, neque à Deo quacumque potentia operante. Vel non ſecabit ceram rarefactam: & ſi hoc dicatur: neque ſecare poterit papyrum, ſupra quam eſt cera, quod eſt contra ſuppoſitionem, & contra veritatem: ergo in hoc caſu non poteſt fieri rarefactio per acquiſitionem maioris præſentiæ. Hoc argumentum æquè fieri poteſt contra aliàs ſententias, vt patebit conſideranti. Pro omnibus reſpondeo, agens naturale habens vires, vt ſeccet papyrum verſus longitudinem, exigere quod ceſſet præſencia illa ceræ inſecabilis. Sed quia non exigit, quod illa præſentia ceſſet abſolutè à rerum natura, manente calore illam determinante ad raritatem; neque exigit quod detur ceræ ſimilis alia præſentia potius ad vnum latus, quam ad aliud papyri, Deus qui vt author naturæ determinat individuationes rerum determinaret ſupra quam partem papyri diviſa ponenda ſit cera cum extenſione, & præſentia ſimili præcedenti.

SECTIO IV.

Solvuntur fundamenta aliarum ſententiarum

53 Objicies 9. Pro prima ſententia impugnata ſect. 1. In rarefactione eſt parva materia cum magnis dimenſionibus; ſed dimenſio eſt quantitas; ergo, & parva materia cum magna quantitate, & conſequenter rarefactio fit per productionem, vel acquiſitionem no-

novæ quantitatis. Confirmatur 1. extenſio petitur ſimpliciter à quantitate: ergo maior extenſio à maiori quantitate: quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis. 2. Extenſio eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis: ſed non poteſt multiplicari effectus formalis ſecundarius formæ, non multiplicata forma, quæ præſtat effectum formalem ſecundarium: ergo non poteſt in rarefactione multiplicari extenſio, & præſentia quantitatis non multiplicata quantitate. 3. Si maior extenſio poteſt dari ſine maiori quantitate, accidere poterit, quod corpus magis extenſum habeat minorem quantitatem, quam corpus minus extenſum; ſed hoc eſt falſum: quia ex maiore, aut minore corporum extenſione colligimus maiorem, aut minorem illorum quantitatem: ergo maior extenſio non aliunde provenit in rarefactione, quam à maiore quantitate.

54 Ad argumentum, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: dimenſio formalis eſt quantitas, nego: dimenſio radicalis eſt quantitas; concedo minorem, & nego conſequentiam. Etenim in rarefactione eadam quantitas præcedens, quæ eſt radix extenſionis, exigit ratione temperamenti, quod tunc habet, maiorem extenſionem localem, & præſentiam, quæ eſt dimenſio formalis. Ad primam confirmationem, diſtinguo antecedens: extenſio hæc, aut illa ſumpta determinatè petitur à quantitate, nego: extenſio aliqua indeterminatè ſumpta, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Petit enim quantitas ſecundum ſe habere præſentiam, per quam ſuæ partes ſint, & conſtituantur aliæ extra aliàs, ſed non petit habere partes aliàs extra alias per hanc determinatam præſentiam præ illa; ideòque, vt hic, & nunc debeat habere ſuas partes alias extra alias per hanc præſentiam maiorem, potius quam per illam minorem, opus eſt coniungi cum hoc, aut illo temperamento, vt ſupra explicatum eſt. Inde ad ſecundam confirmationem dico, effectum formalem ſecundarium quantitatis eſſe extenſionem, per quam habet ſuas partes alias extra alias; & cum hoc æquè bene præſtetur per maiorem, & minorem extenſionem, & præſentiam, deeſt fundamentum, & ratio vt ab intrinſeco determinata ſit, vt potius petat hanc præſentiam, & extenſionem præ alia, quæ tribuat eundem effectum formalem. Quare, vt ſciamus quænam extenſio hic, & nunc ipſi debeatur tanquam effectus ſecundarius, attendere debemus tempera-

mentum qualitatum, cum quo coniungitur.

55 Ad 3. confirmationem, nego minorem, ad cuius inſertam probationem reſpondeo: ex maiore, & minore extenſione non colligimus *abſolutè* maiorem quantitatem; ſed cum hoc addito *cæteris partibus*. Non colligimus *abſolutè*: quia ſi ferrum exiſtens in ſuo ſtatu connaturali ſit extenſum per ſpatium palmare, & aqua etiam exiſtens in ſuo ſtatu connaturali ſit extenſa per ſpatium æquale, habebunt æqualem extenſionem, vt patet, & tamen inde deducere non poſſumus, vtriuſque quantitatem æqualem eſſe: quia proculdubio multo plus quantitatis datur in ferro eius extenſionis, quam in aqua. Colligimus tamen cum hoc addito, *cæteris paribus*. Quia ſi vnum è duobus corporibus æquè denſis, aut æquè raris, ſit magis extenſum quam aliud, illud quod fuerit magis extenſum habebit maiorem quantitatem. Sic ferrum exiſtens in ſuo ſtatu connaturali, & extenſum per ſpatium palmare habet plus quantitatis, quam ferrum ſemipalmare exiſtens etiam in ſuo ſtatu connaturali. Sic aqua replens amphoram, plus quantitatis habet, quam aqua replens parvum vas. Si autem è duobus corporibus vnum ſit denſum, & aliud rarum, & vnum non habeat maiorem extenſionem, quam aliud, inde non poſſumus legitimè inferre, vtrumque habere quantitatem entitatiuè æqualem.

56 Obijc. 10. Pro ſecunda ſententia. Quando aqua, aut lac fervet, & rareſcit, excitantur bullæ quædam aëre plenæ: ergo intra aquam continebatur aër replens illas bullas, ac per inde illa aëris rarefactio fiet per aëris, & corpuſculorum intromiſsionem. Confirmatur. Corpora ſpongioſa plena ſunt aëre, & corpuſculis, quæ eggrediantur in condenſatione, & ingrediantur in rarefactione: cur ergo non conſiſtet rarefactio, & condenſatio in eo ingreſu, & eggreſſu aëris, & corpuſculorum? Ad argumentum reſpondeo, bullas aquæ ferventis non fieri ex aëre contento intra poros aquæ, ſed ex partibus illis aquæ, quæ nimio calore alteratæ diſſolvuntur, & convertuntur prius in tenues vapores, deinde in aërem. Deinde tranſeat, aliquid aëris ingredi in aquam ferventem: rarefactio tamen non conſiſtit in ea aëris, vel corpuſculorum intromiſsione, propter dicta ſect. 1. Ad confirmationem dico ſimiliter, nos non negare, quod aliquando in corpore rarefacto dantur corpuſcula, quæ eggrediantur dum idem corpus denſantur; ſed dicimus

ra-

rarefactionem ; & condenſationem non conſiſtere formaliter in ingreſu, aut eggreſſu corpuſculorum ; & corpuſcula neceſſaria non eſſe ad effectus formales rari, & denſi, & in pluribus caſibus dari non poſſe corpuſcula, vt ſupra dictum eſt.

57 Obijc. 11. Pro quinta ſententia. Corpus liquidum eſt rarum, & corpus ſolidum eſt denſum; ſed liquidum non diſtinguitur à ſolido per ordinem ad maiorem præſentiam; ſed quia primum conſtat vnione facile ſolubili, & ſecundum vnione difficile ſolubili: ergo raritas, & denſitas conſiſtit in vnione facile, & difficile ſolubile, & non in maiore, aut minore præſentia. Maior probatur 1. Quia quando metallum liquidatur adformandam campanam, eſt rarum, & fit denſum, dum poſtea ſolidatur, recedente calore; in vtroque autem caſu habet eandem extenſionem. 2. Quia ſi vas plenum cera, & ita obturatum, vt cera effluere nequeat, applicetur igni, rarefit cera; tunc autem non occupat maius ſpatium, quia, vel bilocarentur, & penetrarentur eius partes, quod eſt impoſsibile; vel rumperetur vas, quod eſt contra experientiam. 3. Quia ſanguis Chriſti in Euchariſtia eſt rarior oſsibus, non quia occupet maius ſpatium, quam illa, vt conſtat; quia omnes partes Corporis Chriſti ſunt in toto ſpatio hoſtiæ, & in qualibet illius parte: ergo quia ſanguis eſt liquidior oſsibus.

58 Nego maiorem: quia vt dicebamus in impugnatione huius ſententiæ, non agitur in præſenti de raro, & denſo, prout coincidit cum liquido, & ſolido, ſed prout dicunt maiorem & minorem extenſionem, quam alàs ſolent habere illa corpora; hæc enim eſt ſtricta, & rigoroſa condenſatio, & rarefactio, de qua egit Ariſtot. & de qua agunt cum eo Phyloſophi. Ad primam probationem maioris negatæ dicendum eſt; quod ſi metallum, dum liquefit, non occupat maius ſpatium quam antea, vel quam occupat, dum iterum ſolidatur, non rareſcit tunc; neque habet raritatem in ſenſu præſentis diſputationis. Ad ſecundam: cera illius vaſis, prout ponitur in argumento, ſi liquefieret, frangeret vas: quia non poſſet liquefieri, niſi per extenſionem ad maius ſpatium, & hoc ſpatium æcquirere non poſſet intra vas, ſi non penetrarentur partes ceræ. Cum ergo penetratio ſit impoſsibilis, dicendum eſt, vel ceram non liquefieri, vel frangere vas. Ad tertiam; verum eſt ſanguinem

T 2 Chriſ-

Chriſti Domini in Euchariſtia eſſe liquidiorem oſsibus ; ſed dico ibi neque ſanguinem eſſe rarum , neque oſſa denſa in ſenſu , de quo nunc loquitur, vt ſatis ſemel , & iterum dictum eſt ſupra. Et hæc pro diſputationibus de generatione , & corruptione : quibus Philoſophi annectere ſolent aliqua de Cœlo , Elementis , & Metheoris. Ne igitur horum notitia deſideretur , nonnulla dicemus brevitati , conſulentes in ſequenti tractatu : qui plura velit videat PP.Conimbricenſes, qui de hac re doctè,& diffuſè præ alijs diſputant.

(?)

LIB.

LIBER

DE ELEMENTIS, & Cœlo.

DISPVTATIO I.

De Elementis, eorumque affectionibus, & mixtione.

ADiunxit Ariſtoteles libris de Generatione tractatum de elementis, vbi diſcutit, qua ratione concurrant ad mixtorum generationem. Et quia ſingulis elementis quædam affectiones ſolent contingere, quæ Metheora græco vocabulo appelari conſueverunt, de quibus per quatuor libros egit Philoſophus de ijs in præſenti diſputatione ſermonem habebimus, quæ notiora ſunt percurrentes, & omittentes minus neceſſaria. Qui plura velit legat PP. Conimbricenſes, qui late, & erudite omnia per tractant.

SECTIO I.

De Elementis, & Metheoris in genere, & de primis qualitatibus.

1 ELementa ſumi ſolent communiter pro principijs intrinſecis cuiuſvis, & pro omni eo, ex quo aliquid componitur, & in quod tandem reſolvitur. In præſenti ſumitur elementũ pro corpore concurrente ad generationem mixtorum: cuiuſmodi ſunt ignis, aèr, àqua, & terra. Clariorem eorum definitionẽ tradit Ariſt. l. 3. de Cœlo c. 3. text. 31. Elementum, inquit, eſt *illud corpus, in quod alia corpora dividuntur, in quibus ineſt potentia, aut actu; ipſum autem eſt in forma diverſa indiviſibile.* Hæc definitio communiter recepta eſt; vt tamen recta ſit, & ſolis elementis, aptari poſſit, ſic intelligi debet. Elementum

corpus naturale, in quod alia vltimo diſſoluuntur. Corpus enim naturale definitur *ſubſtantia compoſita conſtans natura;* per quod materia, & forma excluduntur à ratione elementi: quia licet ſint natura, vt diximus lib. 2. Phiſicor. tamen neque materia, neque forma dicitur corpus naturale, aut conſtans natura. Differt elementum ab alijs corporibus per ea verba. *In quod alia vltimo reſoluuntur:* per quod denotatur, mixta, ſi vltimo reſolvantur, ita reſolvi in elementa, vt hæc vlterius in alia corpora naturalia non reſolvantur. Per quod differunt elementa ab illis mixtis, quæ reſolvuntur in alia mixta, quæ vlterius reſolvi poſſunt in elementa.

2 Difficultas tamen eſt non levis, qua ratione mixta poſſint reſolvi in elementa: item qua ratione ipſum elementum indiviſibile ſit? Vnumquodque enim tantum poteſt reſolvi in ea, ex quibus componitur, & poteſt dividi in partes, quibus conſtat. Cum igitur elementa formaliter non ſint in mixto; vt infra dicemus, & elementum ſit compoſitum, hoc non poteſt dici indiviſibile, nec mixtum reſolvi in elementa. Sed quod attinet ad reſolutionem mixtorum in elementa dicendum eſt, ideo in ea reſolvi, quatenus omni forma mixtorum deſtructa, remanent in materia qualitates, quę deſerviunt ad introductionem formę elementi; vnde quaſi ex intrinſeco, vt loquitur Oviedo, mixta reſolvuntur in elementa, quia qualitates præexiſtentes in mixto, manent ſub forma elementi. Dicitur vlterius elementum indiviſibile, quia cum pauciſsimis qualitatibus gaudeat, non poteſt reſolvi in aliud compoſitum, quod habeat pauciores.

3 Circa numerum elementorum conſtans ſententia eſt eſſe quaternarium. Quod licèt nulla efficaci ratione probari poſſit, vt videri poteſt apud P. Oviedo controv. 8. de Gener. p. 1. & apud Maſtriunt diſp. 4. de Cœlo quæſt. 1. ſufficit tamen experientia, qua ea quatuor novimus, maximè deficiente ratione in contrarium, & accedente communi authoritate. Elementa conſtare forma ſubſtantiali, ratione communi pro omnibus formis probandum eſt. Quem vero ſitum occupent agemus dum de ſingulis in ſpeciali ſit ſermo. Vbi etiam de proprijs paſsionibus eorum.

4 Metheora vocantur affectiones quædam, quæ in elementis ſolent contingere. Licèt enim propriè loquendo metheoron ſit quid ſublime, & ideo propriè loquendo ſolis affectionibus, quæ in ſublimiori regione ſublunari contingunt, poſsit convenire, vſus tamen obtinuit, vt omnes affectiones elementorum terræ, etiam, & aquæ hoc nomine donentur. Hæc metheora

ra conſtant duplici materia alia proxima, alia remota. Materia remota ſunt terra, & aqua vt plurimum: nam hæc præbent materiā proximā, quæ vt docet Ariſt. hic lib. 1. cap. 4. partim eſt vapor, partim exhalatio. Ex his enim ſive ſeorſim, ſive ſimul omnia metheora fiunt. Vapor eſt halitus calidus, & humidus oriens ex aqua. Exhalatio eſt halitus terrę calidus, & ſiccus. Hæc duas ſpecies ſub ſe habet: vnam, quę facile concipit ignem, & cōvert tur in flammam aliām quæ non facile accenditur. Ex prima generantur impreſsiones ignitæ, vt cometæ, ex ſecunda venti proxime generantur. Prima fit ex terra humida, & pingui, ideoque ob maiorem dēſitatem fovet intenſiorē calorem. Secunda oritur ex terra arida, ideoque rariori materia, & minore calore conſtat.

5 Cauſa horum efficiens eſt ſol, & reliqua aſtra, quę medijs qualitatibus in terrā diffuſsis, pręcipuè media luce calorem producit, in quo vapores, & exhalationes excitantur in aëre, vbi vario occurſu cauſarum diverſę impreſsiones fiunt. Quia tamen aliquando nulli influxui Cœlorum tribui poſſunt aliqua metheora, tunc ea provenient à Deo vel immediatè, vel medio concurſu Angelorum. Imò aliquando dœmones ea poſſunt cauſare, Deo permittente.

6 Circa formam vaporum & exhalationum dicendum eſt ſer-vare formam ſubſtantialem aquè, & terræ: quia experientia conſtat, quod deficiente calore concepto ab ea intenſione, vi cuius ſurſum aſcendunt, deſcendunt ad proprium elementum cum forma propria illius, quod in vaporibus frequenter contingit, Imò in olla fervente videmus vapores ſurſum aſcendentes retinere formam aquæ. Similiter fulmen, extincto igne concepto, fit lapis. Ideo ergo, quia formam terræ conſervabat: aliàs qua ratione repente tranſiret in lapidem: ſecus dicendum eſt de halitibus aliorum miſtorum, vt carnium, & herbarum. Quia in eis nullum indicium apparet præcedentis formæ, nec vnquam ad mixta, à quibus oriuntur, ſe revocant, licet qualitates, vi quarum ex illis exierunt, auferantur.

7 Elementa pollent quatuor qualitatibus primis, ordine & modo infra dicendo, ideo earum natura hic explicanda eſt. Primæ qualitates dicuntur, *quæ neque ex alijs, neque ex ſe mutuo fiunt; ſed ex ipſis oriuntur reliquæ.* Cuius definitionis ſenſus planus eſt: quia primæ qualitates nulla mixtione fiunt, reliquæ verò ex earum attemperatione reſultant. Duo igitur requiruntur ad cōceptum primæ qualitatis: primum quod ipſæ non fiant aliqua commixtione, aut ſui ipſarum, aut aliarum defectu, cuius colores extremi, ex quibus colores medij fiunt, non ſunt primæ qualitates: quia li-

cèt ex ipſis colores medij componantur, rurſus illi fiunt ex alijs qualitatibus. Secundum eſt, quod ex ipſis attemperamentis reſultet alia qualitas in ſubiecto, in quo ſunt. Et huius defectu, lux non eſt prima qualitas, licèt enim ex nulla mixtione qualitatum fiat; tamē ex attemperatione illius cum alijs, nulla qualitas reſultat. Nec opus eſt omnes qualitates fieri ex primis: lux enim, ſonus, & impulſus non reſultant ex aliqua commixtione: ſatis eſt omnes qualitates, quæ fiunt ex commixtione fieri ex illis.

8 Circa numerum harum qualitatum diſſidium eſt, licèt enim fere omnium ſententia ſit eas eſſe quatuor, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem; tamen non deſunt, qui frigus excludant à ratione qualitatis, ſentientes tantum eſſe privationem caloris. Ita nonnulli RR. apud Connimbric. q. 2. art. 2. Sed hæc ſententia apertè falſa eſt. Quia corpus frigidum, alteri calido aproximatum, expellit ab illo calorem, & introducit frigiditatem: ergo frigiditas aliquid efficienter agit: ergo eſt qualitas poſitiva. Vrgeo: Nullum agens naturale eſt immediatè deſtructivum alterius: non enim agentia naturalia intendunt per ſe, corruptionem: ergo frigidum quando deſtruit calorem, illum deſtruit medio aliquo effectu poſitivo incompoſibili cum calore deſtructo: ergo frigus eſt qualitas poſitiva. Vrgeo 2. Negatio vt talis non poteſt ſentiri, & percipi; ſed frigus ſentitur, imò vehementiſsimè aliquando, vt notum eſt experientia: ergo non eſt pura negatio.

9 Cardanus lib. 2. de Subtil. aſſerit, ſolum calorem, & humiditatem eſſe entitates poſitivas; frigus vero, & ſiccitatem eſſe privationes caloris, & humiditatis. Quoad ſiccitatem ſequuntur hanc ſententiam. Aquilonius lib. 5. opitic: definit. 5. & Arriaga diſp. 4. de Generat. ſect. 2. quibus conſonus videtur D. Thomas 3. de Cœlo circa text. 23. vbi clarè ait, ſiccitatem nihil aliud eſſe, quam privationem humiditatis. Rurſus idem Arriaga non diſtinguit humiditatem à ſubſtantia corporis humidi. Quare concludit duas tantum dari qualitates primas poſitivas, ſcilicèt calorem, & frigus. Hæc ſententia probatur primo. Per ſolum receſſum agentis calidi, omnia frigeſcunt. Item per ſolum defectum humoris exſicantur: ergo frigus, & ſiccitas in eo ſolo defectu ſtant. Confirm. 1. Ideo in hyeme omnia frigeſcunt, quia minimum diſtat Sol, qui ſua præſentia corpora ſublunaria calefaciebat. Confirm. 2. Quia Ariſt. 2. de Generat. text. 18. appellat frigus privationem caloris.

10 Sed eadem ratione poteſt ab oppoſito probari non dari calorem poſitivum, ſed hunc eſſe privationem frigoris. Vnde ne-

negatur antecedens; quia potius expellitur calor, & humor, quam introducitur in ſubiecto frigus, & ſiccitas. Quidquid ſit an exſiccari corpus poſſit per ſolum defectum humiditatis. Ad 1. Confir: Cauſa poſitiva frigoris in hyeme ſunt terra, aqua, & aliqua aſtra, quæ à calore ſolis nimis propinqui impediebantur ſuum frigus producere. Vnde ſol ſua abſentia pure negativè eſt cauſa frigoris, quatenus non impedit actionem illorum agentium. Ad 2. frequens eſt Ariſtoteli, & alijs rem incomponibilem cum alia appelare privationem illius, non quia ſit formaliter talis, ſed quia illam inducit, ſic morbus dicitur privatio ſanitatis. Vbi adverte illam formam ex duabus incompoſſibilibus dici privationem alterius, quæ eſt ignobilior illa.

11 Objic. 2. Arriaga: Nullum eſt fundamentum ponendi humiditatem, & ſiccitatem diſtinctas à corporibus humidis, & ſiccis: ergo ponendæ nõ ſunt. Probat antec. quia illæ qualitates non ſunt operativæ, nec percipiuntur in ſe; nec talia nde: quod non ſint operativæ, probat: quia corpora humida, non aliter humectant niſi ſe ipſa applicando alteri corpori. Efficienter autem nunquam: ſed corpora fiunt humida, quia intra eorum poros corpus fluidum inſinuatur, & ſicca, ex eo quod ab illis tale corpus removeatur. Quod non percipiatur humiditas, probat: quia homo, nec dolorem, nec moleſtiam ſentit ab aqua, niſi quia eſt nimis calida, vel frigida. Similiter, quia licèt ſiccisſimus ſit, nihil ſentit, ſi febri, vel nimio ardore non laborat. Sed hoc argumentum non vrget: quia hæ qualitates habent ſuam propriam actionem, & cauſant ſenſationem, vt iam conſtabit. Si inſiſtans. Eo precisè; quod totus humor extrahatur ab aliquo ſubiecto manebit ſiccum: ergo ſiccitas non eſt qualitas poſitiva. Dicam ego, ſubiectum manſurum frigidum eo præciſſè, quod totus calor expellatur ab illo. Quare reſpondeo, ſi à ſubiecto expellatur omnis humor, ſine introductione novæ qualitatis, nec erit humidum, nec ſiccum: ſicut non erit calidum, nec frigidum, ſi expellatur calor, & alia qualitas non adſit.

12 Contraria ſententia eſt ferè omnium, ideoque non recedendum ab illa. Probaturque ex conſenſu omnium Philoſophorum, & Medicorum, quibus apertiſsimè favet Ariſt. pluribus in locis vbi de his qualitatibus agit: tùm ab experientia, qua has qualitates ſentiri, & percipi conſtat, quidquid dicat Arriaga: tùm quia experimur tempore pluvioſo magnam humiditatem in corpore, & ſi intra cubiculum ſit valde opertum, & tutum à flavijs: tùm quia non raro citra omnem ardorem laboramus ſiccitate; tùm quia medi-

dici ex linguæ ſiccitate antequam pulſum attrectet, & gradus caloris, & intenſionem febris percipiat, gravitatem morbi dignoſcit. Confirmatur efficaciter. In Euchariſtia manet humor vini cum virtute humectandi, & non manet ſubſtantia vini: ergo humiditas eſt aliquid à ſubſtantia corporis diſtinctum: Male vexatur Arriaga hoc argumento. Sed dicit in Euchariſtia non remanere humorem, ſed tantum accidentia cum ea fluxibilitate, quam haberent, ſi ibi daretur ſubſtantia. Contra, & ſi ita licet, evidenter. Ea fluxibilitas humectat digitum applicatum: ergo eſt humiditas à ſubſtantia diſtincta. 2. In ea fluxibilitate ſtat humiditas: manet ergo hæc ſi illa manet fixum, ergo ſit dari quatuor primas qualitates diſtinctas tum inter ſe, tum à proprijs ſubſtantijs.

13 Hæ qualitates ſic definiri ſolent ex Ariſt. Calor eſt, *Qui congregat homogenea, & ſegregat etherogenea.* Vt patet in igne, qui aurum alijs metallis permixtum purgat ab illis, & partes eius diviſas coniungit. Sed vt hæc definitio tuta ſit, intelligenda eſt de calore in ea intenſione, in qua non deſtruat temperamentum forte illius ſubiecti, in quo inducitur. Nam aliàs ſæpè dùm nimis intenſus eſt deſtruit, & diſſipat partes homogeneas. Frigus eſt, *quod congregat homogenea, & etherogenea.* Experientia enim notum eſt, frigus corpora ſivè eiuſdem, ſivè diverſæ rationis comprimere, & congregare: Humidum eſt, *quod difficile proprio termino terminatur, alieno vero facile.* Aqua enim facile in proprio ſitu labitur ex omni parte: at vero facile intra vas concluditur. Siccum eſt, *quod facile proprio termino, difficile alieno terminatur.* Vt patet in terra, ferro, & lapide, quæ à ſiccitate talem accipiunt duritiem, & conſiſtentiam, vt valde difficile à ſuis terminis extrahantur. Hę definitiones traditæ ſunt ab Ariſtotele ex propria, & non ex aliorum mente, quidquid contradicant PP. Conimbric. Quia ab initio libri 2. de Generat. tradit illas ſine mentione veterum: illas ergo tradit ex propria ſententia. Nihilominus illæ plures difficultates patiuntur, omnino videndas apud Conimbric. 2. de Generat. cap. 3. quæſt. 3. & apud Maſtrium diſput. 1. de Generat. quæſt. 2. art. 2.

14 Quæres 1. an qualitates ſymbolæ ſint eiuſdem ſpeciei? Qualitates ſymbolæ dicuntur illæ, quæ in diverſis ſubiectis eodem nomine gaudent. Apud Medicos plura circa hoc invenies. Negant Averroes, Simplicius, & Alexander cum alijs. Communis ſententia eſt affirmativa, & tradita ab Ariſt. 2. de Generation. text. 24. Probo breviter qualitates iſtæ mutuo ſe intendunt: quia calor productum

ab

Digitized by Google

ab igne intendit calorem productum à ſole, & calorem exiſtentem in homine: ergo hi calores ſunt eiuſdem ſpeciei. Antec. conſtat, & conſeq. prob. quia qualitates ſpecie diſtinctæ non ſe intendunt mutuò. Secundo: quia à quo cumque principio producatur calor, æquè immutat ſenſum, & eodem modo; & ſimiles omnino ſenſationes cauſat: omnes ergo calores ſunt eiuſdem ſpeciei.

15 Quæres 2. Quænam qualitates ex his conveniant ſingulis elementis? Et ſermo eſt de elementis in ſua diſpoſitione naturali: quia ea vt modo ordinata ſunt, habent ſine dubio aliquas qualitates extraneas ex vicinia aliorum elementorum. In qua re certum eſt primo, quodvis elementum habere ſuas proprias, & peculiares qualitates in aliqua intenſione ſibi debitas, quæ proinde propriæ illius paſsiones ſint. Licet enim ab extrinſeco agente poſsint ea intenſione privari; tamen ex ſe ſunt determinata ad illam. Vnde omnino falſum eſt, quod quidam aſſerunt de aère, ſcilicet, eſſe natura ſua indifferentem ad quaſvis qualitates, neque hanc præ aliis ſibi vendicare. Licet enim aër ſit medium, per quod reliqua agentia agunt, & ad mixtionem concurrunt, quæ eſt horum AA. ratio: id probat illum debere eſſe ſuſceptivum omnium qualitatum mixtioni inſervientium: non vero quod non ſit ex ſe determinatus ad aliquam qualitatem. Nec obſtat aërem eſſe expertem omnis caloris, vt in ſe inferatur, carere reliquis qualitatibus. Nam ſi aliquo eſſet calore affectus, impediret viſionem colorum diſtantium, vt patet experientia, quæ ratio pro reliquis qualitatibus non vrget.

16 Certum eſt ſecundò. Neque quodvis elementum omnes qualitates ſibi vindicare, neque vnam duntaxat. Primum patet: quia nec ignis eſt frigidus, neque aqua ſicca. Secundum (contra Valles. Lib. 1. controv. medic. cap. 10. ſolam humiditatem aeri tribuentem pro qua opinione citat Galenum lib. 8. de vſu partium cap. 3.) probatur. Quia duo munera ſunt in quovis elemento: primum eſt quod invicem tranſmutentur pro generatione mixtorum: ad quod opus eſt, quod habeat qualitatem aliquam, alteri elemento contrariam. Secundum eſt, vt vnum ſit locus conſervativus alterius, vt ignis aèris, aër aquæ. Sed ad id eſt neceſſarium quod conveniant in aliqua qualitate: habent ergo duas qualitates, aliam in qua contrarietatem exercent, aliam ſymbolam, in qua conveniunt.

17 Ariſt. 2. de Gener. text. 16. & alibi ita qualitates diſtribuit, vt terra ſit frigida, & ſicca, aqua frigida, & humida, aër humidus, & calidus: ignis calidus, & ſicus. Quæ ſententia communi plauſu recepta eſt.

Non

Non deſunt; qui aliter has qualitates deſtribuant: nam Feleſius lib. de rerum natura cap. 23. aquã conſtituit potius calidam, quam frigidam, & ignem potius humidum quam ſiccum, Arriaga diſp. 4. de Generat. num. 19. adſtruit terram calidam. Et num. 25. ſequutus Galenum lib. 8. de vſu partium, Cardanum vbi ſupra, & Areſium 2. de Generat. quæſt. 10. aſſerit, aërem eſſe natura ſua frigidum.

18 Communis ſententia tenenda, eſt, quę quoad ignem probatur: tum quia ſatis ex ſe apertum eſt, illum eſſe calidum, & ſiccum: tùm quia ignis extinguitur ab aqua etiam calida: ergo hæc illi opponitur non tantum ratione frigiditatis, ſed etiam ratione humiditatis, atque adeò ignis eſt calidus, & ſiccus: tùm quia quo magis ſiccum eſt aliquod corpus facilius ignem concipit: ergo quia ignis gaudet ſiccitate. Probatur aërem eſſe humidum, & calidum. Eſſe humidum: quia definitio humidi ſupra poſita ipſi apprimè quadrat: tùm qui. ſi poneretur ſiccus, cum etiam ſit calidus, non differret ab igne. Probatur eſſe calidum: quia ſi eſſet frigidus, non eſſet cur frigore corrumperetur, & verteretur in aquam, vt patet in generatione aquarum in cavernis, certitem in feneſtris vitreis, in quibus aër adhæreſcens, ratione frigoris in aquam convertitur: tùm quia aër rarus eſt, & levis, cu n tamen corpora frigida denſitate, & gravitate conſtent.

19 Quoad aquam, & terram res eſt, quæ ipſa experientia ſuadetur, Et quidem aquam eſſe humidam conſtat: eſſe frigidam probatur: quia remoto extrinſeco calafaciente, reſtituit ſe in priſtinam frigiditatem: ergo natura ſua illam exigit. De terræ ſiccitate res eſt ita clara, vt arida etiam in Sacris literis appellatur. Quoad frigiditatem etiam conſtat: quia licet partes extimæ ratione caloris ſolis ſint aliquando calidæ, at vero partes ſubterraneæ, quo magis profundæ frigidiores ſunt: ergo quia terra ex ſe fert frigiditatem. Vbi, vt quibuſdam occurras, obſervandum eſt, ſi aliquando elementa ordine dicto qualitates non habeant, id provenit ab extrinſeco impediente.

20 Sed quæres 3. Qua ratione, ſeu in qua intenſione qualitates ſingulis elementis conveniant? Reſpondeo cum communi apud Oviedum controv. cit. p. 6. ex duabus qualitatibus ſingularum elementorum, aliam eis deberi in ſumma intenſione, aliam in intenſione prope ſummа. Itaque ignis eſt ſummè calidus; & prope ſummè ſiccus: quia magis in eo viget calor, quam ſiccitas Aër eſt ſummè humidus, & prope ſummè calidus, quia facilius corrumpitur defectu humiditatis, quam caloris; ergo magis ſibi vendicat humidita-

tatis. Terra eſt ſummè arida, & prope ſummè frigida: quia magis patitur caloris, quam humiditatis ſine corruptione ſui. Aqua eſt ſummè frigida: quia in nullo alio elemento maior frigiditas percipitur; non vero ſummè humida: quia aër eſt magis fluidus, ac per conſequens magis humidus.

21 Neque obſtat primò contra dicta, magis humectare aquam quam aërem. Id enim oritur ex maiore denſitate aquæ. Neque ſecundo, aërem exſiccare alia corpora, ex quo infertur non eſſe humidum; quia aër per accidens exiccat, ſcilicet removendo ſuo impulſu aquas corpori adhærentes, ratione quarum corpus erat humidum. Neque tertio aërem calorem hominis attemperare, & illum in regione media eſſe valde frigidum, & nocturno tempore, & hyemali intenſum frigiditatem concipere. Aër enim ab agentibus contrarijs, ab aqua, terra, & aſtris facile patitur quaſvis impreſsiones, vnde recedente ſole infrigidatur. Neque tandem obſtat terram eſſe ſummè gravem, vt inde inferatur eſſe ſumme frigidam: quia ſicut lævitas oritur ex calore, ita gravitas ex frigiditate. Quia licet frigiditas ad gravitatem conducat, tamen poteſt ex alijs etiam qualitatibus provenire.

(?)

SECTIO II.

De Igne, & Metheoris ignis.

22 Circa ignem fuit communis ſententia, maximè inter Peripateticos, eſſe elementum eximiæ magnitudinis, ſitum proximè ſub concavo lunæ ſupra aërem. Sed negat Cardanus citatus aſſerens, totum intervallum inter terram, & concavum lunæ repletum eſſe aëre. In quam opinionem conſpirarunt Aſtronomi RR. & aliqui Philoſophi cum Valles de Sac. Philoſoph. cap. 1. del Rio lib. 4. diſquiſit. Magic. cap. 2. quæſt. 2 & Aroſio lib. 2. de Generat. quæſt. 3. Probant primo: quia ſi ibi ignis eſſet in tanta copia, procul dubio videretur è terra, ſicut cætera aſtra remotiora. Secundo: quia ſi ibi daretur elementum ignis tantæ molis, cum activiſsimus ſit; omnia hæc inferiora deſtrueret. Tertio: quia ſine pabulo ignis conſervari nequit; ſed in eo loco omni pabulo caret: ergo. Quarto Ignis debet eſſe in loco, in quo vtilis ſit ad bonum vniverſi; ſed in loco ita diſtanti nullum vſum poteſt habere ad tale bonum: ergo. Quinto: Si ignis ibi eſſet, moveretur in orbem ad motum lunæ atque adeò frigeſceret, nam fluida motu frigeſcunt, vt tradit Ariſt. problem. 19. ſect. 25: ergo ignis non eſt proximus concavo lunæ.

Stan-

23 Standum autem eſt communiori ſententię, quæ hac vnica ratione probatur. Ille eſt locus naturalis ignis, in quem natura ſua fertur; ſed ignis natura ſua fertur ſupra aërem, vt experientia docet: ergo eius locus proprius, & naturalis eſt ſupra aërem, & proximè ſub concavo lunæ. Negat min. Valles: quia ignis non magis petit aſcendere, quam deſcendere, licèt enim aſcendat flamma, at carbo ignitus & ferrum ignitum deſcendunt. Imò quandoque flammæ decidunt ex ſublimi, & in ſpeciebus conſiſtunt. Sed hæc inſtantia non infringit vim argumenti: quia ferrum, carbo, itemque flammæ aliquando ideo non feruntur ſurſum, quia retinent maiori ex parte gravitatem materiæ, quæ impedit, quod ſurſum aſcendant. Si enim natura ſua ignis id non haberet, quare violentus detineretur in locis ſubterraneis? Quare ingenti vi foras erumperet?

24 Ad primam rationem in contrarium dico cum D. Th. 1.p.q.66. art.1.ad 2. ignem in propria ſphæra eſſe valdè rarum, & in materia valde ſubtili ab omni humore defecata: quare licet lucidus, & è terra conſpici non poteſt; quia non lucet in tanta intenſione, qua poſſit viſionem terminare. Ad ſecundam non pollet ea activitate: tum propter ſui raritatem; tum quia obſiſtunt cætera elementa ſuis qualitatibus: tum quia planetæ aliqui maximè infrigidant medium ex quo oritur, vt calor ignis non poſſit illud nimie calefacere. Ad tertium dicendum, ignem in propria ſphæra non indigere pabulo, licèt in hac noſtra illo egeat. Ratio eſt: quia cum in hac violentus ſit, niſi aleretur, non quieſceret in illa diutius, quod locum non habet in proprio centro. Ad quartum maximè conducit ignis in propria ſphæra ad bonum vniverſi; nempè, quia temperat frigidiſſimos influxus aliquorum aſtrorum, qui concepto calore ab igne, mitiores ad terram perveniunt. Ad quintum ex eo capite alij oppoſitum inferunt: nam cum motus ſit cauſa caloris, & Cœli ſint in continuo motu, neceſſe eſt tantum calorem concipiat pars Cœlo proxima, vt ignescat. Sed revera neutri parti hæc ratio favet, quia motus non per ſe, ſed per accidens eſt cauſa caloris, aut frigoris: illius ex conflictu corporum ſolidorum, huius: quia per motum partes calidiores extrahuntur, remanentibus minus calidis. Quare ex ſolo motu neque oritur calor, neque frigus.

25 Hic eſt difficultas, an ignis, apud nos exiſtens, ſit eiuſdem ſpeciei cum elemento? Negant aliqui ex antiquis, aſſerentes, ignem hunc eſſe quoddam mixtum in quo prædominatur ignis; vel ipſum ſolis calorem in ma-

[illegible]

teria combuſtibili accenſum. Areſius è contra 2. de Generat. d. 1. de Elem. q. 2. ſect. 3. nullum concedit elementum ignis præter hunc ignem inferiorem; addit tamen non inveniri vllum ignem ſimplicem ab alijs ſubſtantijs ſeparatum, ſed permixtum in eadem materia cum alia forma ſubſtantiali; ſed verum omninò eſt, hunc ignem inferiorem eſſe eiuſdem ſpeciei cum elementari. Et quidem quod ſit ſubſtantia, & non præciſſe calor accenſus; probatur: quia calor quacumque intenſione polleat, non habet vim producendi, aut deſtruendi ſubſtantiam, cum id ſit ſupra virtutem accidentis, vt diximus in Phyſica; ſed tantum diſponit ad introductionem vnius, & deſtructionem alterius; ſed ignis inferior non modo calefacit, ſed deſtruit aliam ſubſtantiam, & aliam producit: cùm deſtructio vnius non fiat niſi media productione alterius: ergo non eſt accidens, ſed ſubſtantia. Secundo prob. non eſſe corpus mixtum, in quo prædominetur ignis. Quia eſt calidus in ſummò, & propè ſumme ſiccus omni frigiditate, & humiditate, carens. Tertiò aſſertum Areſij de coniunctione illius cum alia forma ſubſtantiali in eadem materia ex dictis in Phyſicis refutandum eſt. Tandem quòd ſit eiuſdem ſpeciei cum igne ſuperiori patet ex eo quod vterque habeat eandem activitatem, calorem ſiccitatem, & levitatem, quæ ſunt accidentia formæ ignis elementaris: ſunt ergo eiuſdem ſpeciei.

26 Iam ſuccedunt metheora ignea, & primo agendum de cometis obtinentibus primum locum. De quibus dubitatur, an ſint compoſiti ex materia Cœleſti, vel ſublunari? Iudicant alij, cometas eſſe aſtra Cœleſtia non ſemper apparentia de numero ſtellarum errantium. Non eodem modo ij ſe explicant: nam alij dicunt eſſe vnam ſtellarum, in quem ſenſum abijt Seneca lib. 7. quæſt. natural. cap. 1. At vtrumque aſſertum falſum eſt. Primo: quia ſi cometa eſſet tantum vna ſtella errans, nunquam duo cometæ viſi eſſent ſimul, prout ſuis temporibus accidiſſe teſtatur Scaliger exercit. 70. Et teſtatur Ariſt. 1. Metheor. cap. 6. ſæpius accidiſſe. Secundo: quia non ſatis bene explicari poteſt, quomodo iam appareret, iam ſecus, cum Cœlum ſit diaphanum; maximè cum minutiſsimæ etiam ſtellæ per tubum opticum videantur. Secundum aſſertum falſum etiam eſt: nam vel, hæ ſtellæ eſſent illæ eędem, quas nuc Planetas vocamus, vel diverſæ? Non primum: quia cometa videtur ſeparatus, à planetis, & etiam quia ſæpè ſit planetarum coniunctio, quin vllus cometa appareat: tū quia ſecundū diverſitatē mo-

motus Cœlorum diverſas habere figuras: ſeu poſitiones, vt in aſtris accidit: nam Cœlorum motus varius ſemper eſt. Vnde ſtellæ quæ hodie coniunguntur, cras valde disiunctæ ſunt. Conſtat autem cometas per plures dies, & menſes habere eandem figuram, imò, & per annum, vt ſæpè viſum eſt.

27 Dicendum ergo eſt materiam cometarum eſſe ſublunarem, non Cœleſtem: tùm quia materia Cœleſtis eſt incorruptibilis, & invariabilis; at cometæ maximè varij ſunt: iam magni, iam minores, iam apparent, iam ſe abſcondunt: tùm quia plurimi aſtronomi depræhenderunt cometas omnes eſſe luna inferiores: compinguntur ergo ex materia ſublunari. Ea autem materia iuxta Ariſt. eſt exhalatio ſicca, calida, pinguis, craſſa, & viſcoſa, atque adeo apta ad retinendam inflamationem per multum tempus. Ex quo oritur, quod tempore generationis cometæ magni venti accidant, eo quod multæ exhalationes calidæ exurgant. Contingit etiam magna ſiccitas, quia aër occupatur magna exhalationum copia. Et ita omnes Aſtronomi antiquiores apud Angeſtum lib. 2. de formar. propriet. Nec obſtat Camillus lib. 3. de Comet. cap. 3. aſſerens exhalationes non elevari vltra milliaria 52. quia cum eleventur ratione caloris, hic diſſipatur ratione intenſi frigoris ſecunde regionis. Non, inquam obſtat: quia ſunt aliquæ exhalationes terreſtres nimis ſpirituoſæ, quibus maior calor imprimitur ab abſtris à quibus foventur, & ita talem induunt levitatem, vt advolent vltra regionem ſecundam aëris ad ſuperiorem.

28 *Dubium* eſt de loco vbi exiſtunt, & generentur cometæ. RR. Aſtronomi indubitanter affirmant, gigni, & exiſtere in Cœlo; non autem in ſuprema regione aëris P. Alphonſus diſp. 1.1. de Generat. ſect. 2. non tàm probat, quàm ſupponit, alios infra Cœlum lunæ, alios ſupra generari; ſed dicendum eſt, omnes generari, & exiſtere in regione ſublunari. Ita Ariſt. 1. Metheor. cap. 4. omneſque Philoſophi, & Aſtronomi antiqui, & plures RR. Probatur: tum quia ſemper lumen cometarum viſum eſt languidum, obſcurum, vel albeſcens, nec vnquam ita vividum, ac lumen ſtellarum: tum quia repente ſcinduntur, aut coeunt, creſcunt, aut decreſcunt, quæ mutationes procul abſunt à regione Cœleſti: tum quia vt ait P. Tanner. 1 p. d.6. q. 3. dub. 4. maior diſtantia, quæ obſervari potuit in cometis non excedit ſex gradus. Et hinc ſecundum calculum aſtronomicum cometa eſt valde inferior luna: tandem quia nunquam ſatis bene explicari poteſt, qua ratione in regione Cœleſti omnis vaporis exahalationis, & mutationis experte poſsit accidere generatio cometarum.

Ge-

29 Generatur ergo Cometa infra Cœlum, non in regione ignis: quia nimius calor eius materiam diſſolveret; ſed in ſphæra aëris: non quidem media, vt conſtat ex altitudine ab Aſtronomis deprehenſa, itemque ex motu rapido ab Oriente in Occaſum, quo cometa vna cum aëre volvitur, qui motus in media regione non contingit. Tùm quia ignitæ impreſsiones in ea media regione, vtpote, frigidiſsima conſiſtere non poſſunt: effulget igitur cometa in ſuperiori aëris plaga iam in altiori, iam in demiſsiori eius tractu.

30 Quod autem iam ſub hac, iam ſub alia figura cometæ appareant, id oritur ex diverſitate exhalationum, & diſpoſitionum, quæ ſunt in illa. Dicitur enim cometa crinitus, vel comatus cum habet figuram circularem denſiorem in medio, & in extremis rariorem, quapropter, cum maiorem inflamationem in medio, quam in extremis concipiat, videtur radios ingirum ſpargere. Aliquando protenditur in longum quaſi deſinens in caudam, & dicitur caudatus. Sæpè habet partes quaſi diſcontinuas, ſubtiles, & lucidas, & dicitur barbatus aliquando ad ſimilitudinem ſimplicis ſtellæ viſus eſt ſine omni coma; ſub alijs etiam figuris cometæ apparuerunt, ſed aſsignatæ ſunt frequentiores.

31 Sed quæres, an exhalatio ad ſuperiorem regionem evecta, vere accendatur, an lumine ſolis valde perfuſa, quaſi accenſa videatur? Dicendum eſt verè accendi. Probant Conimbric. quia ſi lumen cometarum proveniret à ſole, contingeret eclypſis cometæ per interpoſitionem terræ, ſicut hac de cauſa contingit eclypſis Lunæ; ſed huic rationi fidendum non eſt, quia vt eſt Author Ariſt. ſuprà cometæ, procul à tropicis vagantur, & vt obſcurarentur á terra debebant eſſe intra tropicos, imò directè ſub Zodiaco, & ſub edyptica ſolis. Ratio ergo ſumenda eſt ex viſcoſitate, & denſitate exhalationum ex quibus fit cometa, ex qua oritur, vt non ſit facile pervium lumini ſolis; maximè cum materia maximè pura qualis eſt in aſtris, videatur requiri, vt à lumine ſolis ita illuſtrentur.

32 Circa tempus formationis cometarum, dicendum eſt quocumque tempore ea generari poſſe, licet autumnus aptior videatur: quia calor veris non ſufficit ad exhalationem elevandam; frigus hyemis elevationem prohibet, nimiuſque calor æſtatis illam diſsipat, eius duratio non poteſt taxari, ſed erit maior vel minor, prout fuerit lentior, vel activior ignis, à quo accenditur.

33 Sunt alia metheora ignea, vt tonitruum, fulmen, & fulgur, quorum materia exhalatio

eſt. Igitur tonitruum fit ex exhalatione ſicca, & calida in nube incluſa, quæ ſimul cum vaporibus elebatur, qui vapores conuerſi in media regione in nubes exhalationem illam claudunt: quæ maiori calore concepto per antiperiſtaſim rareſit, & amplius ſpatium quærit, & hinc, illincque diſcurrens magno impetu concutit lattera nubium, quæ cum ſint craſſæ cauſant fragorem illum. Interdum fit talis fragor ad inſtar murmuris rauci, quod contingit, dum exalatio per concauas partes nubis diſcurrit, vel cum non adeo rapide agitur; vel ob nimiam denſitatem, vel quia non concepit ſufficientem calorem. Vnde non ſemper fit nubium ſciſio, cum tonitruum editur. Fit etiam tonitruum ex nubium colliſione, vt ait. Senec. lib. 2. qq. natur. cap. 17. Vnde tonitruum eſt ſonus factus in nube ex violenta percuſſione exhalationis calidæ, & ſiccæ, vel ex nubium inter ſe colluſione.

34 Fulgur eſt exhalatio in nube accenſa, & dicitur tale à fulgore, quem exhibet. Fit ſæpè ſine tonitruo, cum nubes facile ſcinditur: aliquando etiam ſine nubibus accidit fulgur, vt patet in nocte ſerena, qua ſolent exhalationes tempore æſtatis accendi.

35 Fulmen eſt exhalatio accenſa è nube magno impetu errumpens. Eius materia eſt denſior, quam materia fulguris, & maior violentiâ erumpit, quam fulgur. Vnde eſt, quod fulgur in aère diſſolvitur, & fulmen perveniat ad terram. Quod autem ſint diverſa genera fulminum, diverſoſque effectus pariant, id diverſitati materiæ tribuendum eſt. Si enim ea ſi, tenuis fulmen ex ea factum debilioris virtutis eſt, quapropter denigrat aliquatenus, & lambit, ſed non comburit corpus. Quod etiam contingit quando nubes ex qua fulmen emittitur valde diſtat, in ea enim diſtantia virtus languеſcit: licet aliunde etiam aliquam diſtantiam requirat, vt maiori impetu deſcendens vehementius ſuum effectum producat. Si materia eſt ſpiſſa, benè compacta, & vehementer inflamata, domos integras comburit. Si materia eſt multa, ſpiſſa, & valdè viſcoſa cadit ſæpè cum lapidè, qui vel etiam trabes ſcindit, & muros penetrat ob virtutem quandam ſulfuream, quæ ipſum impellit. Hinc varia ſunt fulminum nomina: aliud eſt terebrans, quod quia ſubtilem habet flammam, per anguſta foramina tranſit. Aliud diſſipans, quod quia conglobatum eſt, non perforat, ſed rumpit, & frangit. Aliud vrens, quod magis terreum eſt, & maiorem ſeu denſiorem ignem concipit.

36 Mirabiles equidem effectus fulminis ſunt. In primis altiſsima quæque impetit, quod ex eo oritur, quia eius motus eſt valde obliquus,

&

& irregularis: quare cum obliquè feratur, & hinc inde ſerpat in quodcumque eminens maxime impingit. Vlterius quædam res ſunt fulmini magis obnoxæ, quam aliæ: ſic mollia pertranſit ſine læſione, fortia conterit. Sic ſolet gladium ſalva vagina frangere, cuius ratio ab Angeſto ſup. cit. ea eſt, quod cum fulmen ſit ſubtile, conſtetque partibus recte inter ſe vnitis facile pervadit corpora non dura per eorum poros parum in eis morans, quia non invenit reſiſtentiam: quia verò per corpora ſolida non poſſunt ſe inſinuare, morantur plus in illis, & illa labefactant, & conterunt. Vlterius magiſtra experientia aliqua loca ſivè ima, ſivè ſumma frequentius fulmine concutiuntur, cuius cum non alia ratio appareat, referendum eſt in virtutem alicuius ſyderis illuc fulmen agentis.

37 Aliquando fulmen venenatum purgavit, & venenavit purgatum, ratione diverſæ diſpoſitionis vtriuſque ſicut ſol ceram liquat, & lutum indurat. Item fulmine percuſſus, ſi dormit, apertis oculis moritur, vigilans verò clauſis. Cuius eadem eſt cauſa ſcilicet repentina occiſio, qua primus illos aperiens priuſquam poſſet claudere amiſsit vitam: & ſecundus timore claudens occiſus eſt antequam poſſet aperire. Vlterius refert Albertus Magnus cap. 22. de tonitruo inventum eſſe fulmen percuſsiſſe dolium vini, vinumque ipſum manſiſſe concretum, quin effunderetur. E contra reffert Lucretius aliquando conſumpto vino manſiſſe integrum dolium. Ratio primi eſt, quia dolium, vtpote ſolidum valde reſidit, dumque in illo moratur fulmen addenſat pelliculam quandam circundantem vinum, quæ cum maneat à fulmine illæſa, in illa velut in corio vinum ſervatur. Ratio ſecundi eſt, quod dolium potuit eſſe rarum, ac proinde aditum præbere fulmini, quod ingræſſum ſua efficacia vinum conſumpſerit.

SECTIO. III.

De Aëre, & eius Metheoris.

38 Aër in tres regiones diſtribuitur. Infima, quæ eſt terræ, & aquæ contermina, continetur intra terræ, & aquæ ſuperficiem, & illam altitudinem ſuprà quam nubes, & pluviæ gignuntur: media occupat totum illud ſpatium intra quod fiunt nubes, & pluviæ. Suprema continet reſiduum ſpatij vſque ad ſuperficiem concavam ignis. Non tamen videntur hæ regiones habere certos, & fixos limites: quia cum infima vſque ad eam plaga pertingat, ad quam reflexio ſolis accedit, & hæc reflexio maior ſit æſtivo tempo-

pore, quam hyeme ob maiorem ſolis viciniam, ideo infima regio in æſtate maior eſt, quam hyeme, ob quam rationem regio media maior eſt in hyeme, quam æſtate. De ſuprema regione ferunt aliqui, ſemper manere in eadem dimenſione, cenſentes eam deſumi à ſupremis montium culminibus vſque ad ſphæram ignis. Cæterum alij opinantur, aliqua montium cacumina excedere ſecundam regionem, & tertiam occupare, quod de monte Olimpo in Theſalia, & Athone in Macedonia aſſeritur, in quibus cineres per annum relicti, nec ventis diſperguntur, nec eluuntur imbribus, quod confirmat D. Auguſt. de Geneſ. ad litt. cap. 2.

39 Hæ regiones non modo ſitu, ſed alijs etiam affectionibus differunt Authore Ariſt. 1. de Metheor. cap. 4. Quia tertia regio ex vincinia ſolis calida eſt, & ſicca propter ſuam naturam. Infima partim eſt frigida ex vicinia terræ, & equæ, partim calida ob reflexionem caloris, & luminis ſolaris: media regio eſt valde frigida, vt conſtat ex altiſſimis iugis montium nivem per totum annum ſervantibus. Difficultas tamen eſt, vnde huic regioni frigiditas adeo conſtans adveniat, cum ex vna parte ſit Cœlo vicinior, & igni, & ex alia plus diſtet à terra, & aqua, quam infima regio. Reſpondet P. Perecius lib. 1. in Geneſ. cap. 1. id diſpoſitum ita fuiſſe à Deo initio mundi, vt in ea regione fierent nubes, & pluviæ ad irrigandam terram; ſed contra: quia hic Author non aſsignat rationem naturalem, quam in præſenti quærimus. Quare dicendum eſt, illud provenire, vel ex influxu ſpeciali aſtrorum, maiorem frigiditatem illuc influentium: vel ex vaporibus aqueis, qui ibi diutius commorantur, qui cum ſuam frigiditatem ſecum ferant valde infrigidant eam regionem, maximè cum reflexio ſolis in infima regione ſiſtat, & ad eam ſecundam non perveniat, quare non poteſt vi illius ſicut infima regio calefieri.

40 Circa naturam ventorum dicendum, eorum materiam eſſe aërem commotum, vapores aqueos, exhalationeſque terreſtres. Ita communiter AA. Conimbric. tract. 6. cap. 2. Ioan. à S. Thom. tract. 5. 2. Metheor. cap. 1. Alphonſus diſp. 11. ſect. 4. licet de aëre commoto aliqui negent, & alij non meminerint. Probatur tamen: Ventus eſt corpus tenue, & rarum agitatum huc, aut illuc, aqua commotione ventus dicitur; ſed contingere poteſt materiam talis corporis eſſe quamvis ex aſsignatis rebus. In primis aërem commotum; dum enim flabello aërem impellimus, ventum excitamus: itemque folles dum comprimuntur, ventum emittunt, quin illud appareat. præ-

præter aërem, qui moveatur. Vnde neſcio, qua ratione Conimbric. negant aërem ita excitatum eſſe ventum, maximè ita aſſerente Ariſtot. ſect. 26. problem.

41 De vaporibus conſtat ex eo, quod venti à mari adſpirantes nimium ſint humidi. Et quod in mari maximè regnant tàm in Mediterraneo, quàm in Occeano. Nec licet dicere ventos non generari in mari, ſed à terra in mare tranſire: quia ſi id ita eſſet, quo quis magis diſtaret à terra mitius à ventis agitaretur, cuius oppoſitum accidit. De exhalationibus terreſtribus probatur: tùm quia vere, & autumno, quia terra exhalationibus abundat, frequentiores eſſe ſolent venti. Tùm quia in ortu ſolis excitantis exhalationes è terra, ſæpè venti excitantur: tùm quia venti ſolent exſiccare, cuius alia ratio non ſuppetit, niſi quia frequenter fiunt ex exhalationibus calidis, & ſiccis.

42 Non eſt ita facile definire cauſam commotionis ventorum P. Alphonſus loco cit. ait, illum motum provenire ex levitate exhalationum, vi cuius ad mediam regionem concitato motu rapiuntur, & à frigiditate illius regionis illam exhalationem repellentis: quare cum ſua levitate iam hac via, iam illa aſcendere contendat, & hinc inde repellatur, movetur obliquè, quia nec deſcendere omnino poteſt ob ſuam levitatem, nec accendere ob frigiditatem regionis. Hæc ſolutio ſumpta eſt ex Ariſt. problem. 50. ſect. 26. & eam tenent Conimbric. & alij. Sed contra: Tùm quia vnde habet frigiditas eam vim reppellendi adeo vehementer? Si dicas exhalationem vtpote calidam natura ſua ab illa frigiditate fugere: quid ſi materia venti, ſit vapor aqueus? Item cur non dicetur exhalationem in medio quieſcere, cum contra eius levitatem ſit motus deorſum? Tùm quia non redditur ratio, cur potius in hanc partem, quam in aliam exhalatio impellatur; ſi enim illa eſſet cauſa, ſemper eſſet motus ventorum vniformis. Itaque dicendum eſt præcipuam cauſam eſſe, influentias aſtrorum, quod etiam PP. Conimbric. approbant, & tandem fatetur Alphonſus. Et eſt communis doctrina Aſtronomorum, qui aſſerunt Iovem excitare ventos aquilonares, Martem auſtrales, Solem orientales, & Lunam occidentales: tùm quia obſervarunt ex certa ſyderum combinatione maximos ventos ſcitari. tum quia ex aſtrorum ſpeciali influxu mare fluit, & reficit: ergo ſimiliter poteſt exhalatio ventoſa huc, illucque propelli.

43 De numero ventorum conſtans eſt, ventos præcipuos eſſe quatuor iuxta quatuor mundi partes. Et ita vocantur Oriens, Occidens, Aquilo, & Auſter

ter; ſed Nautæ diſtinguunt triginta, & duos ventos, dividentes Orizontem in octo partes, in quibus octo præcipuos ventos collocant. Vlterius ſecant illas octo partes in totidem alias, haſque ſexdecim vlterius in totidem alias ſubdividunt, in quibus tot ventos intermedios ſtatuunt, Vide PP. Conimbric. tract. 6. cap. 4. Proprietates ventorum partim ſumendæ ſunt ex materia, qua conſtant, aëre, vapore, aut exhalatione: partim à regionibus per quas ad nos veniunt, & ſyderibus, à quibus excitantur. Vnde alij ſunt calidi, alij vt ſeptentrionales frigidiſſimi. In quibus non eſt immorandum.

44 Præcipua, & pulchior aeris imago eſt Iris, ſeu arcus cœleſtis, cuius naturam ſic explicat Ariſt. 3. Metheor. *Eſt arcus diſcolor apparens ex reflexione, & receptione luminis ſolaris in nube rorida*: Dicitur *arcus*, quia habet figuram circularem: *diſcolor* quia ſemper varijs miſcetur coloribus, qui fiunt ex varijs reflexionibus lucis Solis in nube, quæ debet eſſe tranſparens, denſa, opaca, vt iuxta eius diſpoſitionem, & à ſole perfundi poſsit, & à nobis videri, itemque non lucida iuxta omnes ſuas partes. Dicitur *apparens*, quia per id ſignificatur illam varietatem colorum ex reflexione ad noſtrum viſum, & varia perfuſsione radiorum Solis provenire, quin re ipſa dentur tales colores: eo modo: quo colores apparentes in collo columbæ varij ſunt iuxta diverſitatem noſtri aſpectus, & lucis. *Ex reflexione luminis ſolaris*, vt denotetur cauſam efficientem Iridis eſſe ſolem. Licet enim luna ſuam Iridem cauſet, vt obſervat Alphonſus, & docuit Ariſt. 3. Metheor. cap. 3. ea vno tantum calore conſtat, eoque albicante obtenuitatem luminis: *in nube rorida*, quæ eſt materia Iridis, talis vt diſſolvatur ſtillicidijs in aquam, ea diſpoſitione, vt qua parte nos reſpicit ſit concava, vt facilius radios ſolis excipiat, perſpicuaque, vt conſcipi poſsit: à parte vero poſteriori ſit opaca, vt poſsit more ſpeculi reflectere. Notavit D. Thom. 3. Metheor. lect. 3. ſubiectum Iridis, ſeu materiam, non eſſe ipſam ſubſtantiam nubis, ſed guttas ex ea ſtillantes; quod Ariſtoteles ſæpè docet, & probat ex eo, quod aqua aptior ſit illi receptioni, & reflexioni lucis.

45 Quæres an Iris fuerit ante dilubium? Reſpondeo affirmativè: quia cum ex cauſis naturalibus reſultet, non eſt cur hæ cauſæ impeditæ fuerint à Deo. Neque obſtat caput 6. Geneſ. Nam ex eo ſolum conſtat aſſumptum fuiſſe à Deo in ſignum non vlterius futuri diluvij, quam rationem ſigni ante diluvium non habuit.

Aliæ

Aliæ imagines viſæ ſunt in aère, de quibus vide Conimbric. loco citato.

SECTIO IV.

De Terra, & aqua, eorumque Methoris.

46 DE terra, & aqua ſimul agimus, quia vnum efficiunt globum, neque ſe habent, vt continens, & contentum. Licet enim aqua ſit minus gravis; ac terra, & natura ſua eſſet ſupra illam, tamen ad commoditatem, & bonum viventium, facta eſt ſeparatio aquarum à terra. Ex quo prima difficultas oritur: nam cum aqua prius totam terram cooperiret, certe in magna valde quantitate erat. Qua ergo ratione potuit ita reduci, & reſtringi ad vnum locum terræ? Reſpondent aliqui initio aquam valde fuiſſe raram, quo effectum fuit, vt amplius ſpacium occuparet, quam modo, quia vt congregaretur ad locum vnum, valde addenſata eſt. Hæc ſolutio eſt ſatis apparens.

47 Secunda difficultas eſt. An terra ſit altior aqua, vel è contra? Aquam eſſe altiorem cenſent, communiter Thomiſtæ, quos ſequitur P. Arriaga diſput. 4. ſect. 4. terram altiorem, eſſe aut ſaltim æqualem aquæ; eſt communior ſententia, quam tenet D. Chryſoſt. homil. 6. ad prop. Hieronym. in Pſalm. 32. Auguſt. in Pſalm. 135. Hos ſequitur Oviedo controv. 8. de Generat. punct. 2. Probatur ſuppomendo; aquam, & terram propendere in idem centrum, prout multis demonſtrat P. Clavius cap. 1. ſphæræ. Aqua natura ſua tendit deorſum: ergo ſi aliqua parte eſſet altior terra, dilaberetur, & effunderetur ſuprà illam. Nec valet ſi dicas propter bonum vniverſi illam à Deo detineri, quia tale bonum poteſt à Deo aliter obtineri, ſine miraculo detinendi aquam contra propriam naturam. Dices cum Arriaga proprium eſſe aquæ gravitare linea recta verſus centrum, non autem ad latera; ſed contra: quia aqua eundem conficit globum cum terra: ergo tàm propendet deorſum quam terra. Contra 2. Si aqua altior eſſet ſecundum aliquam partem terra ſecundum illam altior eſſet aère, ergo cum in loco inferiori exigat eſſe, & aliàs nullum impedimentum habeat, vt deſcendat ſubtus aèrem, cum ſit corpus fluidum, ſe reducet ad inferiorem locum.

48 Objiciunt adverſarij varia loca Scripturæ, in quibus altum accipitur pro eodem ac mare. Et Pſalm 103. vbi *ſuper montes ſtabunt aquæ*. Reſpondo facile ad 1. per altitudinem intelligi maris profunditatē, vel etiam diſtantiā à littore. Ad 2. reſpondet P. Rubius ly *ſtabunt* ſumi pro eodem

ac *ſtabant*: nam loquitur Propheta de prima conſtitutione elementorum, quando aqua cooperiebat terram. Objic. 2. Ex Arriaga. In altiſsimis montibus oriuntur fontes: ergo mare altius eſt illis, cum non poſsit aqua altius aſcendere, quam ſit locus ex quo deſcendit. Tangit hæc obiectio materiam de origine fontium, & fluminum, an è mari, an aliunde originem trahant.

49 Sentiunt aliqui ex pluvis fontes generari: quæ ſententia ferri non poteſt, quia licet aquæ hyemales poſsint, quandiu durant, aliquot rivulos alere, non tamen ſufficiunt tot fontibus perpetuo manantibus, & fluvijs ſine interruptione in adeo magna aquarum copia currentibus. Alij cenſent fontes, & fluvios intra terræ viſcera ex vaporibus generari; ſed licet non omnino diſpliceat hic modus dicendi, non plenè ſatisfacit: quia non apparet, qua ratione vapores in adeo ingenti copia poſsint inveniri, vt ex illis perennes fontes, & copioſa flumina generentur. Quare dicendum, fontes, fluviosque ex mari trahere originem, & ſic intelligitur commo illud Eccleſ. *Ad locum vnde exeunt flumina revertuntur, vt iterum fluant.* Ad obiectionem reſpondeo in primis, ſolum probare aquas aliquo in loco eſſe æquales aliquibus montibus. Dixi *aliquibus* non omnibus. Nam experientia docet in altiſsimis vix reperiri aquas, aut nullas reperiri. Reſpondeo ſecundo. Licet aqua ſit inferior terra, hæc cum ſit bibula attrahit ſurſum ipſam aquam, ſivè habeat virtutem attractivam illius, ſivè id fiat per contactum, qua ratione conſtat corpus ſiccum fleri humidum; qua parte alium humidum tangit, & ſic partes ſubſequentes primæ. Vnde quod dicit Arriaga ſcilicet fontes non poſſe aſcendere altius, quam ſit corpus, vnde deſcendit, intelligendum eſt de aſcenſu, qui fiat proprio, & perenni fluxu aquæ non vero de explicato.

50 Circa mare, & vnde traxerit originem, variæ fuerunt opiniones apud antiquos. Alij dixerunt eſſe terræ ſudorem; nam terra quondam ita fuit à ſole calefacta, vt copioſe ſudaverit. Alij dixerunt in centro terræ plures fontes reperiri, è quibus ſurſum emergit mare. Vix habere poſſunt fundamentum hæ ſententiæ. Vera igitur origo maris fuit iuſſio Dei, qui cum ſimul terram, & aquas condidiſſet, has ab illa ſeparavit, & in vnum locum fecit confluere; ſed quid de ſalſedine aquæ marinæ? Certum eſt eam non eſſe illi intrinſecam; nam varijs modis poteſt haberi aqua dulcis è mari, vt conſtat experientijs varijs. Ea igitur provênit ex eo, quod in mari reperiantur variæ exhalationes terræ calidæ, & ſicæ ad modum ſalis liquefacti cum aquis permixtæ. Quod

ex

ex eo probatur: quia ſapor omnis provenit ex mixtione ſicci, & humidi: quod ſi ea materia ſupra humiditatem, & ſiccitatem ſit adulta, gignitur ſapor ſalſus; ſed vnde tanta copia harum exhalationum in mari? Alia ratio non ſuppetit, niſi quia ſubtus ſint ingentes benæ ſolis ibi poſitæ ab Authore naturæ, tùm propter piſces, vt ſalubriores ſint: tùm ne putreſcant aquæ, & ob alias.

51 Motus maris multiplex eſt, ſed quod in eo mirabile apparet eſt fluxus, & refluxus, ſeu æſtus, motus ſcilicet ille, quo iam accedit ad terram, & tunc fluit, iam recedit, & quaſi in ſe revertitur, & tunc refluit Sex horis durat fluxus, ſexque reflexus, vnde bis quovis die mare fluit, biſque refluit: quod ſi locus ſit anguſtus rapidiſsimus eſt hic motus, vt in fretis contingit. Variæ huius motus cauſæ aſsignantur; ſed communior ſententia influxui Cœlorum maximè Lunæ illum tribuit: tùm quia variari ſolet ad variationem motus Lunæ: tùm quia ſicut Luna 25. horis explet ſuum motum circularem, ita æſtus denuo non incipit niſi poſt. 25. horas: tùm quia ſicut motus Lunæ in quatuor partes dividitur, ſcilicet à puncto orientis noſtri orizonti ad punctum meridiei: à puncto huius vſque ad punctum occaſus; à puncto huius vſque ad punctum mediæ noctis, & ab hoc vſque ad punctum orizontis orientalis, pariter procedit æſtus, ita vt correſpondeat fluxus, & reflexus motui Lunę, & in partibus terrę correſpondentibus illis per quas Luna incipit incedere, incipiat quoque æſtus. De quo vide plura apud Aſtronomos.

52 Affectiones, ſeu metheora aquæ ſunt in primis vapor, de quo iam dictum eſt ſæpè. Deinde nubes, quę ſunt vapor in ſecunda regione condenſatus. Si vapor eſt ſubtilis, parum humidus cito convertitur in aërem. Si vero humidior, & craſsior convertitur in pluviam, quæ nihil aliud eſt, quam nubes reſoluta in aquam. Si decidat minutiſsimis gutis, dicitur imber: ſi denſiori bus, & ſimul cum impetu appellatur nibus. Si mediocri copia, & impetu dicitur pluvia. Quando vapores craſi aſcendentes è locis humidis non efferuntur in ſublimè, ſed propè terram manent, tunc fit nebula, quæ vlterius fit etiam ex ſuperfluitate nubis, quia aliquæ partes craſſæ nubis nimio frigore valde addenſatæ gravitatem induunt, & in terram redeunt.

53 Ros eſt vapor ſubtilis à terra elevatus, & nocturno frigore verſus in aquam. Ex rore multa mixta generantur: nam ſi illi miſceatur halitus terreus ſubtilis, & accedat ſolis calor cum alio aſtrorum influxu, mixtum illud pingueſcit, & fit luccus præ dulcis qui excipitur herbis, & floribus, & dicitur mel quod

quan-

quandoque in herbas amaras decidens fit amarum. Simili ferè modo manna gignitur; ſcilicet, dum vapor ille halitu terreo admixtus, & calore ſolis decoctus, modiceque humidus, fit liquor candidus, & meliti ſaporis, qui manna appellatur. P. Alphonſus ſequutus PP. Conimbr. huius naturæ fuiſſe manna illud Hebræis à Deo exhibitum; ſed non bene: quia diverſitas figuræ ſaporis, & aliorum accidentium diverſitatem ſpecificam ſuadet.

54 Pruina nil aliud eſt, quam ros congelatus. Nix generatur ex nube, quę priuſquam in aquam reſolvatur, conſtringitur frigore mediæ regionis. Grando eſt nubes in pluviam reſoluta, quæ priuſquam ad terram perveniat congelatur. Cauſa huius congelationis materialis eſt vapor aqueus natura ſua humidus, & frigidus, frigidus, admixtus aliquo licet ſubtili exhalatione ſicca, quæ valde confert ad duritiem. Quod autem hęc exhalatio ſit in nube, ex qua poſtea fit grando, ſuadetur ex eo, quod ferè ſemper grandinem comitantur fulgura, & tonitua, quæ fiunt ex exhalationibus terreis. Cauſa vero efficiens grandinis eſt frigus extrinſecum ambientis, & cum æſtivo tempore venti non ſoleant eſſe frigidi, ideo grando in fine veris, & in autumno frequentius contingit.

55 Inter terræ metheora ponuntur exhalationes de quibus ſupra. Numerantur deinde terræmotus, qui ſunt quidam veluti terræ tremores, quibus iam hinc, iam inde, huc, aut illuc concutitur, & agitatur. Horum cauſa eſt copia exhalationum in cavernis terræ incluſarum, & foras exire contendentiū. Maior enim eſt vis exhalationis incluſæ, quam eius, quæ ſine impedimento vagatur, cum illa violenter detineatur; ſed exhalationes per aëra divagantes, ſeu venti ita rapide feruntur, vt turres, & domos evertant, & evellant proceras arbores: hæ ergo incluſæ viſceribus terræ, & aditum quærentes cauſant terræ motus. Solent etiam interdum ab ignibus ſubterraneis cauſari, quia videlicet exhalationes terræ, & bituminoſæ accendi poſſunt, & tunc rarefactæ, quærunt maiorem locum, & ideo terram commovent, vt erumpant.

56 Lapides licet ſint mixta perfecta, quia tamen in viſceribus terræ ſolent generari, inter illius Metheora ponuntur. Eorum materia eſt mixtum ex vapore, & exhalatione: neque enim ſufficit vapor, quia lapis eſt ſolidus, vapor autem fluidus: neque ſatis eſt exhalatio, quia cum ſit ſicca potius abiret in pulverem: quam in lapidem. Igitur, vt partes terræ, & ſiccæ coadunentur, requiritur vapor gluti-

tinoſus, & viſcoſus, & ita diſpoſita materia introducitur forma lapidis.

57 Pari ratione metalla dicuntur terræ metheora. Horum materiam aſſerunt aliqui, eſſe terram aqua mixtam in maiori tamen portione aquæ. Ariſtot. autem dicit, metallorum materiam eſſe vaporem, & exhalationem, ita vt plus vaporis, quam exhalationis habeat ad differentiam lapidum, in quorum materia exhalatio abundat. Quod autem talis ſit materia metallorum probatur: quia omne, quod eſt ductile, & liquefieri poteſt, humidum, & aqueum eſt; ſed metalla ductilia ſunt, & liquefieri poſſunt, vt conſtat experientia: ergo aquea ſunt, & humida. Hoc autem humidum, quod in illis eſt, debet eſſe viſcoſum, & admixtum ſicco, ac proinde halitu terreo: alias non poſſent partes illæ addenſari ad formationem metalli: ergo conſtat vapore, & exhalatione eius materia.

SECTIO V.

De Mixtis, & mixtione.

58 Mixtum dicitur id, quod ex mutua duorum, aut plurium mixtione reſultat. In quo, & invenitur actio beneficio cuius id contingit, & hæc dicitur mixtio. Et inveniuntur ea, quæ admiſcentur, & dicuntur miſcibilia; & totum ex his reſultans quod dicitur mixtum. Mixtum, vt ab elemento diſtinctum dicitur omne corpus, quod conſtat temperamento qualitatem contrariarum, ſive reſultet ex elementorum congreſſu, ſive alio modo. Et ſic, vt notat P. Oviedo, ſi Deus lignum crearet, nulla omnino præſuppoſita materia, diceretur mixtum, licet ex congreſu aliorum non reſultaret; ſed in præſenti agimus de mixtis, quatenus ſunt corpora, ex elementorum, vel aliorum congreſſu facta, quæ ideo mixta dicuntur, quia aliquando manent in illis miſcibilia.

59 Mixtionis nomine in genere quævis actio, qua plura corpora differentia ſpeciei, confuſè inter ſe quovis modo coniunguntur, intelligitur. Tripliciter tamen poteſt id contingere. Primo ſi ſecundum localem coniunctionem inter ſe confundantur, ſive poſsint ſeparari, vt plura grana tritici, & hordei in eundem acervum collecta, ſive ſecus, vt athomi. Secundo ſi ea corpora inter ſe, non tamen penetrativè adunentur, ita tamen, vt mutua actione, & reactione ad æquale temperamentum ſe reducant, vt ſi vini guttæ cum guttulis aquę miſceantur. 3. Quia ex pluribus miſcibilibus ſubſtantialiter con-

coniunctis, & ad æquale temperamentum reductis, alia quædam ſubſtantia ab illis in ſpecie diſtincta reſultet; & ſic ſumitur mixtum in præſenti.

60 Ariſt. in fine libri 1. de Gener. mixtionem ſic definivit, *miſcibilium alteratorum vnio*, quæ definitio ſatis obſcura eſt. Eam tamen clarius alijs explicat P. Rubius per hæc verba. *Mixtio eſt mutatio ſubſtantialis ad formam mixti, ex miſcibilibus congregatis, & per mutuam alterationem diſpoſitis, atque corruptis.* Sed vt aditus quibuſdam obiectionibus præcludatur, brevius, & adhuc clarius definietur cum P. Alphonſo ſic. *Eſt generatio vnius ſubſtantiæ ex alijs ad invicem alteratis.* Dicitur *generatio* in quo convenit cum productione elementorum; differt tamen ab illa, quia mixtio vt talis non ſolum importat generationem, ſed etiam quod hæc fiat vi mutuæ actionis, & reactionis miſcibilium inter ſe pugnantium, & ita ad novæ formæ ſubſtantialis ingreſſum ſe diſponentium.

61 Hinc fit primo mixtionem, vt talem diſtingui eſſentialiter ab actione, qua vnum mixtum generatur ab alio. Quia generatio huius vnicè dicit actionem productivam vnionis formæ ad materiam dependenter ab illa: at vero mixtio involvit formaliter, ſaltem in obliquo, alterationem materiæ miſcibilium ab ipſis provenientem. Inferes 2. Cauſam efficientem diſpoſitionum ad formam mixti, præter vltimam, eſſe miſcibilia, quia quodvis eatenus diſponit materiam alterius, quatenus illam alterat, producendo in illo ſuas qualitates. Dixi *præter vltimam*, quia in inſtanti inquo hæc datur, datur forma mixti, & deficit forma miſcibilis, quæ proinde nequit illam producere. Hinc inferes. 3. Vltimam diſpoſitionem ad formam mixti produci ab agentibus extrinſecis, & alijs partibus elementorum circunſtantibus materiam alteratam. Tandem cauſam productivam formæ mixti eſſe elementa, & corpora vicina, ſi ſint illa forma perfectiora: alias Deus ad exigentiam vltimæ diſpoſitionis talem formam producit.

62 Negarunt aliqui ex veteribus dari mixtionem; ſed immerito: quia elementa cum ſint activa, & paſſiva, non eſt cur non poſſint in vnum locum, naturaliter concurrere, & ita pati, & repati ad invicem, vt novum temperamentum induant, & ita ad formam mixti diſponantur; ſed in eo caſu datur mixtio: ergo non debet negari. Accedit experientia, quia videmus ex congreſſu vaporum, & exhalationum, terrę, & aquę varia gigni corpora viventia, & non viventia, vt fungos, tubera, mures, ranas, & alia; ſed dices. Ex congreſſu elementorum non poſſe id fieri, quia cum vnum, v. g. ignis,

nis, ſit activius alio, illum omnino deſtruet, nec convertet in propriam ſubſtantiam. Contra tamen: quia licèt vnum ex ſe ſit activius alio, poteſt hoc eam activitatem habere, vt ſuum contrarium maxima parte imminuat, & non relinquat cum viribus ſufficientibus ad eam converſionem faciendam, licet quia contrarium eſt magis activum, magis contrarias qualitates recipiat, quam proprias in illo producat. En quomodo ad invicem poſſunt alterari, quin vnum tranſeat ad ſubſtantiam alterius, ſed ad aliam tertiam vtrumque diſponatur.

SECTIO VI.

Vtrùm elementa maneant formaliter in mixto?

63 SVpponimus vt omnino certum, miſcibilia, & præcipuè elementa aliquo modo in mixto manere; ſed dubium eſt: an formaliter, an virtualiter. Formaliter manebunt, ſi ſimul cum forma mixti maneant in eadem materia formæ elementorum. Virtualiter, ſi deficiente forma mixti, coniungantur cum hac qualitates elementorum in ea intenſione, vt poſſint deſervire ad hoc vt iterum forma elementi introducatur in eadem materia.

64 Prima opinio ponit elementa formaliter manere in mixto. Hanc tenuere ex antiquis Anaxagoras; & Empedocles, quos ſequuti ſunt Avicena, Averroes, & acriter tenent plures Medici RR. cum Mercato, & Peramato apud Oviedum controv. 8. punct. 4. Sed non omnes aſſertores huius ſententiæ eodem modo illam explicant. Alij enim dicunt formas elementorum eſſe quaſi inſenſibiliter in pluribus partibus materię, quia ſunt in partibus materiæ adeo exiguis, vt ſenſum ſubterfugiant. Ita Vega lib. 1. meth. cap. 1. Alij aſſerunt has formas eſſe in eadem parte materiæ, ſed in gradibus, remiſſis. Ita contaren. Senior lib. 3. de Elementis. Et contaren. Iunior. tom. 2. quæſt. de mixto. Dandin. 2. de Anim. digreſ. 8. Alij eatenus docent elementa eſſe formaliter in mixto, quia licet in eo vnica tantum ſit forma ſubſtantialis, hæc tamen continet formaliter formas elementorum ſecundum aliquos gradus, modo quo anima rationalis formaliter continet formam vegetativam, & ſenſitivam. Ita Baccon. in 3. d. 16. Canon. 5. Phyſic. quæſt 2. art. 2. vbi citat Aureol. & Zarabel. Alij. docent formam mixti non eſſe aliud, quam commiſtionem formarum elementorum, quæ ſimul formam mixti conſtituunt. Et ita ſe explicat Zarabel. lib. de mixto.

65 Oppoſita ſententia tenet elementa non manere formaliter in mixto. Ita D. Thom. 1. q. 76. art. 4. quem omnes

nes Thomiſtæ ſequuntur. Scotus in 2. d. 15. cum aſſeclis. P. Suar. d. 15. Metaph. ſect. 10. quem noſtri ſequuntur. Accedit ex Medicis Valles lib. 1. controv. cap. 1. cum alijs, licet non omnes conveniant in explicanda continentia virtuali elementorum in mixto; ſed explicatio initio ſect. adhibita nobis placet.

66 Dico primo: elementa non manent formaliter in mixto. Probatur: in primis non in diverſis partibus materiæ: primo quia ſunt plura mixta omnino homogenea ſecundum omnes partes; ſed talia non eſſent, ſi diverſas formas ſubſtantiales ſecundum diverſas partes materiæ haberent: ergo non habent talem diverſitatem formarum. Minor probatur. Si diverſas formas haberent, & adeo diverſas quales ſunt formę elementorum diverſum temperamentum, & accidentia diſtincta in ſpecie haberent: nam formæ diſtinctæ ſpeciei accidentia diſtincta in ſpecie radicant: ergo non eſſent homogenea; ſed valde eterogenea. Secundo. Forma mixti, per te, conſervatur in vna parte materiæ cum forma vnius elementi v. gr. ignis, & ſine forma alterius: ergo omnes partes formæ mixti poſſunt conſervari ſine forma alterius elementi diſtincti ab igne. Probo hanc conſequentiam, omnes partes formæ mixti v. gr. lapidis ſunt eiuſdem rationis: ergo ſi vna pars poteſt conſervari ſine forma aliorum elementorum idem dicendum erit de reliquis. Neque enim plus indiget mixtione elementorum vna pars formæ, quam alia. Hinc rurſus infero: ergo & ſine forma ignis poteſt forma mixti conſervari. Probo conſequent. Non magis indiget forma mixti conſortio formæ ignis in ſua materia, quam conſortio formarum reliquorum elementorum; ſed poteſt conſervari ſine formis aliorum elementorum: ergo, & ſine conſortio formæ ignis.

67 Secundus dicendi modus, nempè, quod formæ elementorum maneant in eadem parte materiæ in gradibus remiſsis impugnatur 1. Quia admittit pluralitatem formarum in eadem parte materiæ, ex quo etiam capite primus dicendi modus expungendus eſt: nam licet non ponat in vnica parte materiæ omnes formas elementorum, tamen in quavis aſſociat formam mixti cum forma vnius elementi. Ex quo etiam impugnandi ſunt, qui dicunt formam mixti nihil aliud eſſe, quam commixtionem formarum elementorum. Secundo improbatur hic dicendi modus: quia admittit ſubſtantias capaces intenſionis, & remiſsionis, quod omnino falſum eſt ex dictis diſputat. 1.

68 Alius dicendi modus de comixtione omnium formarum elementorum vltra dicta impugnatur. Primo. Nullum mixtum iuxta hanc ſententiam differret eſſentialiter, & ſpecificè ab alio: nam omnia haberent formam eiuſdem ſpeciei, nempè aggregatum formarum elementarium, quod abſurdiſſimè dicetur. Secundo. Adhuc accidentaliter non differrent mixta inter ſe, quod probatur manifeſtè: ea in quibus datur radix eadem in ſpecie accidentium non differunt ſpecificè in accidentibus; ſed iuxta modum dicendi, quem impugnamus, in omnibus mixtis datur eadem in ſpecie radix accidentium, ſiquidem omnium forma eſt eiuſdem ſpeciei: ergo. Tertio. Hic modus dicendi tollit generationem ſubſtantialem vnius mixti ex alio: ergo non eſt ſubſtinendus. Probo anteced. Non poteſt hoc mixtum generare in materia alterius mixti, niſi deſtruendo formam, quam habet, & introducendo aliam; ſed non poteſt formam, quam habet deſtruere, cum eadem ſit ſubſtantialiter cum ea, quam poſſet in eo generare, vt patet: ergo. Quarto, & præcipuè. Quia abſurde, & periculosè dicetur formam viventis nihil aliud eſſe, quam aggregatum formarum elementarium. Omitto plura.

69 Et probo abſolute concluſionem. Formæ elementorum omnino ſuperfluunt in mixto: ergo non manent in illo formaliter. Probo antec. Formæ elementorum tantum poſſunt deſervire, vt mixtum conſtet temperamento quatuor qualitatum; ſed ad hoc munus neceſſariæ non ſunt: ergo ſuperfluunt. Probo min. Forma ſpecifica mixti, vt diſtincta à formis elementorum eſt ſufficiens radix illius temperamenti: nam quævis eſt radix eorum accidentium, quæ ad ſui conſervationem neceſſaria ſunt: ergo. Vrgetur efficaciter. Principium primarum qualitatum exiſtentium in mixto, non ſunt formæ elementorum: ergo tale principium eſt forma ſpecifica mixti, vt diſtincta à formis elementorum. Probo antecedens. Primæ qualitates ita exiſtunt in mixtis, vt non debeantur ipſis in eadem intenſione, ſed cum magna valde inæqualitate, & temperatura, ita vt in vno detur exceſſus caloris, in alio frigoris, in hoc ſiccitatis, in alio humiditatis; ſed hoc fieri non poteſt, ſi formę elementorum eſſent principium qualitatum exiſtentium in mixto: quia cum illæ formæ eiuſdem ſpeciei ſint in omnibus mixtis, æqualiter in omnibus radicarent primas qualitates: ergo formæ elementorum non ſunt ta-

tale principium. Vrgetur 2. ideo formæ elementorum eſſent in miſtis, quia in his ſunt formaliter primæ qualitates; ſed hæc ratio nulla eſt: quia in aère datur calor, qui eſt prima qualitas per ſe conveniens igni, & tamen nullus audebit aſſerere in aère ſimul cum eius forma eſſe formam ignis: ergo. Qui plura velit, legat P. Oviedo citatum doctè, & ſubtiliter de more ſuo rem hanc convincentem.

70 Dico 2. Formæ elementorum manent in mixto virtualiter. Probo. 1. Forma mixti eſt quaſi medium inter formas elementorum contrarias, eo modo quo rubor dicitur color medius inter albedinem, & nigredinem, Forma enim mixti ex commixtione elementorum aliquo verò modo ſuprà explicato reſultat, & quandam convenientiam habet cum formis contrarijs elementorum in eo, quod exigat pro diſpoſitione propria qualitates prorias elementorum; ſed in medio aliquo modo manent extrema, inter quæ medium eſt: ergo in mixto aliquo modo manent elementa. Non formaliter: ergo virtualiter. Secundo, & præcipuè. In mixtis inveniuntur primæ qualites in ea intenſione, quæ ſufficiat, vt ſi forma mixti corrumpatur, generetur forma elementi, quod pluribus experientijs poteſt comprobari, ex quibus conſtat, mixta reſolvi in elementa, ſi arte ſeparentur aliæ qualitates ab alijs; ſed id ſatis eſt vt dicatur elementa manere virtualiter in mixto: ergo ita manent.

71 Sed objicies primo. Si elementa non manent formaliter in mixto, non ſtarent plures differentiæ, quæ inter elementa, & mixta ſolent aſſignari: ergo manent formaliter in mixto. Antec. prob. variè 1. Quia alias non aliter manerent elementa in mixto ad vnum elementum in alio: ſicut enim mixtum continet qualitates elementorum, ita vnum elementum continet qualitatem propriam alterius: aqua enim continent humiditatem, quæ eſt propria aèris, & aèr calorem proprium ignis. 2. Elementum ſimplicius eſt mixto; tale autem non eſſet, ſi mixtum non continet formaliter elementa, quia ſic tantum componitur ex materia, & forma, quæ compoſitio etiam competit elementis. 3. Quia non eſſet ratio, cur mixtum debeat ſupponere materiam prius informatam forma elementari, & non è contra. Si enim mixtum non debet informari formis elementorum, ex quo capite debet illas præſupponere in materia? 4. Quia non maiori ratione elementa dicerentur materia mixti, quam vnum mixtum materia alterius; ſicut enim formam elementi ſuccedit forma mixti in eadem materia, ita forma vnius mixti ſuccedit formam alterius.

Ne-

72 Nego antec. Ad cuius 1. probationem dico, diſcrimen elementi, & mixti in eo ſtare, quod hoc continet omnes qualitates elementorum, vnum verò elementum tantum continet vnam qualitatem alterius. Ad 2. exceſſus ſimplicitatis elementi ad mixtum non eſt ſubſtantialis, vt bene notatur, ſed accidentalis. Nam elementum duplici tantum qualitate gaudet; mixtum vero pollet omnibus quatuor qualitatibus primis, & alijs etiam qualitatibus ſecundis. Ad 3. etiam forma vnius mixti præſupponitur ad formam alterius, quin ex inde liceat inferre formam ſanguinis v. gr. manere formaliter in carne, & formam vini in aceto. Ratio ergo illius præſuppoſitionis eſt indigentia primarum qualitatum, quæ reſident in elementis. Ad 4. ideo potius dicuntur elementa manere in mixto, quam forma vnius mixti in alio, quia potius pollent in mixtis qualitates elementorum, quæ ſemper traducuntur ab vno mixto in aliud, quam vnum mixtum qualitatibus alterius, cui ſuccedit. Licet enim plerumque mixtum habeat aliquas qualitates formæ præcedentis, non tamen omnes, nec tali modo, vt ipſas ad aliud mixtum traducat.

73 Objic. 2. Quando mixtum perit reſolvitur in quatuor elementa; ſed nihil reſolvitur, niſi in ea ex quibus conſtat: ergo mixtum conſtat formaliter elementis. Mai. prob. quia quando lignum comburitur, datur ignis, cinis qui terra eſt, humor aqueus decidens ex ligno, & fumus, qui abit in aërem. Et poſſet vlterius alijs pluribus experientijs probari; ſed ad hoc eſt ſatis aptum reſponſum, quo ſimul impugnatur oppoſita ſententia, ſcilicet dicendo quandò lignum perit, denuò gigni formas elementorum. Et ratio eſt: quia fieri nequit ſubſtantialis corruptio vnius formę ſine productione alterius: ergo quando lignum corrumpitur, in ea parte à qua deficit forma ligni, alia forma denuo generatur; ſed non alia eſt in pluribus partibus, quam forma alicuius elementi, vt conſtat experientia: ergo ea denuo producitur, & non erat prius in mixto. Reſp. 2. forſan intra poros mixti aliquæ partes terræ, aquæ, aëris continentur, quæ per applicationem agentis extrinſeci immutatæ exeunt extra illos poros. Illa tamen non eſt vera mixtio, quia materia illarum partium non eſt propria mixti, ſed illi per accidens iuxta poſita. Vide alias ſolutiones apud P. Oviedo cit. & apud Maſtrium diſp. 7. de Generat. quæſt. 3. art. 2.

74 Objic. 3. Mixtio nihil aliud eſt, quam elementorum vnio: ergo elementa ſunt formaliter in mixto. Confirm. 1. In mixtis dantur primæ qualitates, quæ ſunt propriæ elemento-

rum; ſed qualitates elementorum non poſſunt ſine propria forma inveniri: ergo in mixto dantur elementa. Confirm. 2. vel cum congrediuntur elementa vtrumque eſt æqualis virtutis, vel vnum eſt fortius alio? Si 1. ergo neutrius forma deſtruetur. Si 2. ergo vnum convertet in ſe aliud, ac proinde non dabitur mixtum. Vel ſi omnia elementa ſimul vincunt, quodvis ſuam formam in materia alterius producet, proindeque omnia elementa manebunt in mixto.

75 Ad argumentum iam ſupra in explicatione definitionis diximus elementa extrinſecè manere in mixto ratione qualitatum propriarum, quæ ad mixtum traducuntur. Vnde mixtio extrinſecè tantum eſt elementorum vnio. Ad 1. confirm. reſp qualitates, dum ſunt in ea intenſione, in qua à formis elementorum exiguntur, illas comitari; at verò in mixto non ſunt in intenſione, in qua debentur elementis. Ad 2. Cum ex congreſſu elementorum reſultat mixtum, tunc nullum elementum vincit, ſed omnia vincuntur, omnia ſiquidem amittunt propriam formam, vt ſuccedat forma mixti.

76 Sed inſtabis. Non eſt agens à quo corrumpatur forma elementaris in elementorum congreſſu: quia non forma mixti genita, quia hæc ſubſequitur corruptionem, vel ſaltem effectivè non poteſt illam cauſare. Non aliud mixtum, quod ſæpè non adeſt. Non ipſa elementa ad invicem, quia vel omnia ſunt paris virtutis? Et ſic nullum deſtruetur ab alio; vel imparis, & ſic manebit fortius, & tantum corrumpetur debilius. Ad inſtantiam reſp: Generans extrinſecum habens vim inducendi formam mixti, quodcumque illud ſit, ſive cauſa ſecunda, ſivè prima ad exigentiam materiæ diſpoſitæ eo ipſo expellit formam elementi. Vnde forma ignis v. gr. non expellitur à forma contrarij elementi, quando mixtum generatur, neque formaliter, neque efficienter; ſed formaliter à forma mixti, quę introducitur: efficienter verò moraliter ab agente producente formam mixti. A forma verò elementi contrarij quaſi diſpoſitivè quatenus producendo ſuam qualitatem in materia ignis; illam alterat, & diſponit ad formam mixti. Ad id quod additur de æquali, vel inequali virtute elementorum inter ſe congredientium, ſatisfactum eſt in fine ſectionis.

77 Ad calcem rogabis: Verùm poſsit vnum elementum immediatè generari ex alio? Negat Arcſius 2. de Gener. quæſt. 15. & Arriaga diſp. 4. ſect. 6. vbi ſolum inter aërem, & aquam innuunt, poſſe fieri hanc converſionem. Alij docent inter elementa ſymbola, id eſt, quę in aliqua qualitate conveniunt, poſſe talem converſionem dari. Secus inter diſſymbola, hoc eſt, quæ in vtraque qua-

qualitate diſcrepant: hæc enim prius in mixtum aliquod medium debent tranſire, vt inter ſe mutuo convertatur. Ita Soto 4. Phiſicor. quæſt. 2. art. 1. Valleſ. ibid. cap. 5. & P. Rubius 2. de Gener. cap. 6. quæſt. 1. Alijs vniverſaliter affirmant, & eſt ſententia communis. Ita Marſil. 2. de Gener. quæſt. 9. Averſa q. 1. ſect. 10. Conimbric. cap. 4. q. 1. art. 2. P. Alphonſus diſp. 10. ſect. 4.

78 Sententia communior prob. 1. ex Ariſt. 2. de Generat. textu 24. vbi ſic. *Vniverſaliter quidem manifeſtum eſt, quod omne ex omni generari natum eſt.* Apponit autem in ſequentibus exemplum in elementis etiam diſſymbolis, Prob. 2. de vtriſque experientia. Nam paſſim videmus, aèrem in ignem converti: & contra: aèrem in aquam converti; cernitur in locis ſubterraneis: aquam in aèrem tranſire etiam experientia cernitur. Vlterius exhalationes, quæ iuxta ſupra dicta non differunt eſſentialiter à terra, convertuntur in ignem. Vlterius ſi in ingentem rogum alia portio aquæ mittatur, ea deſtruitur: ergo convertitur in ignem. Prob. conſeq. Quia ea aqua ab igne deſtruitur; ſed ignis, cum ſit agens vnivocum, nullam in eo formam ſubſtantialem poteſt producere, per quam forma aquæ deſtruatur præter formam ignis: ergo aqua vi ignis deſtructa convertitur in ignem.

79 Probatur 3. à ratione. Elementa ſunt inter ſe contraria, & ſuarum qualitatum productiva: ergo ignis v. g. poteſt in aqua tantam intenſionem caloris producere, vt deſtruat eius frigiditatem ad formam aquæ conſervandam requiſitam: ergo introducet propriam formam in eius materia. Dices cum P. Arriaga, priuſquam ignis poſſit producere propriam formam introducetur alia: cuius ratio eſt, quia vt in materia aquæ poſſit producere formam ignis requiritur, quod producat in illa ſex, aut ſeptem gradus caloris. At cum pervenit ad productionem quarti deſtruetur forma aquæ, quæ ſine ſeptem gradibus frigoris conſervari nequit. Non tamen producetur tunc forma ignis: quia nondum eſt in materia calor ad illam exactus: inducetur ergo alia forma pluſquam forma ignis; ſed contra: quia hæc ſolutio ſupponit formas ita eſſentialiter determinare ſibi ſuas qualitates in gradibus intenſis, vt non poſſint ſine illis in ſtatu violento conſervari. Quod contradicit experientiæ, qua videmus aquam ſub intenſiſsimo calore conſervari: & aèrem cum ingenti etiam frigiditate. Qui plura velit, adeat Maſtrium diſp. 6. de Gener. quæſt. 2.

(?)

Digitized by Google

SECTIO VII.

De Temperamento mixtorum

80 CErtum eſt primo quamvis formam mixti ſibi expoſcere primas qualitates in determinato gradu, ita vt eo ab agente extrinſeco deſtructo, ſi forma nõ pereat, remoto extrinſeco agente, illum recuperet. Certum eſt ſecundo. Non omnes formas exigere qualitates illas in eodem gradu, ſed alias in maiori, alias in minori intenſione, vt taliter proportionentur, vt non ſe ad invicem deſtruant, & formam mixti foveant; & hæc proportio, & conſtitutio qualitatum vocatur temperamentum, & complexio formæ mixti. Certum mihi eſt 3. hoc temperamentum non eſſe qualitatem aliquam quintam ſimplicem à quatuor primis diſtinctam, licet oppoſitum tenuerit Avicena apud P. Alphonſ. d. 5. ſect. 3. Ratio eſt: quia in mixtis experimur calorem, & frigus, & illa ſentimus: ergo tales qualitates ſunt formaliter, & non purè virtualiter in mixto ratione quintæ qualitatis. Probo conſequent. Quia qualitatis, quæ pure virtualiter ſunt in alijs, non ſentiuntur, nec percipiuntur in illis: nam piper in quo virtualiter continetur calor, non ſentitur tactu, & idem de alijs ſimilibus conſtat experientia. Nec obſtat, quod ſolet obijci, nempè functiones viventis v. gr. non æquè fieri in omnibus eius partibus, licèt in omnibus detetur idem temperamentum qualitatum: tùm quia vt notat Alph. idem argumentum poteſt fieri contra quintam illam qualitatem: tùm quia facile dicitur, non in omnibus partibus dari æqualem temperiem qualitatum; quare non poſſunt eędem functiones fieri in omnibus partibus viventis.

81 Temperamentum primo dividitur in vniforme, & difforme. Primum eſt cum omnes qualitates ſunt in eodem gradu v. g. vt quatuor, & dicitur temperamentum æquale ad pondus. Secundum eſt, cum aliqua ex primis qualitatibus, excedit in gradu, & vocatur æquale ſecundùm iuſtitiam, quia eſt temperamentum debitum mixto in quo invenitur, & quum alicui aliquid debetur, illi ex iuſtitia tribuendum: in quo etiam ſenſu temperamentum vniforme tale appellari poteſt, reſpectu mixti cui debeatur. Temperamentum difforme eſt duplex, aliud ſimplex, aliud compoſitum. Simplex in quo vna tantum qualitas ex primis excedat, quod iuxta numerum quatuor qualitatum erit quadruplex. Compoſitum in quo duplex qualitas, habeat exceſſum ſuprà alias, & erit quadruplex etiam. Primum in quo excedant calor, & ſiccitas, & dicitur temperamentum igneum ob ſimilitudinem cum igne. Secundum, in quo

duo.

dominantur calor, & humiditas & vocatur aëreum, tertium in quo abundant humiditas, & frigus, & dicitur aqueum. Quartum in quo ſiccum, & frigidum, & dicitur terreum.

82 Iudicat Arcſius frigus in omni mixto excedere reliquas qualitates, ac per conſequens triplex tantum admittit temperamentum difforme: aliud ſimplex, in quo pollet frigidum: duplex compoſitum, aliud ex frigido, & humido, aliud ex frigido, & ſicco; ſed contra, quia negari nequid calorem in aliquibus mixtis dominari, & prævalere, quia animalia maximè perfecta multo egent calore, multumque caloris intus habent, quod ita clarum eſt, vt neſciam, qua ratione id negari poſſit.

83 Ex quatuor temperamentis difformibus quadruplex complexio in viventibus conſurgit. Nam temperamentum igneum conſequitur complexio colerica, aereum ſanguinea, flegmatica aqueum, & melancholica terreum; Licet vero complexio, & temperamentum idem ſint, tamen vſus obtinuit, vt complexio non niſi de viventibus dicatur, & cum reſpectu ad quatuor humores ex quatuor temperamentis provenientes.

84 Rogabis: Vtrum ſit poſſibile temperamentum ad pondus? Negant Averroes 2. de Generat. tract. 48. Zarab. lib. 2. de moving ravium cap. 6. Bannez 2. de Generat. cap. 7. P. Vazq. 3. p. tom. 1. diſp. 57. Lorca diſp. 53. Complutenſ. de Generat. diſp. 12. quæſt. vnica. Ioan. à S. Thoma quæſt. 11. art. 2. Affirmant Fernel lib. 8. Phyſic. cap. 4. Contaren. tom. 1. quæſt. de mixto Averſa quæſt. 43. ſect. 5. PP. Conimbric. 2. de Generat. cap. 8. q. 2. art. 3. P. Rubio ibid. tract. de tem. quæſt. 2. P. Alphonſus diſp. 11. ſect. 5.

85 Certum eſt ex natura rei in omnibus partibus viventibus non poſſe dari tale temperamentum, quia cum illæ valde etherogeneæ ſint, diverſaſque valde functiones habeant, diverſo etiam indigent temperamento. Abſolutè tale temperamentum etiam ex natura rei poſſibile defendo: Probo breviter. Poſſunt miſcibilia alterari adæqualitem: ergo poteſt dari talem temperamentum ad pondus. Conſeq. patet, quia ſi qualitates poſſunt ad eam æqualitatem reduci, cum dabitur forma ſubſtantialis illam poſtulans in eo æqualitatis gradu. Antec. prob. Ponamus frigidum vt ſeptem, calidum verò vt vnum, & calidum vt ſex, frigidum vero vt vnum miſceri. In hoc caſu vtrumque naturaliter evadet calidum, vt quatuor, & frigidum etiam vt quatuor: ſiquidem calidum vt ſex poterit producere in frigido vt ſeptem tres gradus caloris: hoc verò quia minus activum illo tantum producet in calido vt ſex per reac-

rionem duos gradus frigoris: ergo poſſunt mixtibilia alterari ad æqualitatem.

86 Dices: in omni mixtione debet dari aliquod elementum prædominans, quia niſi agentia ſint inæqualia, nullum operabitur. Illud ergo quod fuerit activus, magis ſuæ qualitatis producet in alio, quare æqualitas à nobis aſſerta non conſurget. Si hoc argumentum vim haberet, omnino tolleretur reactio, quia agens, niſi ſit activius, & fortius alio, non poteſt iuxta hunc diſcurſum agere in illud. Quare nego debere in mixtione ſemper vnum elementum prædominari, quia taliter poſſunt res accidere, vt vtrumque æqualem vim habeant producendi in alio, eo quod maior activitas vnius compenſetur per plures gradus alterius, aut per id, quod vnum ſit denſius quam aliud.

DISPVTATIO II.

De Cœlorum natura, & proprietatibus.

OCto libris Phyſicorum adiunxit Ariſtoteles tres libros de Cœlo. Cæterum, quia late de octo libris Phyſicorum egimus, ne illud opus longius, quam par erat, evaderet, non incongrue ad hunc locum tractatum iſtum remiſimus; acturi de corpore Cœleſti poſt diſputationem de elementis, quæ maxima ex parte à Cœlorum influxibus, & motibus dependent. Sumimus Cœlum in præſenti ſtrictè pro corpore in ſe aſtra, & ſidera continente, & pro quovis alio, ſi fortè datur, Cœlo ſyderco ſuperiori.

SECTIO I.

Explicatur ſphæra Cœleſtis, & Cœlorum numerus.

1 NOn eſt dubium dari aſtra à Cœlis diſtincta, quorum alia dicuntur fixa, alia errantia. Fixa ſunt, quæ eandem diſtantiam, ſitum, & figuram inter ſe ſemper habent. Errantia, quæ etiam dicuntur Planetæ, ſunt, quæ oppoſito modo ſe habent inter ſe, & cum ſtellis fixis. Septem recenſentur aſtra errantia, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus Mercurius, & Luna.

2 Sphæra eſt corpus, vnica ſuperficie contentū, habens in medio punctum, à quo omnes lineæ rectè ductæ ad circunferentiam ſunt æquales. Punctum illud dicitur centrum: linea recta tranſiens per centrum, & pertingens vtraque parte circunferentiam, dicitur diameter, & à quacumque parte fiat, dividit ſphæram in duas partes æquales. Si hæc linea talis ſit, vt per ipſam immotam ſphæra circunducatur, dicitur axis, eiuſque puncta extrema dicuntur Poli, & etiam car-

cardines, & vertices ſphæræ. Hinc cum mundus ſit figuræ, circularis, eſt ad inſtar ſphæræ centro conſtantis, & illa etiam linea, quæ axis dicitur, circa quam tota Cœleſtis ſphæra movetur. Puncta terminativa huius lineæ ſunt poli mundi, & Cœleſtis regionis. Vnus ex his dicitur polus Articus ab vrſa cœlesti, quæ *Artos* dicitur græcè, circa iſtum polum exiſtente. Dicitur etiam borealis, quia illinc Boreas exurgit, & ſeptemtrionalis à ſeptem ſtelis, quæ ibi conſpiciuntur. Hic polus à nobis videtur. Alter polus, qui primo ex diametro opponitur, dicitur Antarcticus, qui etiam meridionalis, & auſtralis ab Auſtro appellatur.

3 Decem circulos deſignant Aſtronomi in ſuperficie vltimi Cœli principales licet alij etiam ſint de quibus parum, aut nihil curant, ſex, qui dicuntur maiores, & habent idem centrum cum ſphæra, illamque in partes æquales dividunt: æquinoctialis, ſcilicet Meridianus, Orizon, Zodiacus, Colurus, Solſtitiorum, & Colurus æquinoctiorum. Primus eſt circulus maior per omnes ſui partes æquè diſtans à polis mundi, & dicitur æquatuor diei, & noctis, quia Sole ad ipſum aſcendente diebus noctes æquantur in mundo. Meridianus eſt circulus maior tranſiens per mundi polos, & per punctum directè ſupra noſtra capita poſitum in Cœlo. Hoc autem punctum verticale dicitur Zenith, & illud quod huic ex diametro opponitur dicitur Nadir. Hic dicitur meridianus, quia noctem, & diem in duas partes æquales dividit. Quando enim Sol eſt in Zenith medius dies eſt; quando verò in Nadir media nox. Phyloſophicè loquendo tot ſunt meridiani: quot puncta verticalia concipi poſſunt. At verò Aſtrologi hæc puncta computant iuxta numerum graduum æquatoris, & cum hi ſint 360. tot ſunt puncta verticalia. Rurſus cum Meridianus ſemper attingat duo puncta ex diametro oppoſita, ſunt in ſphæra 180. circuli meridiani.

4 Tertius circulus eſt circulus maior, dividens inferiorem medietatem ſphæræ à ſuperiori. Medietas ſphæræ dicitur hemiſferium, ſumiturque communiter pro medietate nobis apparente. Vnde tot ſunt orizontes phyſicè loquendo, quot poſſunt eſſe variationes loci, quia ad quã vis variatur phyſicè noſter viſus, Aſtrologi tot orizontes ponunt quot meridianos. Poli orizontis ſunt duo puncta verticalia, quia ſecundum omnem ſui partem æquè diſtat ab illis. Quartus eſt circulus maior eſt, qui dividit, & curſus dividitur ab æquinoctiali in duas partes æquales ad angulos ſphæræ ita vt vna medietas eius vergat ab Boream, altera ad Auſtrum. Vnde, & habet diverſos polos à circulo æquinoctiali. In hoc circulo duo decim ſtellæ fixæ reperiuntur, Aries, taurus, gemini,

182. circulos circa mundi axem deſcribit, tot enim dies inſumit ab vna parte Zodiaci ad remotiorem. Secundus deſignatur à Sole à principio Capricorni ſe movente. Hi circuli ſunt termini intra quos Sol mobetur. Tertius eſt circulus deſignatus à Zodiaco motu diurno circa polum Arcticum. Quartus ſactus ab ipſo circa polum Antarticum. Nam cum poli Zodiaci à polis mundi diſtent, ſuper quos fit motus diurnus, moventur tamen motu proprij orbis circa illos.

8 Iam Circa Cœlorum numerum certum eſt dari vnum ſupremum Cœlum, quod dicitur Empyreum, & eſt quaſi domus Beatorum, & Theatrum gloriæ ipſorum. Quamvis enim tale Cœlum non cognoſcatur naturali ratione, tamen concors ſententia Theologorum, & PP. illi ſubſcribit. Secundo certum eſt dari vnum Cœlum in quo reperiuntur, & moventur aſtra, ſeu motu proprio, ſeu motu ipſius Cœli: dubium tamen eſt, an ſupra, vel infra hoc Cœlum, quod firmamentum vocantur dentur alij Cœli medij inter ipſum, & Empyreum, & inter ipſum, & terram.

9 Aliqui vnum tantum Cœlum ſydereum agnoſcunt quæ fuit opinio plurium antiquorum, quos ſequuntur Averſa quæſt. 32. Phyloſ. ſect. 4. P. Ruvius 2. de Cœlo cap. 5. quæſt. 2. Hurt. de Cœlo d. 2. ſect. 1. Alphonſus diſp. 12. de Generat. ſect. 5. Inclinatque P. Amicus tract. 4. de Cœlo quæſt. 5. dub. 2. & P. Oviedo controv. de Cœlo punct. 4. Sed horum plures procedunt ex ſuppoſitione de eo quod Cœli fluidi ſint; & quidem ſi ea ſententia de fluiditate Cœli vera ſit, non difficile reſolvitur pro vnico tantum Cœlo ſtellato. Si enim Cœli ſunt fluidi, omnes motus aſtrorum cum vnico Cœlo componantur. Immò enim Cœlo poſſunt ſingula aſtra moveri proprijs motibus, vt ex rationibus, quæ pro pluralitate Cœlorum ſolent adduci conſtat.

10 Difficultas ergo eſt in ſententia aſſerentium Cœlos eſſe ſolidos. In qua nonnulli quos PP. Conimbric. ſequuntur ſentium Cœlos eſſe vndecim, ſeptem inferiores dant ſeptem planetis, octavum ſtellis, nonum vocant primum mobile, virtute cuius alij Cœli, etiam ſtellatum moveatur. Decimum eſt Cœlum graciale, vndecimum tandem Empyreum. Huius ſententiæ ſunt PP. Clavius, & Molina apud P. Tanner. diſp. 6. quæſt. 4. dub. 4. Alij etiam ſi Cœli ſolidi ſint vnicum tantum Cœlum ſydereum admittunt. Cum verò ſingula ſydera varios habeant motus, diſpares, & oppoſitos, ponit hæc ſententia quoſdam tubos, ſeu canales excavatos in Cœlo, per eoſque ſydera moveri. Et id ita ſit, ne ſi vnicè ad motum Cœli moverentur, Cœlum ſimul, & ſemel

ita

haberet motus contrarios: ita Hurt. ſup. Arriaga novem Cœlos admittit Empyreum, Sydereum, & alios ſeptem pro ſeptem planetis. Ita diſp. de Cœlo ſect. 4. Oviedo ſex tantum, Lunæ ſcilicet, Solis, Iovis, Saturni, Stellatum, & Empireum. Maſtrius tres Cœlos duntaxat Empyreum, primum mobile, & ſtellatum. Ita diſput. 2. de Cœlo q. 1. art. 2. Magis ad aſtronomos, quam ad Philoſophos res hæc ſpectat, ideo breviter illam abſolvam.

11 Dico primo. Neque Cœlum glaciale, neque primum mobile admittenda ſunt. Non primum, quia ſine fundamento adſtruitur. Duntaxat enim volunt AA. illud ponere, quia intelligunt nomine illius aquas; quæ 1. Geneſ. dicuntur eſſe ſuper Cœlos. Hæc autem loquutio valde impropria eſt: quomodo enim Cœlum poteſt dici aqua? Et præſertim quia reliqui Cœli à multis iudicantur ex aquis condenſatis. Facti nomine ergo aquarum verę aquæ, & non aliquod Cœlum intelligendum eſt. Non ſecundum, quia primum mobile adſtruitur à ſuis AA. ut componant motus contrarios in Cœlis inferioribus; ſed tales motus contrarijs nec dantur, nec dari poſſunt in illis: ergo non datur primum mobile. Reliqua conſtat, & min. infrà probabitur.

12 Dico 2. Vnum tantum ſydereum Cœlum eſt admittendum. Probatur 1. ex auctoritatibus expreſsis plurium PP. apud Alphonſum videndis 2. Quia nulla eſt neceſsitas multiplicandi Cœlos: ergo multiplicandi non ſunt. Antecedens probatur. Quia tota ea multiplicatio vnicè fit, vt ſalventur motus aſtrorum, qui ſine diſtinctione Cœlorum, per quos moventur, videntur non poſſe componi, ſed tales motus aliter ſalvari poſſunt: ergo nulla eſt neceſsitas tot Cœlos diſtinguendi. Quod autem tales motus componi poſſint ſine multiplicitate Cœlorum deprehendetur ſatis, ſi obſerves Cœlum eſſe quendam orbem concentricum, terram circundantem, & continentem pluribus orbibus excentricis, tot ſcilicet, quod opus ſint, vt ſinguli planetæ ſuos motus peragant, quin mutuo ſe impediant: in his orbibus excentricis aſsignantur diſtincti epycicli. Epyciclus autem eſt, quędam ſphæra ſolida intra craſſitiem orbis extrinſece immerſa, habens proprium centrum intra quod poſsit circunferri. Ita vt & orbis centricus ſuum habeat motum, & ſuum etiam ille Epyciclus, circa quod moveatur planeta illi inhærens, ſeu in eo incluſus.

13 Ecce, & movetur excentricus, & movetur Epyciclus, planetaque in eo incluſus, quin propter Cœlorum ſoliditatem neceſſariò rapiant ſecum reliqua cœleſtia corpora. Sic plures RR. inter quos P. Oviedo Cœ-

luna

lum Solis, Mercurij, Veneris, & Martis ad vnum redegerunt, his tribus aſsignando excentricos orbes, & Epyciclos, per quos componunt Mercurium, & Venerem aliquando viſos eſſe ſupra Solem, & Martem cuius Cœlum ſuperius ſole ſolet aſsignari, viſum fuiſſe infra ipſum. Si ergo pro his planetis non eſt neceſſarius novus orbis concentricus, ſed ſufficit centricus ad diverſitatem motuum componendam, cur idem de reliquis non dicetur? Moventur ergo intra proprios orbes excentricos, & Epyciclos, alij velocius, alij tardius: & ita iam ſunt inter ſe viciniores, iam diſtantiores: iam remoti à terra, iam illi propriores, prout plus declinant à parte inferiori, vel ſuperiori Epycicli intra quam continentur.

14 Objiciunt aliqui D. Paulum dicentem ſe raptum fuiſſe ad tertium Cœlum. Tres ergo Cœli vt minimũ admittendi ſunt. Hæc obiectio æquè militat contra alias ſententias admittentes alios Cœlos vltra tres: nam communis ſententia eſt D. Paulum ad Empyreum, quod eſt Cœlorum vltimum raptum fuiſſe. Et quidem ad quid ad Cœlum Veneris eveheretur? Reſpondeo ergo aërem frequenter ſignificari nomine Cœli, non modo apud ſcriptores profanos, ſed etiam apud ſacros, imò, & apud Scripturam, in qua ſæpè legitur, volucres Cœli, pluvia de Cœlo, manna de Cœlo. Aëre ergo adiuncto Cœlo ſydereo, & Empyreo, ita tres Cœlos dicimus extenſo vocabulo. Et ita intelligendum eſt Div. Paulum ad tertium Cœlum raptum fuiſſe.

SECTIO II.

De Natura Cœli.

15 NOn loquitur de Cœlo Empyreo, de cuius natura nihil eſt firmum, & notum, ſed tantum de Sydereo. Cœlum eſſe quid ſubſtantiale integraliter extenſum, ſenſibile, & corporeum ipſis ſenſibus patet. Quare difficultas eſt an ſit corpus non compoſitum ex materia, & forma, an eiuſdem rationis cum ſublunaribus, vel diverſæ? An corruptibile, vel incorruptibile? Cœlum eſſe compoſitum ex materia, & forma, affirmant Div. Thom. D. Bonav. Ægidius, Capreol, & Herveus apud Conimb. 1. de Cœlo quæſt. 4. art. 1. P. Ruvius quæſt. 5. P. Suar. diſp. 13. Methaph. ſect. 10. P. Hurtado diſp. 1. ſect. 1. P. Tannerus tom. 1. diſput. 4. quæſt. 1. dub. 3. P. Amicus tract. 4. quæſt. 2. dub. 1. P. Oviedus controv. de Cœlo punct. 2. & P. Alphonſus diſput. 12. de Generation. ſect. 3. At vero Averroes, & Ariſtot. iuxta plures, Durand. Grabil, Baſſolus, & alij, hanc compoſitionem negarunt Zerbius 8. Met. quæſt. 3.

Arria-

Digitized by Google

Arriaga diſt. 2. Phyſic. ſect. 11. & Averſa q. 33. ſect. 5. vtrumque probabile cenſent.

16 In primam ſententiam magis propendeo, quia conformior eſt doctrinæ plurium PP. aſſerentium apud P. Tanner. diſp. 6. quæſt. 2 dub. 4. Cœlos ex materia ſublunari fuiſſe factos; ſed quod fit ex materia debet alia comparte ſubſtantiali conſtare: ergo Cœli conſtat materia, & alia parte ſubſtantiali, quæ eſt forma. Confirmatur primo ſupponendo firmamentum à Deo factum die ſecundo, eſſe Cœlum ſydereum, quod conſtat ex primo Geneſ. vbi Deus dicitur ſolem, lunam, & ſtellas in firmamento poſuiſſe. Vnde etiam fieri poteſt argumentum pro vnitate Cœli ſyderei, cùm Deus vnum tantum firmamentum feciſſe legatur, in eoque ſolem, lunam, & ſtellas collocaſſe; ſed quidquid ſit de hoc, arguo pro re præſenti. Vero ſimilius eſt Deum initio creantem terram, ideo eos primum creaſſe, vt ex huius materia, quidquid poſtea conderet, produceretur; ſed firmamentum factum eſt poſt productionem Cœli nempè Empyrei, & terræ: ergo factum eſt ex materia. Mai. probat. quia ſi aliquid ex ea materia primo creata non fuiſſet productum, productió illius erat ab ea materia independens: ergo opus non erat quod prius materia crearetur, quàm illud, ſed aptius eſſet, quod ſimul concrearentur: ergo veroſimilius eſt Deum initio creantem terram ideo eam creaſſe, vt ex huius materiá fieret quidquid poſtea fieret. Fuit ergo ea productio terræ, quaſi fundamentum productionum ſubſequentium, vt ex eius videlicet materia (intellige nomine terræ mundum cum omnibus elementis) fierent reliqua.

17 Confirmatur 2. Ex ſacro textu colligi videtur, Cœlum ſydereum factum fuiſſe ex aqua; Sed fieri non potuit ex aqua, niſi quia eius forma in materiam aquæ introduceretur: ergo conſtat materia, & forma. Min. videtur certa: nam non poteſt Cœlum factum fuiſſe ex aqua, niſi quia ſi vi ſubſtantiæ Cœli deſineret eſſe forma aquæ in materia, ad quod requiritur oppoſitio formæ vnius cum forma alterius. Mai. verò prob. Firmamentum fuit factum à Deo in medio aquarum, vt conſtat ex 1. Geneſ. ergo in materia aquæ producta eſt forma firmamenti. Probo conſequentiam. Tum quia Deus nihil redegit in nihilum eorum, quæ condidit; excepta ſubſtantia panis in Euchariſtia; tum quia alias ſecundo die redegiſſet in nihilum quod primo die creaverat, quod abſurde ſatis diceretur.

18 Objic. 1. compoſitio eſſentialis nobis dumtaxat innoteſcit ex perpetua tranſmutatione vnius ſubſtantiæ in alicam-

nempe, ex adventu vnius formæ, & receſſu alterius ſub eadem materia; ſed in corporibus cœleſtibus non datur hæc viciſſitudo, & tranſmutatio, cum ſemper in illis maneat eadem ſubſtantia: ergo non habemus argumentum, vt aſſeramus, Cœlos eſſe compoſitos ex materia, & forma. Reſpondeo primo, illam tranſmutationem eſſe quidem ſufficiens medium probandi compoſitionem eſſentialem; non vero vnicum. Secundo: ex noſtra probatione probabiliter conſtat ſub materia Cœlorum prius fuiſſe formam aquæ, ac proinde data eſt ea tranſmutatio ſufficiens ad probandam compoſitionem ſubſtantialem Cœlorum.

19 Objic. 2. Non repugnat ſubſtantia corporea completa ſimplex ſimplicitate excludente partes ſe habentes, vt materiam, & formam, vt trademus diſput. 3. de Anima; ſed ea de facto admittenda eſt, quia valde conducit ad perfectionem vniverſi, quod detur corpus ſimplex completum, ſicut datur ſpiritus completus, & ſimplex: ergo de facto datur, & cum alia talis eſſe non poſſit, Cœlum huius naturæ erit. Eodem argumento poterit probari, dari alias creaturas diverſæ ſpeciei, & nobiliores iis, quas novimus, quia valde perficient vniverſum. Conceſſa ergo poſſibilitate talis ſubſtantiæ, dico eam de facto admittendam non eſſe; quia nullum eſt firmum fundamentum ad illam de facto ponendam.

20 Objic. 3. Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile: ergo non conſtat materia, & forma. Anteced. eſt ſatis receptum, & conſeq. prob. Quia ſi conſtaret materia, & forma, haberet diſpoſitiones oppoſitas cum diſpoſitionibus alterius formæ, quæ profunde poſſunt primas expellere, & ad ſitum novæ formæ parare: ergo ſi Cœlum incorruptibile eſt, non conſtat materia, & forma. Reſpondeo ex incorruptibilitate (de qua poſtea) non inferri ſimplicitatem, quam intendit objectio: quia poteſt ea incorruptibilitas provenire ratione formæ, ita firmiter vnitæ ſuæ materiæ, vt non permittat aliam, neque diſpoſitionem ad illam introduci.

21 De mente Ariſtotelis multa alij; ſed me iudice parvipendenda eſt in præſenti, eo quod circa Cœlos plura docuerit non modo rationi, ſed fidei contraria. Sed tamen plures pro noſtra; plures pro oppoſita ſententia illum adducunt, quod ſignum eſt ipſum non clare fuiſſe loquutum.

22 Dico 2. Materia Cœli eſt eiuſdem rationis cum noſtra ſublunari. Ita D. Bonav. & Scotus apud Maſtrium diſp. 2. quæſt. 2. art. 2. Magiſter in 2. diſt. 14. cap. 1. Del Rio in cap. 1. Geneſ. vbi adducit vnde viginti PP. inter quos Clementem Roma-

manum; Hieronym. & Tertulian. Oppoſita eſt communis inter Thomiſtas, & noſtros, Zerbius, Arriaga, Conimbric, & Hurt. vtramque cenſent probabilem. Oviedo verò cenſet à ratione neutram partem ſufficienter probari; at verò propter authoritatem PP. probabiliorem eſſe noſtram quam P. Molina conformiorem Scripturis, dicit 1. p. tract. de opere ſex dierum q. 5. Probo ergo concluſionem. 1. Quia vt ſupra notavi, plerique ex SS. PP. videndis apud Tanner. d. 6. q. 2. dub. 4. docent, Cœlos eſſe factos ex materia elementari: ergo non ex materia diſtincta in ſpecie à materia corporum ſublunarium. 2. Non ſunt multiplicandæ ſpecies, & perfectiones ſine neceſsitate, & fundamento ad id cogente; ſed nullum fundamentum cogit ad eam materiam diſtinctam in ſpecie à ſublunari, & illa perfectiorem admittendam: ergo talis materia admittenda non eſt.

23 Dices 1. Cœlum Sydereum eſt incorruptibile: ergo conſtat materia diſtinctæ ſpeciei à ſublunari. Conſeq. prob. quia ſi ea incorruptibilitas datur, materia Cœli determinata eſt ad eam formam, quam habet: ergo differt ſpecie à noſtra materia, indifferente ad omnes formas, circa doctrinam antecedentis nihil eſt firmum, cum difficile altera pars ſuaderi poſſit. Affirmat in corruptibilitatem Ariſtot. quem ſequitur D. Dionyſ. de div. nomin. cap. 4. D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. P. Molina 1. p. q. 9. art. 6. diſp. 3. & plures alij & P. Alph. quibus conſentio, non quia ratio aliqua omnino convincat, quam propter expreſſam PP. authoritatem apud Tann. & Conimbric. ſup. cit. Et vlterius quia in Cœlo nullum eſt veſtigium corruptionis: ergo incorruptibile eſt. Patet conſeq. quia naturas rerum nullo medio cognoſcimus aptius, quam ex earum effectibus. Cum ergo permanentia Cœli eodem eſſe ſubſtantiali ab initio mundi ſit quædam incorruptibilitas, & aliunde nihil in eo ſit, quod corruptibilitatem indicet, debemus dicere Cœlos eſſe incorruptibiles. Antec. prob. Cœlum nunquam adhuc ſecundum aliquam partem fuit corruptum, nunquam tranſit ab vna forma in aliam: ergo nullum in eo eſt veſtigium corruptionis.

24 Neque obſtat, quod poſt in diei iudicij corrumpendi ſint, & comburendi: quia inde non infertur, quod ſint natura ſua corruptibiles: ſicut ex eo quod ſtellæ caſuræ ſint de Cœlo nō bene arguit ur illum motum eſſe naturalem ſtellis; ſed id tantum ſic in ſignum indignationis divinæ contra peccatum, ideoque destruetur Cœlum, eo quod peccatoribus deſervierit aliquomodo ad ſua flagitia. Neque obſtat, viſos fuiſſe aliquos cometas in

Digitized by Google

Cœlo, ex quo videtur inferri in terrorisſſe tranſmutationem ſubſtantiæ Cœli in illa phænomena, vt latè probare intendit Thyco Brahe citatus à P. Alph. diſp. 12. Cic. ſect. 5. Quia omnino negandum eſt, talia metheora in Cœlo fieri poſſe, niſi miraculosè ob dicta ſect. 2. diſp. præced. & ita docent omnes, qui ſcripſerunt ante dictum Tychonem. Imo Scipio Claramontius in Antycone, & lib. de tribus ſtellis, demonſtrat illos cometas, quos Tycho cenſuit ſuprà Lunam genitos, non fuiſſe cœleſtes, ſed ſublunares. & oſtendit omnes Aſtrologos Tychone poſteriores id ipſum docuiſſe.

25 Iam ad argumentum factum, conceſſo antec. nego conſeq. Quia vt ſuprà notavi ea incorruptibilitas poteſt provenire à forma cœleſti, quæ talis naturæ ſit, vt non permittat naturaliter introduci in ſua materia diſpoſitiones contrarias illis, quibus indiget ad ſui conſervationem, ac proinde illa determinatio materiæ ad formam cœleſtem non eſt intrinſeca materiæ, quæ ex ſe poteſt quamvis formam admittere.

26 Dices 2. Forma inſeparabilis, & inamiſsibilis à materia debet habere materiam diverſam à forma ſeparabili, & amiſsibili: ergo ſi Cœlum ratione propriæ formæ eſt incorruptibile, conſtat materia inſeparabili à forma, quam habet; ſed cur non arguis formam ſpiritualem vindicare ſibi materiam diverſam ab ea, quam exigit forma corporea? Certè magis diſtat forma ſpiritualis à forma corporea, quam quævis forma ſublunaris à cœleſti. Si ergo propter diverſitatem formæ ſublunaris, & cœleſtis requiris materias diverſas, poſſes etiam illas requirere pro diverſitate formæ ſpiritualis, & corporeæ. Quare nego antecedens, quod nulla ratione probatur, nec probari poteſt.

27 Dico 3. Forma Cœli non eſt anima. Ita communiter contra Pytagoricos, Platonicos. & contra Ariſtotel. lib. 2. de Cœlo text. 13. & lib. 2. Metheor. text. 35. vbi expreſſe docet Cœlos eſſe animatos. Acceſsit Origin. lib. 1. Peria rchon vbi ſtellas non modo animatas, ſed capaces benè, & male operandi eſſe contendit. Noſter vero Euſebius lib. 9 curioſæ Philoſophiæ docet ſtellas habere animam loco motivam. Quod Cœli non habeant animam rationalem probatur, ex eo quod in cap. firmiter de Summ. Trinit. Inter creaturas rationales ſolum referuntur Angeli, & homines: ergo non eſt alia creatura rationalis. Secundo, quod non habeant animam vegetativam, aut ſenſitivam, ex eo quod nullum eſt indicium, talem animam ponendi, nec mu-

munus, ad quod deſtinati ſunt, vllam ex his animabus requirit. Tandem quod motus localis non ſit vitalis probabimus diſp. 4. de Anima agentes de conceptu vitæ, ex eo quod per actionem vitalem debeat produci terminus non pertinens ad ſtatum connaturalem, nec ad illum adquirendum. Per motum autem localem producitur præſentia, quæ pertinet ad ſtatum connaturalem. Hoc licet Cœli propria virtute moverentur, de quo poſteà.

28 Dices in Scripturis frequenter excitantur Cœli, & aſtra ad laudandum Deum. Nam dicitur. *Laudate eum Cœli, Cœlorum: laudate eum Sol, & Luna*, & plura alia huiuſmodi. Reſpondeo etiam elementa, montes, & colles ad laudes Dei invitantur, & omnia demum Dei opera, & rideretur qui hoc fundamento aſſereret lapidem vivere. Quare dicendum eſt, ea verba dirigi ad homines, vt excitati à mirabilibus Dei operibus, ipſi gratias agant, eiuſque Omnipotentiam laudent.

29 Dico 4. Forma Cœli eſt diſtinctæ ſpeciei à ſublunaribus. Probatur contra veteres aliquos Philoſophos, quorum alij Cœlum eſſe igneum, alij aëreum, alij terreum, alij ex omnibus elementis concretum credebant, deluſi varijs accidentibus, quæ in Cœlo accidunt, ſeu ab illo proveniunt. Cœlum habet effectus, & proprietates nobiliores reliquis elementis, vt ipſa experientia conſtat: ergo tribuenda eſt ipſi forma ad illos effectus, & proprietates determinata; ſed hæc ſpecie differt à forma elementorum, quo aliorum accidentium eſt radix: ergo. Quo eodem argumento probatur, Cœlum ab omnibus formis ſublunaribus ſpeciè differre, cum ſit radix diſtinctorum accidentium in ſpecie. Quod autem producant frigus, & humiditatem in corporibus inferioribus non probat eſſe in ſe frigida, & humida corpora cœleſtia formaliter, vt inde inferatur illis convenire primas qualitates: ſufficit enim continentia virtualis, vt illas qualitates producant.

SECTIO III.

De Soliditate, aut fluiditate Cœli.

30 SErmo eſt etiam de Cœlo Sydereo, nam de Cœlo Empyreo communiter ſuſtinetur eſſe ſolidum. In ſoliditatem Cœli ſyderei conſpirarunt ferè omnes antiqui Philoſophi, Theologi, & Scripturæ Interpretes. Ita Ariſt. lib. 2. de Cœlo à textu 23. vſque ad 25. Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 1. Philo lib. 1. de Gigantibus. Del Rio in Geneſ. cap. 1. Tanner, tract. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 2. Pererius lib. 7. quæſt. 9. Et innumeri alij longum agmen PP. in favorem huius ſententiæ ad-

ducentes. Fluidum eſſe docent aliqui Mathematici moderni, quos ſequitur Noſter Enieb. lib. 6. curioſæ phyloſ. cap. 14. Arriaga diſp. 17. Phyſic. ſect. 3. Oviedo hic punct. 3. licet hi duo Inſufficientiæ reputent vtriuſque ſententiæ fundamenta, & in hanc, vt magis congruam inclinent. Tandem P. Alphonſus diſp. 12. cit. ſect. 5.

31 Primæ ſententiæ aſſenſio, quam probo primo ex Iob. cap. 37. vbi ſic habetur. *Tu forſam cum eo fabricatus es Cœlos; qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*: ergo non ſunt fluidi, ſed ſolidi. Dices, illa verba non eſſe Iovi, neque authoris libri ſacri, ſed Eliud, cuius, & aliorum amicorum Iovi ſtultitiam Deus Iovi 41. cap. reprehendit; ſed contra, quia verba eorum amicorum Iovi eſſe apta ad conciliandam authoritatem, patet ex eo, quod D. Paulus 1. Corinth. cap. 3. citat vt Dei oraculum illam ſententiam alterius ex amicis Iobi cap. 5. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* Non ergo ex alio capite reprehenduntur à Deo, niſi quia ordinem providentiæ ignorantes, non niſi ex aliqua Iovi culpa eius calamitates provenire cenſebant. De cætero in eorum verbis mirabiles ſunt ſententiæ, vt patet in toto libro. Et quidem verba præſentia non parum indicant ſenſum, ſapientum, quales illi erant, eſſe, Cœlos eſſe ſolidos. Quod vlterius roboratur, ex eo quod ſacri Interpretes hanc authoritatem non reſpuant, ſed potius eius intelligentiam inquirant.

32 Dices 2. Ea verba intelligenda eſſe ex plurium interpretatione de regione aëris; ſed contra, quia non niſi magna improprietate aër poteſt dici ſolidus. Et quidem vix apparet, aut ne vix quidem ſenſus ſanus in quo ſoliditas de aëre poſſit intelligi. Dices 3. Cœlos dici ſolidos propter firmitatem, quam habent quantum ad eſſe, quoad conſervationem in proprio centro; ſed contra, quia illa verba, *quaſi ære fuſi* hanc interpretationem explodunt, quomodo enim diceretur Cœlum ſolidum inſtar æris, ſi eſſet fluidum inſtar aëris, & aquæ? Deinde quia nulla vis cogit impropriare illam ſoliditatem, quæ abuſivè ſumeretur pro ea firmitate. Igitur ſolidum ſignificat duritiem partium, quæ non facile poſſint inter ſe diſcontinuari, vt conſtat.

33 Secundo probatur concluſio ingenti authoritate SS. PP. quos paſſim citatos invenies apud AA. quibus accedit D. Thom. in 2. diſt. 14. & 1. p. q. 68. art. 2. qui loquentes de Cœlo ſydereo aiunt, eſſe firmum concretum, ſolidum, & congelatum ex aquis vt chriſtallum, & in hoc ſenſu intelligunt nomen firmamenti ſydereo Cœlo impoſitum; ſed hæc loquutio vnde expreſſe ſoliditatem ſignificat in ſtricta,

acceptione. Alias aër poſſet dici concretus, & congelatus, quam loquutionem nemo admittet: ergo Cœlum eſt ſolidum. Dices cum P. Alphonſo nomen firmamenti parum facere ad preſens, quia aër etiam apud plures firmamentum dicitur; ſed contra primo: quia hic Author non poteſt vti hac ſolutione, cum hic ſect. 1. num. 14. contendat, nomine firmamenti ſignificari Cœlum ſydereum propter eam rationem, ob quam idem tradidit ſect. 2. in præſenti repetendam. Contra 2. quia vt modo dixi, quis aërem dicat firmum, ſtabile, ſolidum, concretum, cum inconſtantiſſimum ſit? Non ergo PP. nomine firmamenti talis naturæ poſſunt intelligere aërem. Vbi non arguimus ex præciſſo nomine firmamenti, ſed ex eo, vt in præſenti à tot PP. accipitur. Dices 2. dum PP. dicunt eſſe firmamentum ſolidum, concretum, &c. loquuntur de firmitate, & conſiſtentia in eſſe; ſed contra. Eandem, aut maiorem conſiſtentiam habet in eſſe Angelus, & anima rationalis, quam Cœlum ſydereum; & tamen nemo dicet animam, & Angelos eſſe concretos, & ſolidos: abſit ergo à PP. tam impropria loquutio. Contra 2. Quia licèt poſſit dici rem fluidam eſſe firmam, & conſiſtentem; eſſe vero concretam, & congelatam, vt Chriſtallum, quis dicat?

34. Tandem P. Arriaga fatetur humiliora, & clariora eſſe PP. teſtimonia pro noſtra ſententia, quam pro oppoſita; ſed addit verba PP. poſſe intelligi de Cœlo ſtellato. At hæc ſolutio nobis favet, cum enim ſuprà ſect. 1. probaverimus vnicum tantum dari Cœlum ſydereum, hinc conſtat illud eſſe ſolidum, & non fluidum, & molle ſtellis reliquis firmum, & ſolidum tribunt.

35. A ratione vix ſupetit argumentum, quo vel hæc, vel oppoſita concluſio poſſit probari. Nihilominus illam ſuadeo ſatis congruenter ex continuo, & rapidiſſimo motu aſtrorum, & Cœli. Cœlum inſtitutum eſt ab Authori naturæ, vt perpetuo motu circumvolvatur: ergo eſt ſolidum. Probo conſequentiam. Si Cœlum liquidum eſſet, & molle, non eſſet idoneum illi motui rapido, & circulari, firmo, & conſtanti; ſed tale debet inſtitui: ergo ſolidum. Maior in qua ſola eſt difficultas probatur. Corpus, cuius partes facile diſcontinuantur, non eſt aptum tali motui continuo, & conſtanti. Nam ipſa agitatione facile dividerentur aliæ ab alijs, & hæc verſus illud latus, illæ verſus aliud, aliæ infra alia ſuprà manerent, vt experientia ipſa indicat, & etiam adverſarij, qui catenus Cœlum molle, & liquidum adſtruunt, vt poſſint Aſtra, & Planetæ ex vna parte Cœli ad aliam tranſire, quin

quin ſoliditas, Cœli motui reſiſtat; ſed eius partes facile cedant, & diſcontinuentur; ſed corpus fluidum tale eſt, vt eius partes facile diſcontinuentur: ergo aptum non eſt motui continuo, & Conſtanti. Confirmatur. Planetæ, & aſtra per Cœlum diſcurrentia ſunt in continuo, & vehementi motu: ergo continuo ſecant Cœlum, & alias eius partes ab alijs dividunt. Patet conſequentia. Quia vt locum Aſtris ſe moventibus relinquant, aliæ partes hac, aliæ illac diffluent: ergo Cœlum non modo movetur ſuo motu proprio, ſed eſt in continuo motu illarum partium, per quas planetæ, & Aſtra tranſeunt: nam iam accedunt, iam recedunt: ergo tot motus obſervabuntur in Cœlo verſus adeo diſsitas, & varias partes, quot ſunt ſydera ſe moventia. Cum autem ea ſint per totum Cœlum diſperſas, & alia in orientem, alia in occidentem, & commoveantur partes etiam Cœli eam continuam diverſitatem motuum habebunt, quod inauditum eſt; & alias nullus erit motus regularis in eius partibus Cœli.

36 Objic. 1. Plures ex SS. PP. qui videntur oppoſitæ ſententiæ favere, vt ſunt Iuſtinus. Eniſſen. Chriſoſt. Niſſen. Procopius, & alij; ſed reſpondet P. Arriaga alioqui oppoſitæ ſententiæ aſſertor eos PP. nihil ſuffragari liquiditati Cœli cum vnice doceant ſydera non eſſe in Cœlo fixa, ſed habere ſuos proprius motus, quod ſtat cum ſoliditate, imò hæc aptior eſt, vt Cœlum tot corpora, iam infra, iam ſuprà poſsit ſuſtinere. Ambroſ. & Baſil. non nihil videntur favere huic ſententiæ, quatenus faciunt Cœlos ſubtiles; ſed tamen D. Baſilius addit ſe non audere definire, qualis ſit Cœli natura; & Ambroſ. loquitur de Cœlis non prout ſunt modo, ſed prout fuerunt in prima ſui natura, quatenus conſolidati ſunt ex aqua. Ita Arriaga; ſed quod attinet ad ſubtilitatem neſcio, qua ratione ea pro re fluida accipiatur. Cum poſsit res aliqua eſſe fluida, & tamen nimis craſſa.

37 Obicies 2. Luna non eſt corpus æquale, ſed valde inæquale multis, & altiſsimis montibus ſe attollens, qui conſurgunt ex valibus valde profundis: ergo habet plures cavitates: ergo neceſſe eſt moveri per corpus fluidum, quod illius cavitates poſsit replere. Reſpondeo primo negando antecedens, quod nulla ratione poteſt ſuaderi. Quia vt plurium ſuaderi poteſt plurimas lunæ partes tranſparentes, & diaphanas nulla luce perfundi, cum aliæ profundiores tali luce perfundantur, ex quo conſurgit, quod ibi montes, & cavitates appareant. Secundo permiſso antecedenti, dico, eſſe quidem eas cavitates, ſed repleri corporibus diaphanis non

impedientibus videri à nobis omnes partes lunæ: nam ex eo, quod hæc viſio non impediatur, non licet inferre corpus illud eſſe fluidum, cum corpora etiam ſolida plura ſint, quæ viſionem ulteriorum corporum non impediant.

38 Objic. 3. Viſi ſunt plures cometæ in Cœlo ſuprà lunam, ut peritiſsimi Aſtrologi demonſtrarunt, imò ſuprà omnes Planetas: ergo cœlum fluidum eſt. Probatur conſeq. quia alias non poſſet his novis corporibus laſem cedere. Mirabile eſt hoc argumentum, quo plures Aſſertores ſententiæ oppoſitæ utuntur, & plures etiam omnium debile cenſent. Iam ſupra conſtitit ex obſervatione plurium illos cometas, de quibus Sycho, & alij non ſuprà ſed, infra cœlum apparuiſſe. Et hæc ſit prima reſponſio. Secundo: illi cometæ, ſi in Cœlo apparuerunt, miraculoſe ibi à Deo creati ſunt, ſi forte aliquis eſt cometa, ex illis videlicet, qui futurum aliquod damnum præſagiunt, qui miraculoſe à Deo non producatur: quod magis conſonum fidei noſtræ cenſent Arriaga. Nam aliàs cur potius cometa præſagiat mortem principis, quam hominis privati ſub eadem conſtellatione nati? Certè congruum diſcrimen aſsignare ſatis eſt difficile.

39 Objiciunt 4. Mathematici quaſdam maculas, quæ in ſole nonnunquam videntur, quas P. Tanner. ait ope tubi optici ſe conſpexiſſe, ex quibus deducunt aliqua eſſe corpora prope ſolem modica, aut nulla luce perfuſa. Hæc autem corpora advenire denuo non poſſent, ſi cœlum non eſſet corpus fluidum, quod locum illis præberet; ſed vereor ne, qui maculas ſoli impingunt, lapis ipſi oculis laborent. Quidquid tamen de hoc ſit, reſpondeo primo illis maculis admiſsis poſſe dici eſſe partes aliquas opacas ipſius ſolis, quæ minus lucidæ ſint reliquis aut nullatenus lucidæ, ſicut ſupra de luna dicebamus. Reſpondeo ſecundo: eſſe aliquas partes opacas ipſius cœli, quæ lucem non tranſmittunt ad nos, & inde oritur ſolem apparere maculatum. Vel tandem poteſt dici cum P. Oviedo eſſe aliqua corpora in epyciclis incluſa, quæ ad motum epycicli iam infra iam ſuprà ſolem moventur.

40 Objic. 5. Soliditas Cœlis non ſtat cum motibus planetarum obſervatis ab Aſtrologis: ergo Cœli fluidi ſunt, non ſolidi. Antec. prob. Quia Mercurius, & Venus aliquando ſupra ſolem apparuerunt, Mars verò infra ipſum. Idemque evenit in ſtellis Iovialibus, nempè in quatuor planetis minoribus qui Iovem circumeunt, & in alijs duabus ſtellis Saturnum comitantibus. Huic argumento ſuprà ſatisfactum eſt aſsignando his planetis ſuos epycyclos, habentes centrum aliud à centro, cœlorum, intra quod

cir-

circumferuntur, ex quo oritur, quod iam ſupra, iam infra appareant, iam tardius, iam velocius moveantur prout fuerit motus, & poſito illius Epycicli.

41 Inſtabis. Ergo ſaltem dicendum erit dari cavitates vacuas per quas Epycicli iſti moveantur, vel ſaltem aliquas partes fluidas, vt melius deſignetur locus aptus ad eorum motum. Non capio vim conſequentiæ; nam pone quatuor circulos alium intra alium, quorum quivis ſuum motum habeat, & qui ſimul moveantur, ita tamen, vt in medio ſit Iupiter: ex eo quod hi circuli moveantur, & planetæ in illis incluſi iam ſint infra Iovem, iam ſupra illum, vnde infertur eſſe neceſſarium ad motum dari vacuum, vel partes fluidas? Certè nullum caput video, ex quo id inferatur. Vnde Valde miror PP. Oviedo, Arriaga, & Alphonſum in fluiditatem cœli inclinare, quia per eam melius cenſent componi cœlorum motus, cum ipſi nulla alia argumenta proferant, quam prædicta, quæ & ipſi expeditè ſatis ſolvunt.

SECTIO IV.

De Motu Cœlorum.

42 Obſervavit Ptolomeus, & plurimi alij duplicem motum in cœlo ſydereo: alium ab oriente in occidentem, qui dicitur motus diurnus, cuius circulatio 24. horis expletur: alium ab occidente in orientem ſuper polos Zodiazi, ſicut, & alij Planetæ, ſed huic tardiſſimum, & qui non niſi 36000. annis, immo: iuxta alios 49000. abſolvitur. Ex quo fundamento poſſuerunt aliqui vltra cœlum ſtellatum primum movile, cuius proprius ſit motus diurnus. Vltra hunc motum Alphonſus Rex, cum alijs Aſtrologis RR. tertium alium motum in firmamento deprehendit, quem appellavit motum trepidationis, eo quod per illum cœleſtia corpora iam adhunc polum accedunt, iam recedunt ab illo. Difficultas ergo præſens eſt: an hi motus inveniantur, vel qua ratione in cœlis, an ab intrinſeca eorum forma, an ab extrinſeco motore proveniant, an ſint motus naturales, an violenti.

43 Dico primo. Quodvis corpus Cœleſte vnico tantum motu movetur. Ratio eſt clara. Nullum corpus poteſt exiſtere in duplici loco: ergo neque poteſt moveri duplici motu. Probo conſeq. nam antec. eſt omnium Philoſophorum, & ſuo loco probatum manet. Per quemvis motum requirit mobile locum illi reſpondentem: ergo ſi duplici motu moveretur duplicem locum adquireret quod eſt naturaliter impoſſibile. Dices poſſe mobile habere vnum motum per ſe, alium vero per accidens,

dens, quin duplicem locum adquirat. Contra, ſivè motus conveniat corpori per ſe, ſivè per accidens, quovis motu ſuam præſentiam adquirit: nam terminus motui correſpondens eſt præſentia; ſed per duplicem præſentiam ponitur in duplici loco: ergo per duplicem motum ſivè per ſe, ſivè per accidens corpori convenientem, corpus adquiret duplicem locum, quod eſt naturaliter impoſsibile. Vrgeo. vel priuſquam pars A Cœli perveniat ad finem motus eſt in parte A, & B loci, vel non? Si primum: ergo eſt in duplici loco, vndecumque id illi proveniat. Si ſecundum: ergo non movetur duplici motu.

44 Dices, qua ergo ratione componi poterit illa diverſitas motuum in Cœlis deprehenſa? Non enim oritur ex eo, quod ſint plures Cœli, vt ſupra docuimus, quibus hi motus diverſi poſſint attribui: ergo ex eo, quod idem Cœlum diverſis motibus agatur. Vrgetur. Stellæ habent modo altitudinem diverſam ab illa, quam veteres Aſtronomi obſervarunt: ergo vltra proprium motum diurnum habent alium. Probatur conſeq. Quia ſi motu diurno duntaxat gauderent, ſemper retinerent eandem diſtantiam, & poſitionem. Idem argumentum fit in ſole, qui non habet hodie eandem diſtantiam, à ſtellis fixis, quam heri. Si autem vltra motum diurnum, non haberet alium, ſemper deberet eundem ſitum retinere.

45 Veritas planetarum, & diverſi illorum motus potuerunt anſam pluribus erroribus dediſſe in præſenti. Cum enim alij velocius, alij tardius ſuis excentricis, & epyciclis circumvolvantur, facile eſt deludi omnium motus conſpicientem, judicando illum, qui tardius movetur, potius, retrocedere, quam progredi. Vt accidit, quando duos homines procul aſpicimus aliud ad nos feſtinantem, alium verò tarde incedentem: hunc enim, licèt verſus eandem omnino partem ſe moventem judicamus, aut omnino non progredi, aut in contrariam partem recedere; & ſic cenſeo pluribus Aſtrologis in re præſenti accidiſſe. Vnum certum mihi eſt, nempè vltra motum ſolis, & Aſtrorum dari motum Cœli diurnum, & perfecti talem, nempè, qui 24. horis integris ſuum motuum peragat. Ita vt ſi in hoc inſtanti imaginario temporis ſuam circulationem hodie incipiat, in eodem inſtanti imaginario, cràs illam abſolvat. Nam ita ad regulanda tempora, & motus reliquorum Aſtrorum opportebat, cum in nullo alio hic motus perfectè diurnus inveniatur.

46 Nam Planetas motum diurno tardiorem habere ex Aſtronomia conſtat. Nam Saturnus triginta annorum ſpatio vni-

vnica circulatione exceditur à motu cœli, ita vt ſi cœlum 30. annis 1000. v. gr. circulationes conficiant, Saturnus 9999. tantum expleat, Iupiter 42. annis, Sol, Venus, & Mercurius vnico anno, Luna cæteris tardior 27. diebus, quibus 26. tantum circulationes conficit, vnica circulatione à motu cœli exceditur. En quanto exceſſu alia aſtra in ſuo motu excedantur ab alijs. Cum enim ſtellæ fixæ 24. omnino horis circumferuntur, & quo Planetæ altiores ſunt, velocius inferioribus moveantur, opus eſt, inferiores multo tardius moveri. Hinc ergo oritur, quod videantur motus contrarij cœlis in eſſe, non quia tales motus revera inter ſint, ſed ob diſcrimina corporum mobilum aſsignata.

47 Reſtat explicanda diverſa diſtantia Planetarum à ſtellis fixis, quæ ex eo provenit, quia non ſemper per eundem circulum imaginarium moventur, ſed circulus imaginarius, quem hodie percurrunt, ſit diſtinctus ab eodem puncto ac heſterna, ſed ad latus diclinando ad polos Zodiaci, recedendoque à polis cœli. Ex quo fit, quod cum hæc varietas quotidie detur, & per vnicum punctum perceptibile contingat, plures anni neceſſarij ſint, vt retento motu proprio ab oriente in occidentem hæc declinatio abſolvatur, & tandem redeant ad circulationem incipientem ab hoc puncto imaginario, à quo hodierna curculatio incipit: non ergo efficiunt Planetæ circulum perfectum, quia non redit ſecundo circulus à puncto, à quo incipit, ſed parumper declinat ad latus, & ex hoc oritur illa diverſa poſitio, & diſtantia ab ſtellis fixis, & quod videantur eſſe duo motus, alius diurnus, & circularis, alius vi cuius declinat ad polos Zodiaci, qui dicitur annuus: re ipſa tamen eſt idem omnino indiviſibilis motus, vt explicatum eſt.

48 Circa ſecundam difficultatem, nempè, an cœlum moveatur à propria forma, an ab extrinſeco motore, fere omnium Phyloſoporum, & Theologorum ſententia, à quibus ſtat ſatis expreſſa mens SS. PP. tenet motum illum ab extrinſeco motore provenire. Attamen Ioanes Maior 2. de cœlo cap. 5. & Albertus de Saxon. 8. Phyſic. quæſt. vltim. tenet cœlum à propria forma moveri; conſentit ex parte Valles, quatenus aſſeit formam cœleſtem partialiter illum motum efficere ſimul cum extrinſeco movente. In re, quæ ratione vrgente pro vtraque parte deſtituta eſt, tutior eſt prima ſententia, quæ ex conſenſu PP. maximè probanda eſt, & ſuadetur hac congruenti ratione. Cœlum quovis motu æquè diſtat ſecundũ

omnes ſuas partes à centro: ergo non eſt cur in vlteriorem motum propendeat ab intrinſeco. Antec. eſt certum, & conſeq. ſuadetur: quia omnia, quæ moventur, experientia docente, eo moventur, vt proprium centrum adquirant. Si ergo cœlum per præſentiam adquiſitam quovis motu æquè diſtat à centro, quin extrahatur ab illo, non erit cur in vlteriorem motum ab intrinſeco, propendeat.

49 Sed dices primo. Potuit Deus creare aliquod corpus innatè exigens motum circularem. Cur ergo non dicimus cœlum eſſe huius conditionis? Reſpondeo, ideo quia quidquid ſit de ea poſsibilitate, nullum habemus fundamentum, vt id de facto accidere dicamus. Dices 2. Elementa moventur in centrum à ſuis formis: ergo, & cœlum. Reſpondeo negando conſequentiam: ſi enim à paritate rationis arguendum ſit, potius licebit inferre, quod ſicut elementa ſemel adquiſito ſuo centro non circumvolvuntur circa illud, ita & cœlum cum quavis præſentia ex ijs, quas habet, non ſit contra centrum, non debeat vlterius moveri circa illud. Dices, aſtra per ſe inclinant, vt agant in corporibus inferioribus. Cum ergo per vnam præſentiam non applicentur omnibus, exigent perpetuum motum, vt in illis agant. Permitto illam inclinationem, & dico eam dumtaxat eſſe conditionatam, nempe, ſub conditione, quod applicata ſint ea corpora. Alias Sol v. g. ſemper eoſdem effectus immediatè ab illo provenientes in quovis loco producit: quare cum non alios habeat producendos in alio loco, dicendum non eſt, ex ſe in motum inclinare.

50 Per hæc probatur quidem, cœlum, & aſtra ab extrinſeco moveri, an vero à ſolo Deo, an vero ab intelligentijs extrinſecè aſsiſtentibus, dubitari poteſt. Motum illum ab Angelis provenire, adeo eſt concors Phyloſophorum, & Theologorum ſententia, vt dicat D. Tho. opuſc. 10. art. 3. eſſe omnino certam, & demonſtratam rationibus naturalibus. Et acrius quæſt. 6. de pot art. 3 *Fidei ſententiam eſſe, quod ſubſtantiæ ſeparatæ. ſivè Angeli moveant corpora Cœleſtia.* Sed cum nos nec vllum dogma fidei id ſtatuens inveniamus, nec aliunde aliqua ratio, nedum convincens, ſed nec nimis vrgens appareat, credimus D. Thom. tantum damnare aſſerentes cœlos moveri ab ſpiritibus informantibus, & non purè aſsiſtentibus: quaſi dicat ex ſuppoſitione, quod ab aliquo agente creato moveantur, illud non eſt ſpiritus corpora cœleſtia informans, ſed ſubſtantia à corpore ſeparata. Tenenda eſt tanquam omninò certa communis ſentia, quæ probanda eſt ex eo fere omnium conſenſu. Et vlterius, quia congruum eſt ordi-

di·

dicti præſenti divinæ providentiæ, quod Deus ſe ſolo non efficiat, quod per cauſas creatas proportionatas poteſt fieri; ſed Angeli proportionati ſunt ad cauſandos motus aſtrorum, & cœli: ergo de facto illos cauſant, iuxta ordinem præſentem divinæ providentiæ.

51 Quot vero Angeli motores deſignandi ſint? Reſpondeo ſingulis motibus ſingulos motores deſignandos: cum enim vt ex dictis conſtat, ſinguli Planetæ ſuum habeant motum ſpecialem, congruum eſt à diverſo motore ſingulorum motus provenire. Non quod vna intelligentia non poteſt omnes illos motus cauſare, quia ea impotentia non facile probabitur; ſed quia magis congruum videtur ſingulis effectibus ſimul & diverſimodè accidentibus ſingulas cauſas deſignare. Quævis ergo diverſitas motuum diverſitatem motorum expoſcit.

52 Circa tertiam difficultatem. Dico primo. Motus circularis cœlorum non eſt naturalis. Ratio eſt, quia motus naturalis debet à principio intrinſeco provenire; ſed ille motus circularis cœlorum non provenit à principio intrinſeco, ſed extrinſeco: ergo naturalis non eſt. Dico 2. Neque ille motus eſt violentus, quia motus violentus eſt ille, qui, & provenit à principio extrinſeco, & eſt contra poſitivam inclinationem paſsi; ſed licet motus circularis cœlorum ſic à principio illis extrinſeco, non eſt tamen contra poſitivam cœlorum inclinationem: ergo non eſt violentus. Min. prob. quia cum non extrahantur per illum motum à proprio centro, ſed in illo circunvolvantur non eſt, cur illi reſiſtant. Eſt ergo ille motus præternaturalis, vt diximus lib. 2. Phyſic. diſp. ſect. 3.

53 Centrum ergo cœlorum, vt rectè notat P. Alphonſus non eſt vna pars determinata circuli, circa quem moventur, ſed totus ille circulus. Sicut enim centrum ignis eſt tota illa circunferentia, quæ ſub concavo cœli magis diſtat à centro mundi, ita centrum cœli, quod idem de centro aſtrorum dicendum eſt, ſed tota circunferentia, quæ æqualiter diſtet à centro mundi, iam maior, iam minor, prout fuerit natura aſtrorum: nam alia maiorem diſtantiam, alia minorem à centro mundi exigunt.

54 Rogabis an ceſſante motu aſtrorum, ceſſarent etiam motus ſublunares? Reſpondeo negativè, & probo. Ceſſante motu ſolus ignis calefaceret, & aqua infrigidaret: ergo non ceſſarent motus ſublunares ex eo, quod motus aſtrorum ceſſaren. Conſeq. conſtat. Prob. antecéd. Ignis eſt de ſe virtus ſufficiens ad calefaciendum, & aqua ad infrigidandum, quin eam virtutem compleat ſol, aut aliquod ex aſtris

manum; Hieronym. & Tertullian. Oppoſita eſt communis inter Thomiſtas, & noſtros, Zerbius, Arriaga, Conimbric, & Hurt. vtramque cenſent probabilem. Oviedo verò cenſet à ratione neutram partem ſufficienter probari; at verò propter authoritatem PP. probabiliorem eſſe noſtram quam P. Molina conformiorem Scripturis, dicit 1. p. tract. de opere ſex dierum q. 5. Probo ergo concluſionem. 1. Quia vt ſupra notavi, plerique ex SS. PP. videndis apud Tannec. d. 6. q. 2. dub. 4. docent, Cœlos eſſe factos ex materia elementari: ergo non ex materia diſtincta in ſpecie à materia corporum ſublunarium. 2. Non ſunt multiplicandæ ſpecies, & perfectiones ſine neceſſitate, & fundamento ad id cogente; ſed nullum fundamentum cogit ad eam materiam diſtinctam in ſpecie à ſublunari, & illa perfectiorem admittendam: ergo talis materia admittenda non eſt.

23 Dices 1. Cœlum Sydereum eſt incorruptibile: ergo conſtat materia diſtinctæ ſpeciei à ſublunari. Conſeq. prob. quia ſi ea incorruptibilitas datur, materia Cœli determinata eſt ad eam formam, quam habet: ergo differt ſpecie à noſtra materia, indifferente ad omnes formas, circa doctrinam antecedentis nihil eſt firmum, cum difficile altera pars ſuaderi poſsit. Affirmat incorruptibilitatem Ariſtot. quem ſequitur D. Dionyſ. de div. nomin. cap. 4. D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. P. Molina 1. p. q. 9. art. 6. diſp. 3. & plures alij & P. Alph. quibus conſentio, non quia ratio aliqua omnino convincat, quam propter expreſſam PP. authoritatem apud Tann. & Conimbric. ſup. cit. Et vlterius quia in Cœlo nullum eſt veſtigium corruptionis: ergo incorruptibile eſt. Patet conſeq. quia naturas rerum nullo medio cognoſcimus aptius, quam ex earum effectibus. Cum ergo permanentia Cœli eodem eſſe ſubſtantiali ab initio mundi ſit quædam incorruptibilitas, & aliunde nihil in eo ſit, quod corruptibilitatem indicet, debemus dicere Cœlos eſſe incorruptibiles. Antec. prob. Cœlum nunquam adhuc ſecundum aliquam partem fuit corruptum, nunquam tranſit ab vna forma in aliam: ergo nullum in eo eſt veſtigium corruptionis.

24 Neque obſtat, quod poſt in diei iudicij corrumpendi ſint, & comburendi: quia inde non infertur, quod ſint natura ſua corruptibiles: ſicut ex eo quod ſtellæ caſuræ ſint de Cœlo nō benè arguitur illum motum eſſe naturalem ſtellis; ſed id tantum ſit in ſignum indignationis divinæ contra peccatum, ideoque deſtruetur Cœlum, eo quod peccatoribus deſervierit aliquomodo ad ſua flagitia. Neque obſtat, viſos fuiſſe aliquos cometas in-

Co-

Cœlo, ex quo videtur inferri in tercœlis ſſe tranſmutationem ſubſtantiæ Cœli in illa phænomena, vt latè probare intendit Thyco Brahe citatus à P. Alph. diſp. 12. Cœl. ſect. 3. Quin omnino negandum eſt, talia metheora in Cœlo fieri poſſe, niſi miraculosè ob dicta ſect. 2. diſp. præced. & ita docent omnes, qui ſcripſerunt ante dictum Tychonem. Imò Scipio Claramontius in Antycone, & lib. de tribus ſtellis, demonſtrat illos cometas, quos Tycho cenſuit ſuprà Lunam genitos, non fuiſſe cœleſtes, ſed ſublunares. & oſtendit omnes Aſtrologos Tychone poſteriores id ipſum docuiſſe.

25 Iam ad argumentum factum, conceſſo antec. nego conſeq. Quia vt ſuprà notavi ea incorruptibilitas poteſt provenire à forma cœleſti, quæ talis naturæ ſit, vt non permittat naturaliter introduci in ſua materia diſpoſitiones contrarias illis, quibus indiget ad ſui conſervationem, ac proinde illa determinatio materiæ ad formam cœleſtem non eſt intrinſeca materiæ, quæ ex ſe poteſt quamvis formam admittere.

26 Dices 2. Forma inſeparabilis, & inamiſsibilis à materia debet habere materiam diverſam à forma ſeparabili, & amiſsibili: ergo ſi Cœlum ratione propriæ formæ eſt incorruptibile, conſtat materia inſeparabili à forma, quam habet; ſed cur non arguis formam ſpiritualem vindicare ſibi materiam diverſam ab ea, quam exigit forma corporea? Certè magis diſtat forma ſpiritualis à forma corporea, quam quævis forma ſublunaris à cœleſti. Si ergo propter diverſitatem formæ ſublunaris, & cœleſtis requiris materias diverſas, poſſes etiam illas requirere pro diverſitate formæ ſpiritualis, & corporeæ. Quare nego antecedens, quod nulla ratione probatur, nec probari poteſt.

27 Dico 3. Forma Cœli non eſt anima. Ita communiter contra Pytagoricos, Platonicos, & contra Ariſtotel. lib. 2. de Cœlo text. 13. & lib. 2. Metheor. text. 35. vbi expreſſe docet Cœlos eſſe animatos. Acceſsit Origin. lib. 1. Peria rchon vbi ſtellas non modo animatas, ſed capaces benè, & male operandi eſſe contendit. Noſter vero Euſebius lib. 9. curioſæ Philoſophiæ docet ſtellas habere animam loco motivam. Quod Cœli non habeant animam rationalem probatur, ex eo quod in cap. firmiter de Summ. Trinit. Inter creaturas rationales ſolum referuntur Angeli, & homines: ergo non eſt alia creatura rationalis. Secundo, quod non habeant animam vegetativam, aut ſenſitivam, ex eo quod nullum eſt indicium, talem animam ponendi, nec

mu-

manus, ad quod deſtinati ſunt, vllam ex his animabus requirit. Tandem quod motus localis non ſit vitalis probabimus diſp. 4. de Anima agentes de conceptu vitæ, ex eo quod per actionem vitalem debeat produci terminus non pertinens ad ſtatum connaturalem, nec ad illum adquirendum. Per motum autem localem producitur præſentia, quæ pertinet ad ſtatum connaturalem. Hoc licet Cœli propria virtute moverentur, de quo poſtea.

28 Dices in Scripturis frequenter excitantur Cœli, & aſtra ad laudandum Deum. Nam dicitur. *Laudate eum Cœli, Cœlorum: laudate eum Sol, & Luna*, & plura alia huiuſmodi. Reſpondeo etiam elementa, montes, & colles ad laudes Dei invitantur, & omnia demum Dei opera, & rideretur qui hoc fundamento aſſereret lapidem vivere. Quare dicendum eſt, ea verba dirigi ad homines, vt excitati à mirabilibus Dei operibus, ipſi gratias agant, eiuſque Omnipotentiam laudent.

29 Dico 4. Forma Cœli eſt diſtinctæ ſpeciei à ſublunaribus. Probatur contra veteres aliquos Philoſophos, quorum alij Cœlum eſſe igneum, alij aëreum, alij terreum, alij ex omnibus elementis concretum credebant, deluſi varijs accidentibus, quæ in Cœlo accidunt, ſeu ab illo proveniunt, Cœlum habet effectus, & proprietates nobiliores reliquis elementis, vt ipſa experientia conſtat: ergo tribuenda eſt ipſi forma ad illos effectus, & proprietates determinata; ſed hæc ſpecie differt a forma elementorum, quo aliorum accidentium eſt radix: ergo. Quo eodem argumento probatur, Cœlum ab omnibus formis ſublunaribus ſpeciè differre, cum ſit radix diſtinctorum accidentium in ſpecie. Quod autem producant frigus, & humiditatem in corporibus inferioribus non probat eſſe in ſe frigida, & humida corpora cœleſtia formaliter, vt inde inferatur illis convenire primas qualitates: ſufficit enim continentia virtualis, vt illas qualitates producant.

SECTIO III.

De Soliditate, aut fluiditate Cœli.

30 SErmo eſt etiam de Cœlo Sydereo, nam de Cœlo Empyreo communiter ſuſtinetur eſſe ſolidum. In ſoliditatem Cœli ſyderei conſpirarunt ferè omnes antiqui Philoſophi, Theologi, & Scripturæ Interpretes. Ita Ariſt. lib. 2. de Cœlo à textu 23. vſque ad 25. Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 1. Philo lib. 1. de Gigantibus. Del Rio in Geneſ. cap. 1. Tanner. tract. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 1. Pererius lib. 7. quæſt. 9. Et innumeri alij longum agmen PP. in favorem huius ſententiæ ad-

Digitized by Google

ducentes. Fluidum eſſe adſerendunt aliqui Mathematici moderni, quos ſequitur Noſter Eurieb. lib. 6. curioſæ phyloſ. cap. 14. Arriaga diſp. 17. Phyſic. ſect. 3. Oviedo ſtric punct. 3. licet hi duo inſufficientia reputent vtriuſque ſententiæ fundamenta, & in hanc, vt magis congruam inclinent. Tandem P. Alphonſus diſp. 12. cit. ſect. 5.

31 Primæ ſententiæ aſſentio, quam probo primo ex Iob. cap. 37. vbi ſic habetur. *Tu forſam cum eo fabricatus es Cœlos, qui ſolidiſsimi quaſi ære fuſi ſunt*: ergo non ſunt fluidi, ſed ſolidi. Dices, illa verba non eſſe Iovi, neque authoris libri ſacri, ſed Eliud, cuius, & aliorum amicorum Iovi ſtulticiam Deus Iovi 41. cap. reprehendit; ſed contra, quia verba eorum amicorum Iovi eſſe apta ad conciliandam authoritatem, patet ex eo, quod D. Paulus 1. Corinth. cap. 3. citat vt Dei oraculum illam ſententiam alterius ex amicis Iobi cap. 5. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*. Non ergo ex alio capite reprehenduntur à Deo, niſi quia ordinem providentiæ ignorantes, non niſi ex aliqua Iovi culpa eius calamitates provenire cenſebant. De cætero in eorum verbis mirabiles ſunt ſententiæ, vt patet in toto libro. Et quidem verba præſentia non parum indicant ſenſum, ſapientum, quales illi erant, eſſe, Cœlos eſſe ſolidos. Quod vlterius roboratur, ex eo quod ſacri Interpretes hanc authoritatem non reſpuant, ſed potius eius intelligentiam inquirant.

32 Dices 2. Ea verba intelligenda eſſe ex plurium interpretatione de regione aëris; ſed contra, quia non niſi magna improprietate aër poteſt dici ſolidus. Et quidem vix apparet, aut ne vix quidem ſenſus ſanus in quo ſoliditas de aëre poſsit intelligi. Dices 3. Cœlos dici ſolidos propter firmitatem, quam habent quantum ad eſſe, quoad conſervationem in proprio centro; ſed contra, quia illa verba, *quaſi ære fuſi* hanc interpretationem explodunt, quomodo enim diceretur Cœlum ſolidum inſtar æris, ſi eſſet fluidum inſtar aëris, & aquæ? Deinde quia nulla vis cogit impropriare illam ſoliditatem, quæ abuſivè ſumeretur pro ea firmitate. Igitur ſolidum ſignificat duritiem partium, quæ non facile poſsint inter ſe diſcontinuari, vt conſtat.

33 Secundo probatur concluſio ingenti authoritate SS. PP. quos paſsim citatos inveniens apud AA. quibus accedit D. Thom. in 2. diſt. 14. & 1. p. q. 68. art. 2. qui loquentes de Cœlo ſydereo aiunt, eſſe firmum concretum, ſolidum, & congelatum ex aquis vt chriſtallum, & in hoc ſenſu intelligunt nomen firmamenti ſydereo Cœlo impoſitum; ſed hæc loquutio vnde expreſſe ſoliditatem ſignificat in ſtricta,

acceptione. Alias aër poſſet dici concretus, & congelatus, quam loquutionem nemo admittet: ergo Cœlum eſt ſolidum. Dices cum P. Alphonſo nomen firmamenti parum facere ad preſens, quia aër etiam apud plures firmamentum dicitur; ſed contra primo: quia hic Author non poteſt vti hac ſolutione, cum hic ſect. 1. num. 14. contendat, nomine firmamenti ſignificari Cœlum ſydereum propter eam rationem, ob quam idem tradidit ſect. 2. in præſenti repetendam. Contra 2. quia vt modo dixi, quis aërem dicat firmum, ſtabile, ſolidum, concretum, cum inconſtantiſsimum ſit? Non ergo PP. nomine firmamenti talis naturæ poſſunt intelligere aërem. Vbi non arguimus ex præciſſo nomine firmamenti, ſed ex eo, vt in præſenti à tot PP. accipitur. Dices 2. dum PP. dicunt eſſe firmamentum ſolidum, concretum, &c. loquuntur de firmitate, & conſiſtentia in eſſe; ſed contra. Eandem, aut maiorem conſiſtentiam habet in eſſe Angelus, & anima rationalis, quam Cœlum ſydereum; & tamen nemo dicet animam, & Angelos eſſe concretos, & ſolidos: abſit ergo à PP. tam impropria loquutio. Contra 3. Quia licèt poſsit dici rem fluidam eſſe firmam, & conſiſtentem, eſſe vero concretam, & congelatam, vt Chriſtallum, quis dicat?

34. Tandem P. Arriaga fatetur maiora, & clariora eſſe PP. teſtimonia pro noſtra ſententia, quam pro oppoſita; ſed addit verba PP. poſſe intelligi de Cœlo ſtellato. At hæc ſolutio nobis favet, cum enim ſuprà ſect. 1. probaverimus vnicum tantum dari Cœlum ſydereum, hinc conſtat illud eſſe ſolidum, & non fluidum, & molle eſtellis reliquis firmum, & ſolidum tribuunt.

35. A ratione vix ſupetit argumentum, quo vel hæc, vel oppoſita concluſio poſsit probari. Nihilominus illam ſuadeo ſatis congruenter ex continuo, & rapidiſsimo motu aſtrorum, & Cœli. Cœlum inſtitutum eſt ab Authore naturæ, vt perpetuo motu circumvolvatur: ergo eſt ſolidum. Probo conſequentiam. Si Cœlum liquidum eſſet, & molle, non eſſet idoneum illi motui rapido, & circulari, firmo, & conſtanti; ſed tale debet inſtitui: ergo ſolidum. Maior in qua ſola eſt difficultas probatur. Corpus, cuius partes facile diſcontinuantur, non eſt aptum tali motui continuo, & conſtanti. Nam ipſa agitatione facile dividerentur aliæ ab alijs, & hæc verſus illud latus, illæ verſus aliud, aliæ infra, alia ſuprà manerent, vt experientia ipſa indicat, & etiam adverſarij, qui eatenus Cœlum molle, & liquidum aſtruunt, vt poſsint Aſtra, & Planetæ ex vna parte Cœli ad aliam tranſire, quin

quin ſoliditas, Cœli motui reſiſtat; ſed eius partes facile cedant, & diſcontinuentur; ſed corpus fluidum tale eſt, vt eius partes facile diſcontinuentur: ergo aptum non eſt motui continuo, & conſtanti. Confirmatur. Planetæ, & aſtra per Cœlum diſcurrentia ſunt in continuo, & vehementi motu: ergo continuo ſecant Cœlum, & alias eius partes ab alijs diuidunt. Patet conſequentia. Quia vt locum Aſtris ſe moventibus relinquant, aliæ partes hac, aliæ illac diffluent: ergo Cœlum non modo movetur ſuo motu proprio, ſed eſt in continuo motu illarum partium, per quas planetæ, & Aſtra tranſeunt: nam iam accedunt, iam recedunt: ergo tot motus obſervabuntur in Cœlo verſus adeo diſsitas, & varias partes, quot ſunt ſydera ſe moventia. Cum autem ea ſint per totum Cœlum diſperſas, & alia in orientem, alia in occidentem, & c. moveantur partes etiam Cœli eam continuam diverſitatem motuum habebunt, quod inauditum eſt; & alias nullus erit motus regularis in eius partibus Cœli.

36 Objic. 1. Plures ex SS. PP. qui videntur oppoſitæ ſententiæ favere, vt ſunt Iuſtinus. Euiſſen. Chriſoſt. Niſſen. Procopius, & alij; ſed reſpondet P. Arriaga alioqui oppoſitæ ſententiæ aſſertor eos PP. nihil ſuffragari liquiditati Cœli cum vnicè doceant ſydera non eſſe in Cœlo fixa, ſed habere ſuos proprios motus; quod ſtat cum ſoliditate, imò hæc aptior eſt, vt Cœlum tot corpora, iam infrà, iam ſuprà poſsit ſuſtinere. Ambroſ. & Baſil. non nihil videntur favere huic ſententiæ, quatenus faciunt Cœlos ſubtiles; ſed tamen D. Baſilius addit ſe non audere definire, qualis ſit Cœli natura; & Ambroſ. loquitur de Cœlis non prout ſunt modo, ſed prout fuerunt in prima ſui natura, quatenus conſolidati ſunt ex aqua. Ita Arriaga; ſed quod attinet ad ſubtilitatem neſcio, qua ratione ea pro re fluida accipiatur. Cum poſsit res aliqua eſſe fluida, & tamen nimis craſſa.

37 Obijcies 2. Luna non eſt corpus æquale, ſed valde inæquale multis, & altiſsimis montibus ſe attollens, qui conſurgunt ex valibus valde profundis: ergo habet plures cavitates: ergo neceſſe eſt moveri per corpus fluidum, quod illius cavitates poſsit replere. Reſpondeo primò negando antecedens, quod nulla ratione poteſt ſuaderi. Quia vt plurium ſuaderi poteſt plurimas lunæ partes tranſparentes, & diaphanas nulla luce perfundi, cum aliæ profundiores tali luce perfundantur, ex quo conſurgit, quod ibi montes, & cavitates appareant. Secundo permiſso antecedenti, dico, eſſe quidem eas cavitates, ſed repleri corporibus diaphanis non im-

impedientibus videri à nobis omnes partes lunæ: nam ex eo, quod hæc viſio non impediatur, non licet inferre corpus illud eſſe fluidum, cum corpora etiam ſolida plura ſint, quæ viſionem vlteriorum corporum non impediant.

38 Objic. 3. Viſi ſunt plures cometæ in Cœlo ſuprà lunam, vt peritiſſimi Aſtrologi demonſtrarunt, imò ſuprà omnes Planetas: ergo cœlum fluidum eſt. Probatur conſeq. quia alias non poſſet his novis corporibus læſem cedere. Mirabile eſt hoc argumentum, quo plures Aſſertores ſententiæ oppoſitæ vtuntur, & plures etiam omnium debile cenſent. Iam ſupra conſtitit ex obſervatione plurium illos cometas, de quibus Sycho, & alij non ſuprà ſed, infra cœlum apparuiſſe. Et hæc ſit prima reſponſio Secundo: illi cometæ, ſi in Cœlo apparuerunt, miraculoſe ibi à Deo creati ſunt, ſi forte aliquis eſt cometa, ex illis videlicet, qui futurum aliquod damnum præſagiunt, qui miraculoſe à Deo non producatur: quod magis conſonum fidei noſtræ cenſent Arriaga. Nam alias cur potius cometa præſagiat mortem principis, quam hominis privati ſub eadem conſtellatione nati? Certè congruum diſcrimen aſsignare ſatis eſt difficile.

39 Objiciunt 4. Mathematici quaſdam maculas, quæ in Sole nonnunquam videntur, quas P. Tanner. ait ope tubi optici ſe conſpexiſſe, ex quibus deducunt aliqua eſſe corpora prope ſolem modica, aut nulla luce perfuſa. Hæc autem corpora advenire denuo non poſſent, ſi cœlum non eſſet corpus fluidum, quod locum illis præberet; ſed vereor ne, qui maculas ſoli impingunt, lapis ipſi oculis laborent. Quidquid tamen de hoc ſit, reſpondeo primo illis maculis admiſsis poſſe dici eſſe partes aliquas opacas ipſius ſolis, quæ minus lucidæ ſint reliquis aut nullatenus lucidæ, ſicut ſupra de luna dicebamus. Reſpondeo ſecundo: eſſe aliquas partes opacas ipſius cœli, quæ lucem non tranſmittunt ad nos, & inde oritur ſolem apparere maculatum. Vel tandem poteſt dici cum P. Oviedo eſſe aliqua corpora in epyciclis incluſa, quæ ad motum epycicli iam infra iam ſuprà ſolem moventur.

40 Objic. 5. Soliditas Cœlis non ſtat cum motibus planetarum obſervatis ab Aſtrologis; ergo Cœli fluidi ſunt, non ſolidi. Antec. prob. Quia Mercurius, & Venus aliquando ſupra ſolem apparuerunt, Mars verò infra ipſum. Idemque evenit in ſtellis Iovialibus, nempè in quatuor planetis minoribus qui Iovem circumeunt, & in alijs duabus ſtellis Saturnum comitantibus. Huic argumento ſuprà ſatisfactum eſt aſsignando his planetis ſuos epycyclos, habentes centrum aliud à centro, cœlorum, intra quod

cir-

circumferuntur, ex quo oritur, quod iam ſupra, iam infra appareant, iam tardius, iam velocius moveantur prout fuerit motus, & poſito illius Epycicli.

41 Inſtabis. Ergo ſaltem dicendum erit dari cavitates vacuas per quas Epycicli iſti moveantur, vel ſaltem aliquas partes fluidas, vt melius deſignetur locus aptus ad eorum motum. Non capio vim conſequentiæ; nam pone quatuor circulos alium intra alium, quorum quivis ſuum motum habeat, & qui ſimul moveantur, ita tamen, vt in medio ſit Iupiter: ex eo quod hi circuli moveantur, & planetæ in illis incluſi iam ſint infra Iovem, iam ſuprà illum, vnde infertur eſſe neceſſarium ad motum dari vacuum, vel partes fluidas? Certè nullum caput video, ex quo id inferatur. Vnde Valde miror PP. Oviedo, Arriaga, & Alphonſum in fluiditatem cœli inclinare, quia per eam melius cenſent componi cœlorum motus, cum ipſi nulla alia argumenta proferant, quam prædicta, quæ & ipſi expeditè ſatis ſolvunt.

SECTIO IV.

De Motu Cœlorum.

42 OBſervavit Ptolomeus, & plurimi alij duplicem motum in cœlo ſyderealium ab oriente in occidentem, qui dicitur motus diurnus, cuius circulatio 24. horis expletur: alium ab occidente in orientem ſuper polis Zodiaci, ſicut, & alij Planetæ, ſed hunc tardiſſimum, & qui non niſi 36000. annis, immo: iuxta alios 49000. abſolvitur. Ex quo fundamento poſſuerunt aliqui vltra cœlum ſtellatum primum movile, cuius proprius ſit motus diurnus. Vltra hunc motum Alphonſus Rex, cum alijs Aſtrologis RR. tertium alium motum in firmamento deprehendit, quem appellavit motum trepidationis, eo quod per illum cœleſtia corpora iam adhunc polum accedunt, iam recedunt ab illo. Difficultas ergo præſens eſt: an hi motus inveniantur, vel qua ratione in cœlis, an ab intrinſeca eorum forma, an ab extrinſeco motore proveniant, an ſint motus naturales, an violenti.

43 Dico primo. Quodvis corpus Cœleſte vnico tantum motu movetur. Ratio eſt clara. Nullum corpus poteſt exiſtere in duplici loco: ergo neque poteſt moveri duplici motu. Probo conſeq. nam antec. eſt omnium Philoſophorum, & ſuo loco probatum manet. Per quemvis motum requirit mobile locum illi reſpondentem: ergo ſi duplici motu moveretur duplicem locum adquireret quod eſt naturaliter impoſsibile. Dices poſſe mobile habere vnum motum per ſe, alium vero per accidens,

dens, quin duplicem locum adquirat. Contra, ſivè motus conveniat corpori per ſe, ſivè per accidens, quovis motu ſuam præſentiam adquirit: nam terminus motui correſpondens eſt præſentia; ſed per duplicem præſentiam ponitur in duplici loco: ergo per duplicem motum ſivè per ſe, ſivè per accidens corpori convenientem, corpus adquiret duplicem locum, quod eſt naturaliter impoſsibile. Vrgeo. vel priuſquam pars A Cœli pervenit ad finem motus eſt in parte A, & B loci, vel non? Si primum: ergo eſt in duplici loco, vndecumque id illi proveniat. Si ſecundum: ergo non movetur duplici motu.

44 Dices, qua ergo ratione componi poterit illa diverſitas motuum in Cœlis deprehenſa? Non enim oritur ex eo, quod ſint plures Cœli, vt ſupra docuimus, quibus hi motus diverſi poſſint attribui: ergo ex eo, quod idem Cœlum diverſis motibus agatur. Vrgetur. Stellæ habent modo altitudinem diverſam ab illa, quam veteres Aſtronomi obſervarunt: ergo vltra proprium motum diurnum habent alium. Probatur conſeq. Quia ſi motu diurno duntaxat gauderent, ſemper retinerent eandem diſtantiam, & poſitionem. Idem argumentum fit in ſole, qui non habet hodie eandem diſtantiam, à ſtellis fixis, quam heri. Si autem vltra motum diurnum, non haberet alium, ſemper deberet eundem ſitum retinere.

45 Veritas planetarum, & diverſi illorum motus potuerunt anſam pluribus erroribus dediſſe in præſenti. Cum enim alij velocius, alij tardius ſuis excentricis, & epyciclis circunvolvantur, facile eſt deludi omnium motus conſpicientem iudicando illum, qui tardius movetur, potius, retrocedere, quam progredi. Vt accidit, quando duos homines procul aſpicimus aliud ad nos feſtinantem, alium verò tarde incedentem: hunc enim, licèt verſus eandem omnino partem ſe moventem iudicamus, aut omnino non progredi, aut in contrariam partem recedere; & ſic cenſeo pluribus Aſtrologis in re præſenti accidiſſe. Vnum certum mihi eſt, nempè vltra motum ſolis, & Aſtrorum dari motum Cœli diurnum, & perfecti talem, nempè, qui 24. horis integris ſuum motuum peragat. Ita vt ſi in hoc inſtanti imaginario temporis ſuam circulationem hodie incipiat, in eodem inſtanti imaginario cras illam abſolvat. Nam ita ad regulanda tempora, & motus reliquorum Aſtrorum opportebat, cum in nullo alio hic motus perfectè diurnus inveniatur.

46 Nam Planetas motum diurno tardiorem habere ex Aſtronomia conſtat. Nam Saturnus triginta annorum ſpatio vni-

vnica circulatione exceditur à motu cœli, ita vt ſi cœlum 30. annis 1000. v. gr. circulationes conficiant, Saturnus 9999. tantum expleat, Iupiter 41. annis, Sol, Venus, & Mercurius vnico anno, Luna cæteris tardior 27. diebus, quibus 26. tantum circulationes conficit, vnica circulatione à motu cœli exceditur. En quanto exceſſu alia aſtra in ſuo motu excedantur ab alijs. Cum enim ſtellæ fixæ 24. omnino horis circumferuntur, & quo Planetæ altiores ſunt, velocius inferioribus moveantur, opus eſt, inferiores multo tardius moveri. Hinc ergo oritur, quod videantur motus contrarij cœlis ineſſe, non quia tales motus revera interſint, ſed ob diſcrimina tot corporum mobilum aſsignata.

47 Reſtat explicanda diverſa diſtantia Planetarum à ſtellis fixis, quæ ex eo provenit, quia non ſemper per eundem circulum imaginarium moventur, ſed circulus imaginarius, quem hodie percurrunt, ſit diſtinctus ab eodem puncto ac heſterna, ſed ad latus diclinando ad polos Zodiaci, recedendoque à polis cœli. Ex quo fit, quod cum hæc varietas quotidie detur, & per vnicum punctum perceptibile contingat, plures anni neceſſarij ſint, vt retento motu proprio ab oriente in occidentem hæc declinatio abſolvatur, & tandem redeant ad circulationem incipientem ab hoc puncto imaginario, à quo hodierna curculatio incipit: non ergo efficiunt Planetæ circulum perfectum, quia non redit ſecundo circulus à puncto, à quo incipit, ſed parumper declinat ad latus, & ex hoc oritur illa diverſa poſitio, & diſtantia ab eſtellis fixis, & quod videantur eſſe duo motus, alius diurnus, & circularis, alius vi cuius declinat ad polos Zodiaci, qui dicitur annuus; re ipſa tamen eſt idem omnino indiviſibilis motus, vt explicatum eſt.

48 Circa ſecundam difficultatem, nempè, an cœlum moveatur à propria forma, an ab extrinſeco motore, ferè omnium Phyloſoporum, & Theologorum ſententia, à quibus ſtat ſatis expreſſa mens SS. PP. tenet motum illum ab extrinſeco motore provenire. Attamen Ioanes Maior 2. de cœlo cap. 5. & Albertus de Saxon. 8. Phyſic. quæſt. vltim. tenet cœlum à propria forma moveri; conſentit ex parte Valles, quatenus aſſeit formam cœleſtem partialiter illum motum efficere ſimul cum extrinſeco movente. In re, quæ ratione vrgente pro vtraque parte deſtituta eſt, tutior eſt prima ſententia, quæ ex conſenſu PP. maximè probanda eſt, & ſuadetur hac congruenti ratione. Cœlum quovis motu æquè diſtat ſecundū om-

dini præſenti divinæ providentiæ, quod Deus ſe ſolo non efficiat, quod per cauſas creatas proportionatas poteſt fieri; ſed Angeli proportionati ſunt ad cauſandos motus aſtrorum, & cœli: ergo defacto illos cauſant: iuxta ordinem præſentem divinæ providentiæ.

51 Quot vero Angeli motores deſignandi ſint? Reſpondeo ſingulis motibus ſingulos motores deſignandos: cum enim vt ex dictis conſtat, ſinguli Planetæ ſuum habeant motum ſpecialem, congruum eſt à diverſo motore ſingulorum motus provenire. Non quod vna intelligentia non poteſt omnes illos motus cauſare, quia ea impotentia non facile probabitur; ſed quia magis congruum videtur ſingulis effectibus ſimul & diverſimodè accidentibus ſingulas cauſas deſignare. Quævis ergo diverſitas motuum diverſitatem motorum expoſcit.

52 Circa tertiam difficultatem. Dico primo. Motus circularis cœlorum non eſt naturalis. Ratio eſt, quia motus naturalis debet à principio intrinſeco provenire; ſed ille motus circularis cœlorum non provenit à principio intrinſeco ſed extrinſeco: ergo naturalis non eſt. Dico 2. Neque ille motus eſt violentus, quia motus violentus eſt ille, qui, & provenit à principio extrinſeco, & eſt contra poſitivam inclinationem paſſi; ſed licet motus circularis cœlorum ſit à principio illis extrinſeco, non eſt tamen contra poſitivam cœlorum inclinationem: ergo non eſt violentus. Min. prob. quia cum non extrahantur per illum motum à proprio centro, ſed in illo circunvolvantur non eſt, cur illi reſiſtant. Eſt ergo ille motus præternaturalis, vt diximus lib. 2. Phyſic. diſp. ſect. 3.

53 Centrum ergo cœlorum, vt rectè notat P. Alphonſus non eſt vna pars determinata circuli, circa quem moventur, ſed totus ille circulus. Sicut enim centrum ignis eſt tota illa circunferentia, quæ ſub concavo cœli magis diſtat à centro mundi, ita centrum cœli, quod idem de centro aſtrorum dicendum eſt, ſed tota circunferentia, quæ æqualiter diſtet à centro mundi, iam maior, iam minor, prout fuerit natura aſtrorum: nam alia maiorem diſtantiam, alia minorem à centro mundi exigunt.

54 Rogabis an ceſſante motu aſtrorum ceſſarent etiam motus ſublunares? Reſpondeo negativè, & probo. Ceſſante motu ſolus ignis calefaceret, & aqua infrigidaret: ergo non ceſſarent motus ſublunares ex eo, quod motus aſtrorum ceſſaren Conſeq. conſtat. Prob. anteced. Ignis eſt de ſe virtus ſufficiens ad calefaciendum, & aqua ad infrigidandum, quin eam virtutem compleat ſol, aut aliquod ex aſ-

triæ

Digitized by Google

tris: ergo ignis calefaceret, & aqua infrigidaret, etiam deficiente motu ſolis. Confirm. Cum ad vocem Ioſue ſtetit Sol, non ideo cauſæ ſublunares non produxerunt ſuos effectus: ergo motus ſolis non eſt conditio ſine qua cauſæ ſublunares à proprijs motibus ceſſarent. Confirm. 2. Quando ſol deficit à noſtro hemiſphærio, non ideo, cauſæ naturales ſub eo exiſtentes, ceſſant à proprij motibus: ergo ſolem per hoc hemiſphærium moveri non eſt conditio eſſentialiter requiſita ad motus ſublunares: ergo moverentur licet ſol quieſceret. Hinc, ſi aliquando Ariſtoteles oppoſitum videatur innuere, intelligendus eſt de illis effectibus, qui influxu aſtrorum ſolent fieri: qui deficerent, & ceſſarent in ea parte, à qua illa aſtra deficerent. Cum autem dicitur motus ſublunares ab aliqua vniverſali cauſa, & principio immobili debere provenire, id intelligendum eſt, de Deo, vt prima cauſa operante, & ad omnes effectus cauſarum concurrente.

SECTIO V.

De Luce Cælorum, & Aſtrorum.

55 Certum eſt lucem, & lumen diſtingui inter ſe, licet ſoleant frequenter confundi: lux enim eſt ea forma, quæ invenitur in corpore natura ſua lucido, vt claritas ſolis, ſplendor ignis; lumen vero eſt ea qualitas, quæ illuſtrat ſubiectum, quod non habet à ſe talem claritatem, vt claritas in aëre recepta, & ab alio corpore lucido cauſata. Eſt ergo difficultas, an lux ſit ſubſtantia, vel accidens, & quibus corporibus cœleſtibus conveniat.

56 Dico 1. Lux (& idem eſt de lumine) non eſt forma ſubſtantialis, ſed accidentalis. Probo 1. quia ſubſtantia non eſt capax intenſionis, & remiſſionis; ſed lux in corporibus lucidis eſt capax intenſionis, & remiſſionis, vt conſtare videtur ex cap. 30. Iſai. vbi hæc verba habentur. *Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter*: ergo lux non eſt ſubſtantia. Secundo. Quia lux adveniens aëri conſtituto in ſuo eſſe ſubſtantiali, non eſt ſubſtantia, ſed accidens: ergo.

57 Sed obijc. In 1. Geneſ. legitur factam fuiſſe lucem: ergo ea eſt corpus ſubſtantiale tunc productum. Vrgetur: lux producit formam ſubſtantialem, nempè, ignem; ſed accidens iuxta dicta in lib. Phyſic. neque inadequate poteſt producere ſubſtantiam: ergo lux non eſt accidens. Mai. prob. quia lux ſolis per chriſtallum traiecta ſtupam comburit; ergo producit in illa for-

formam ignis. Ad argumentum reſpondeo, quando ibi dicitur lucem factam fuiſſe, intelligendum eſſe textum non ſolum de luce pro formali, ſed de corpore lucido, quod à luce tanquam ab effectu, ſeu accidenti principaliori denominatur. Et ſic intelligendus eſt Div. Auguſtinus 7. de Geneſ. ad lit. cap. 25. & alij PP. Ad confirmationem conſtat ex ſæpe dictis lucem, & radios ſolis vnice producere in ſtupa vltimam diſpoſitionem ad formam ignis, qua producta Deus ad exigentiam illius in materia diſpoſita formam ignis producit.

58 Dico 2. Cœlum ſydereum ex ſe nullam habet lucem. Probo 1. Quia ex 1. Geneſ. vbi conſtat Deum poſuiſſe ſolem, lunam, & ſtellas in firmamento, vt lucerent, & illuminarent, quibus verbis ſolis Aſtris, non vero cœlo lux tribuitur: ſignum ergo eſt, quod Cœlum ex ſe nullam lucem haberet. 2. Quia recedente ſole vix vlla lux in cœlo relinquitur, cum ergo ea lux ſatis congrue tribui poſſit luci ſtellarum, ſine vllo fundamento diceretur Cœlum ex ſe nativam lucem habere. Dico 3. Luna magna ex parte lucem mutuat à ſole. Probatur experientia, qua conſtat ſolam eam partem, qua ſolem reſpicit eſſe lucidam, ex quo oritur, quod habeat augmentum, & decrementum lucis, quo magis recedit à Sole, vel accedit ad illum. Probatur inſuper ex eius Eclypſibus, accidentibus ex eo, quod terra inter ipſam, & ſolem interponamus. An verò ex ſe habeat aliquam lucem; ſatis incertum eſt. Affirmant aliqui, & probant ex eo, quod non totaliter obſcuretur in eclypſi, & quia adhuc pars à ſole non illuminata albicans apparet; ſed id parum probat, quia poteſt dici cum P. Tanner. 1. part. diſp. 6. quæſt. 7. illud exiguum lumen provenire à partibus proximioribus cœli illuminati à ſole, & etiam ab ſtellis proximis, cuius ratio eſt, quia lucidior apparet in extremitatibus, quam in medio: ergo quia extremitates illæ participant lucem à partibus propinquioribus. Io re omnino dubia, quiſque quod magis congruum ſibi videatur, ſentiat.

59 Dico 4. Alia Aſtra non modo illuminantur à ſole, ſed aliquam etiam lucem in ſe habent, maiorem ea, quam oſtendit albicatio lunæ. Quod illuminentur à ſole, probatur: nam iuxta obſervationem Aſtronomorum, lucidiores apparent planetæ dum ſol ipſis propinquior eſt, quam dum eſt remotior. Imo de Venere, & Marte obſervatum eſt, variare notabilior lucem, & habere

cor-

ſua inſtar lunæ. Accipiunt ergo lucem à ſole. Quod verò ex ſe etiam lucem habeant ſuadetur: quia in quacumque diſtancia ſol ſit à planetis, & reliquis aſtris valde notabilis lux in illis reperitur; & vlterius, quia aliqui planetæ apparent diverſi coloris, quod videtur indicare differre inter ſe in luce: quod contingere non poſſet, ſi lux omnium à ſole proveniret. Hæc ſecunda ratio non videtur ſatis firma; quia non facile probari poteſt lucem aſtrorum eſſe diſtinctam in ſpecie de quo forſam infra. Imò nec diſtingui in ſpecie ab inferiori luce ignis, prout ſentit P. Alphonſus probatque ex eo, quod mutuo ſe intendant; ſed ego neſcio, vnde convinci poſſit hæc mutua intenſio lucis, cum potius experientia conſtet ad præſentiam lucis cœleſtis parum, aut nihil prodeſſe lucem ignis inferioris. Res eſt incerta.

60 Rogas, qua ratione contingat rutilatio, & ſcintillatio ſtellarum? Eas rutilare, & ſcintillare, ac veluti tremulas apparere, conſtat ipſo viſu. Planetis veteres ſcintillationem negabant; ſed iam compertum eſt Mercurium etiam ſcintillare, & Solem etiam ad inſtar fervकेntis metalli ebullire. Imò Simon Marius in præfatione mundi Iovialis aſſerit omnes planetas rutillare, vnica excepta luna, licet non ſit æqualis in omnibus tremor. Inquirimus ergo vnde effectus proveniat.

61 Ariſt. 2. cœli textu 48. negat ſtellas re ipſa ſcintillare, & innuit oriri ex diſtantia, & imbecillitate noſtræ potentiæ viſivæ, quod tremulæ appareant. Quod amplectuntur Conimbric. 2. de cœlo cap. 8. quæſt. 1. & alij; ſed contra, quia ſtellæ fixæ æquè diſtant à nobis, & tamen non omnes æquè tremulæ apparent, ſed aliæ magis, aliæ minus. Non ergo provenit ea ſcintillatio ex embecillitate, & diſtantia. Tùm etiam quia minus diſtat à nobis Mercurius, quam Saturnus, & nihilominus magis ſcintillat. Dicendum puto cum Averſa ſtellas neque eſſe corpora omnino etiam opaca, ſed habere opacitatem aliquam cum diaphaneitate admixtam, ità vt etiam in partibus inferioribus ſint lucidæ. Cum ergo aliquando partes exteriores, aliquando interiores ſe offerant viſui, ex hoc oritur illa ſcintillatio, quæ erit maior, vel minor, prout maior, vel minor fuerit opacitas; cumque luna omnino opaca ſit, nullam habet ſcintillationem. Ita Averſa quæſt. 34. ſect. 3.

SECTIO. VI.

De influxu aſtrorum in ſublunaria.

62 CErtum eſt aſtra in ſublunaria influere. Nam accedente ſole omnia fiunt vegetiora, & fortiora, infirmio-

miora, qui eo recedente; & ſic luna homines dementat ſuis influxibus, ex quo oritur, quod lunatici dicantur amentes. Cuius Cœleſtis cauſat calorem, Arcturus frigus, Orion pluvias, Saturnus melancholiam, Iupiter claritatem, & ſic de alijs Aſtris. Quare eorum influxus negari nequit in inferiora. Cœlum verò ſtellatum non habere alium influxum vltra influxum ſtellarum ex eo probandum eſt; quia nullo fundamento talis influxus adſtruetur. Vnde cum Damaſcen. 2. de Fide Catholic. cap. 6. videtur, negare Cœleſtia corpora eſſe cauſas generationis, & corruptionis rerum, tantum negat eſſe primas cauſas à Deo independentes; vt aſſerebant illi, contra quos agebat, ſentientes influxum cœlorum in ſublunaria eſſe independentem à Deo.

63 Averroes 2. de Cœlo. Comment. 42. putavit aſtra præter calorem, lumen, ſiccitatem, & motum localem, nihil aliud in corporibus inferioribus cauſare; ſed etiam frigiditatem, & humiditatem ab illis provenire omnino tenendum eſt. Quod accidentia conceſſa ab Averroe res eſt clara. Nam media luce ſola non poſſunt tot effectus cauſari: lux enim non penetrat viſcera terræ, in quibus metalla producuntur. Alia ergo accidentia producuntur à Sole, quæ iuvant ad productionem metallorum. Deinde quia acus magnete confricata etiam ſi in loco tenebroſo ſit, a polo rapitur: non ergo fit illi effectus media luce ſola. De frigiditate, & humiditate probatur: quia dominante Saturno, riget frigus in ſublunaribus, & regnante Luna humiditas, & inde naſcitur quod dormiens Lunæ expoſitus contrahat paralipſim, ex eo quod eius membra infrigidantur, & humectantur. Nec valet dicere id contingere, quia Saturnus, & Luna medium habent calorem, & ex eo oritur, quod videantur infrigidare. Quia illa frigiditas contingit ex præſentias illorum, ita vt non detur illis deficientibus. Conſtat enim, experientia opponente, Saturno maximam frigiditatem gigni licet tempore immediato, calor maximè intenſus viguerit. Cauſatur ergo ab illo talis frigiditas.

64 Dices tamen: Recedente Sole contingit humiditas, & frigiditas, vlteriuſque dantur elementa frigida, & humida: ergo ſine neceſsitate adſtruetur aliud agens, à quo proveniant humiditas, & frigus. Vrgetur ex Ariſt. ſect. 25. Problem. 21 qui negat ſtellas eſſe frigidas. Reſpondeo, etiam datur elementum ex ſe calidum, & tamen non ideo negatur Aſtris virtus productiva caloris, ex eo quod conſtat experientia calorem à ſole provenire, & etiam ſub alijs Aſtris maximè vigere. Cum ergo etiam ex-

experientia non doceat ad præſentiam aliorum Aſtrorum frigus, & humiditatem in magna intenſione reſultare, non eſt cur negemus ipſis virtutem productivam humiditatis, & frigoris. Ad authoritatem Ariſtotelis reſpondeo illum vnicè negare Aſtra eſſe frigida formaliter, non verò eſſe frigida virtualiter, & effectivè.

65 Conſtat ergo Aſtra influere in hæc inferiora per varia accidentia à ſe producta, ſed difficultas eſt, vtrum concurrant ad generationem mixtorum producendo etiam formas ſubſtantiales? Dico 1. Aſtra non concurrunt effectivè ad formas viventium. Probatur: quia nullum agens poteſt producere effectum perfectiorem ſe, ſed quodvis vivens ex prædicato viventis eſt aſtris perfectius, vt infra attingemus: ergo Aſtra non poſſunt effectivè concurrere ad productionem formarum viventium. Maior ſatis explicata eſt in libris Phyſicorum. Dico 2. Neque ad productionem formarum ſubſtantialium non viventium concurrunt effectivè. Quod hæc virtus producendi ſubſtantiam mixtorum ſine vllo fundamento Aſtris tribuatur: ergo concedenda non eſt. Probo antec. Quia influxui Aſtrorum in corpora inferiora ſatisfit per id, quod diſponunt materiam medijs qualitatibus ab illis provenientibus, & illam afferent ad mixtorum generationem. Vrgetur: Quia Aſtra valde diſtant ab ea materia, in qua forma mixtorum producitur: ergo non poſſunt illam formam producere. Diſponunt ergo materiam, qua diſpoſita, ſi non ſit vllum agens creatum proportionatum ad productionem formæ ſubſtantialis Deus vt author naturæ ad exigentiam vltimæ diſpoſitionis illam producet.

66 Rogabis. Vtrùm Aſtra poſſunt influere in intellectum, & voluntatem? Reſpondeo non poſſe agere directè, & per ſe, benè verò indirectè, & per accidens. Prima pars ſtatuta eſt in Concil. Bracar. 1. cap. 9. & 10. & confirmata decretis Sixti V. & Vrbani VIII. Et probatur: Potentiæ ſpirituales vt tales tantum poſſunt pati per receptionem accidentium ſpiritualium: nam hæc ſola ſunt proportionata ſubiecto ſpirituali; ſed agens corporeum, qualia ſunt Aſtra, non poſſunt producere accidentia ſpiritualia: ergo potentiæ ſpirituales nihil poſſunt pati directè ab Aſtris. Secunda pars probatur. Intellectus, & voluntas pro hoc ſtatu dependent à corpore in operando, vt eſt certum, cum nihil ſit in intellectu, quod aliqua ratione prius non fuerit in ſenſu; ſed Aſtra poſſunt varie immutare per ſuos influxus diſpoſitiones corporum, & eorum organa commovendo hu-

humore, & alterando ſpiritus vitales, ex quo oritur, quod variè ſuboriantur cogitationes intellectus, & in varios affectus impellatur voluntas: ergo poſſunt Aſtra indirectè influere in intellectum, & voluntatem; ſed ſalva ſemper hominis libertate, quia licet homo poſsit inclinari ex eorum influxibus ad aliquam operationem, minimè neceſsitari, niſi omne lædatur organum ſenſus, vt amentibus, & ebris contingit.

67 Ex quo inferes, quod licet poſsint Aſtrologi aliquos effectus pure phyſicos, qui ex ſolis cauſis naturalibus dependent prædicere, vt pluvias, frigus, & alia huiuſmodi: illos verò effectus, qui à libertate proveniunt, nullo modo poſſunt certo prædicere: quia quantumvis maxima inclinatio in illos effectus ex influxibus Aſtrorum proveniret, ea poteſt omnino pro libertate fruſtrari, cum non poſsit ex influxu Aſtrorum vlla neceſsitas provenire voluntati. Mortem eatenus poſſunt prædicere, quatenus hominem natum ſub tali conſtellatione poſſunt cognoſcere non habere vires ad reſiſtendum influxui Aſtrorum tali, vel tali die venturum. Non tamen poſſunt certè certo cognoſcere hominem vſque in illam diem victurum.

§§§

SECTIO VII.

Alia breviter expediunt ur.

68 Rogabis an Cœli, & Aſtra ſpecie differant inter ſe? Quoad Cœlos reſpondeo, locum non eſſe difficultati in noſtra ſententia vnicum Cœlum Sydereum agnoſcenti. Quoad Aſtra ſentio differre ſpecie à Cœlo, & inter ſe. Quia Aſtra iuxta ſuprà dicta habent varios influxus, ita vt alius Saturno, alius Soli tribuatur, & ſic in reliquis. Cœlum verò ex ſe nullam habet lucem, & nullum influxum, in ſublunari ſupra ſtatuimus; ſed hæc diverſitas arguit diſtinctionem ſpecificam in radice talium accidentium: Cœlum ergo, & Aſtra ſpecie differunt inter ſe.

69 Rogabis 2. Verùm corpora cœleſtia ſint perfectiora viventibus? Reſpondeo negativè cum PP. Conimbrc. 2. de Cœlo capit. 1. quæſt. 1. Rubio ibidem, & alijs. Et ratio eſt: Quia eo entitas creata eſt perfectior, quo ſimilior enti perfectiſsimo, nempè Deo; ſed viventia Deo ſimiliora ſunt, quam corpora cœleſtia: ergo ſunt perfectiora. Maior eſt certa, & minor probatur. Illud eſt ſimilius alteri, quam aliud, quod eſt illi ſimile ſecundum prædicatum perfectius, & nobi-

nobilius; ſed viventia ſunt Deo ſimilia, ſecundum prædicatum perfectius, & nobilius, quam corpora cœleſtia: ſunt enim Deo ſimilia in prædicato vitæ, quod perfectius, & nobilius eſt, (eo modo, quo ita licet loqui) æternitate, quam cœleſtia corpora ſua incorruptibilitate videntur æmulari. Et ratio eſt: quia vita adhuc formaliter, & ratione noſtra pertinet ad quidditatem eſſentiæ divinæ, ſecus æternitas, quæ eſt attributum eſſentiæ: ergo viventia ex hoc prædicato ſunt ſimiliora Deo, quàm corpora cœleſtia. Quare perfectio vitæ, nec exceditur, nec æquatur per ſolam perfectionem incorruptibilitatis; ſed ſemper manet in gradu ſuperioris ad illam.

70 Neque obſtat Ariſt. 2. Phyſic. 43. & alibi Cœlum conſtituere ipſo etiam homine perfectius. Quia vt ſuprà notavimus, Ariſt. expreſsè docuit cœlos eſſe animatos, & circa cœlos plures alios errores docuit, quare eius authoritas in præſenti non viget. Neque obſtat ſecundò corpora cœleſtia eſſe cauſas vniverſaliſsimas, & valde activas, & per hanc activitatem poſſe compenſari perfectionem viventium: tùm quia conſtitit ſuprà non habere influxum productivum alicuius ſubſtantiæ; ſed tantum accidentium: tùm quia modus quo viventia perficiunt ſe ipſa activè producendo in ſe ſuas perfectiones modo, quo explicuimus lib. 1. de Anim. diſp. 5. hanc activitatem excedit.

71 Rogabis 3. Quænam figura cœleſtibus corporibus conveniat? Dico primo. cœlum ſydereum eſt rotundum, & perfectè ſphæricum. Tùm quia Cœlo videtur tribuenda, & figuram, quæ abſolutè eſt perfectior, aptior ad continendas corpora ſublunaria, & ad motum circularem; ſed figura ſphærica, eſt perfectiſsima abſolutè, vt eſt certum, eſt aptior ad continenda corpora ſublunaria; nam licet in ordine ad occupandum locum, minor ſit cæteris; in ordine tamen ad alia corpora continenda eſt capaciſsima: illa enim figura capacior eſt alia, cuius circumferentia per omnes ſui partes æquè recedit à centro, & medio, & eſt aptior ad motum circularem, vt de ſe patet: ergo Cœlum eſt perfectè ſphæricum: tùm quia ſtellæ fixæ æquè diſtant ſemper à centro terræ, vt obſervatum eſt, quod idem ferè omnibus Planetis convenire tradunt Aſtrologi; ſed non omnes æquè diſtarent, ſi Cœlum non eſſet ſphæricum: quia magis diſtarent à centro, quæ eſſent iuxta Angelos Cœli, quam quæ eſſent ad latera. Dicendum ergo eſt Cœlum ſydereum eſſe perfectè ſphæricum.

72 Dico ſecundo: Reliqua Aſtra ſunt etiam ſphærica. Pro-

ergo omnia aſtra habent figuram ſphæricam. Probo mai. ex augmento, & decremento lunæ, quæ actualiter contingunt: ſi autem luna plana eſſet, ſtatim ac à ſole recedit tota illuminaretur, & non per arcus, deinde, quia eclipſis ſolaris apparet circularis: ergo quia luna illam cauſans, eſt ſphærica. Tùm quia vt iam docuimus Planetæ in ſuis epyciclis mouentur, quod, & alij tradunt de reliquis aſtris: ergo ſphæricæ figuræ ſunt. Probo conſeq. quia ſi eſſent figuræ planæ, quando per motum latera ad nos verterent, apparerent exiguæ magnitudinis, nec rotundi conſpicerentur, cuius oppoſitum experientia docet.

73 Reſtat aliqua dicere de numero, & magnitudine ſtellarum. Aſtra fixa eſſe innumerabilia, & propè infinita habemus ex ſacro textu Geneſ. 15. *Numera ſtellas ſi poteſt*. Et Ierem. *Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli*. Hoc intelligendum eſt de ſtellis in cœlo exiſtentibus, non vero de ijs, quæ clare cognoſcuntur, & diſcernuntur, has enim ad numerum. 1022. reducunt Aſtronomi, & in ſex claſes magnitudinis diſtinguuntur. Prima continet ſtelas 15. ſecunda 45. tertia 208. quarta 474. quinta 217. ſexta 49. quibus accedunt quinque ſtellæ nebuloſæ, & aliæ nouem obſcuræ, ex quibus omnibus prædictus numerus, reſultat. Magnitudo horum aſtrorum talis eſt, vt quævis ſtela primę magnitudinis magnitudinem terræ centies ſepties contineat; ſecundæ 90. tertiæ 72. quartę 54. quintæ 36. ſextæ tandem 18.

74 Hæ ſtellæ in quadraginta octo conſtellationes, ſeu aſterriſmos diſtribuuntur, certum numerum ſingulis tribuendo. Hæ conſtellationes nihil aliud ſunt, quam imagines quædam ſiuè animalium, ſiuè aliarum rerum, quæ ex poſitione, & ordine plurium ſtellarum efformantur, & præcipua omnium ſunt ſigna Zodiaci, de quibus ſect. 1. Hæ imagines formantur, vel ob aliquam ſimilitudinem cum rebus figuratis, vt corona, triangulus, & aliæ, vel ob aliquem effectum, vel aliquæ etiam ex fabulis veterum, qui homines, aut alias res in cœlo collocarunt, vt ſunt ergo nautarum nauis, crater, &c. Et huius diuiſionis fit in ſacro textu mencio, cum in libro Iob legantur Arcturus, Pleyades, Orion, &c.

75 Vlterius ſunt cœlo Planetæ, de quibus vnice reſtat magnitudo tradenda. Ea talis eſt, vt Saturnus terræ magnitudinem 91. Iupiter 95. Mars ſemel, Sol 166. contineat. E contra terræ magnitudinem Veneris 37. Mercurij 21652. Lunæ verò 39. contineat. Adeat, qui vellit P. Clauium: nam nos breviter hæc attingimus plura ſcribentes, quam credentes, quia nos latent certa principia, quibus ad hæc ſtatuenda vtamur.

76 Recentiores Aſtronomi, [illegible], qui melioribus inſtrumentis vtentes, quam veteres, novas ſtellas invenerunt in cœlo, quæ latuerunt antiquos. Nam Tyco Brache lib. 1 Progymnam. cap. 2. & 3. in conſtellatione Caſsiopeæ 12. ſtellas detexit, Galilæus in nuncio ſydereo alias 80. circa Orionem notavit, & in alijs locis plures quam 500. Deinde via lactea nihil aliud eſt, quam cumulus plurium ſtellarum, licèt exiguæ valde magnitudinis. Via lactea eſt zona quædam inæqualis latitudinis, obliqua, & variè interſecta, quæ totum Cœlum ambit, & propter candorem, quem exhibet dicitur via lactea, Grecè Galaxia, & ab Ariſtotele vocatur circulus maximus. De hac variæ extant opiniones apud antiquos, quorum Pytagoras cenſet viam lacteam fieri ex aduſtione ſolis, olim per illam viam incedentis: eo quod terreum fiat album poſt aduſtionem, Democritus, & Anaxagoras ſentiunt eſſe quoddam lumen à ſtellis in eam partem cœli diffuſum, alij eſſe lumen à ſtelis dimanans in aërem, & rurſus in Cœli ſtellarum reflectens. Ariſt. cap. 6. ait nihil aliud eſſe viam lacteam, quam ingentem copiam halitum terreſtrium, quia ſtelis attrahuntur ad regionem ſupremam, & incipiunt albeſcere ad motum Cœli, ſed omnes hi refutandi ſunt, ex eo quod beneficio teleſcopi deprehenſum ſit eſſe congeriem ſtellarum.

77 De Cœlo Empyreo parum, aut nil diximus. Sed nec aliquid eſt fixum, quod poſsimus de eo dicere vltra eius exiſtentiam, & nobilitatem. Congruè ſupponimus, vt ſpecie, perfectione, magnitudine, figura, & nobilitate proprietatum, quævis alia corpora inanimata excedat, & tale ſit ex omni parte, vt digne domus Regia Dei, & ſpeciale divinæ Omnipotentiæ opus ſit. Quæ de eo diſputantur valde incerta ſunt, & maiori ex parte ad providentiam Dei recurrendum eſt, ne in Empireo deſit quidquid ad eius perfectionem, & finem gloriamque, & commercium Beatorum inter ſe poſsit facere.

Hæc dicta ſufficiant pro libris de Ortu, & interitu, ac de Cœlo, & Elementis, quæ omnia cedant in honorem, & laudem Dei O. M. & eius Matris B. V. Mariæ abſque culpæ originalis nævo conceptæ, nec non Sacri Parentis Ignatij, & amantiſsimi Xaverij Indiarum Apoſtoli.

FINIS.

INa

Digitized by Google

INDEX.

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM tractatuum de Generatione, & corruptione.

TRACTATVS I.

De Alteratione.

DISPVTATIO I.

De Intenſione, & remiſsione qualitatis.

Sectio 1. Nonnulla ſupponuntur.
Sect. 2. Quomodo fiat intenſio qualitatis?
Sectio 3. De Intenſione actuum vitalium.

DISPVTATIO II.

De natura graduum qualitatis intenſibilis.

Sectio 1. Supponuntur aliqua.
Sect. 2. de Gradibus qualitatis naturalis productivæ alterius ſimilis.
Sectio 3. de Gradibus aliarum qualitatum ſupernaturalium.
Sectio 4. de Terminis intenſionis, & remiſsionis qualitatis.

DISPVTATIO III.

De Activitate qualitatum naturalium.

Sectio 1. Nonnulla ſupponuntur.
Sectio 2. Vtrùm ſimile poſsit intendere ſibi ſimile?

DISPVTATIO IV.

De reſiſtentia qualitatum, ſucceſsione, & continuatione alterationis.

Sectio 1. Quid, & quotuplex ſit reſiſtentia?
Sectio 2. Vnde proveniat ſucceſsio alterationis, quoad intenſionem?
Sectio 3. De continuatione alterationis, tam quoad intenſionem, quam quoad extenſionem.
Sectio 4. De actione, & reactione.
Sectio 5. Quo ordine conveniat qualitatibus reſiſtentia activa, & formalis?

TRACTATVS II.

De Generatione ſubſtantiali.

DISPVTATIO I.

De his quæ ordine naturæ antecedunt generationem ſubſtantialem.

Sectio 1. Vtrum accidentia recipiantur in materia prima, vel in toto compoſito.

Sectio 2. Vtrum accidentia diſtincta à quantitate recipiantur immediatè in materia, an potius immediatè in quantitate, & mediatè in materia?

Sectio 3. Qua ratione præcedunt ex parte materiæ diſpoſitiones ad introductionem, & conſervationem formæ ſubſtantialis.

DISPVTATIO II.

De Generatione ſubſtantialis.

Sectio 1. explicatur generationis ſubſtantialis natura, & eius terminus aſsignatur.

Sectio 2. Duplex quæſtio deciditur circa generationem ſubſtantialem.

Sectio 3. de Generatione ſubſtantiali converſiva, ſeu de conſervatione ſubſtantiali.

Sectio 4. de Generatione viventium.

Sectio 5. de Principijs, & tempore generationis.

DISPVTATIO III.

De Corruptione ſubſtantiali.

Sectio 1. de Natura corruptionis.

Sectio 2. Vtrum in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam?

Sectio 3. Vtrum res ſemel corrupta poſsit naturaliter ſecundo produci.

Sectio 4. Vtrum animal ſit ab intrinſeco corruptibile.

DISPVTATIO IV.

De Carentijs rerum.

Sectio 1. Explicatis terminis referuntur ſententiæ.

Sectio 2. Carentia rei contingentis diſtinguitur ab omni poſitivo exiſtente.

Sectio 3. Carentia contingens rei non identificatur cum aliquo negativo vere, & exiſtente à parte rei: neque cum coniuncto ex ente poſitivo, & actu negante ipſi exiſtentiam.

Sectio 4. Eligitur, & probatur 4. ſententia.

Sectio 5. Solvuntur obiectiones.

Sectio 6. de Carentia neceſſaria chymerarum.

DISPVTATIO V.

Vtrum entitas ſemel exiſtens poſsit deficere per defectum abſolutum, & immediatum, an tantum per defectum reſpectivum?

Sectio 1. Nonnulli ſuppoſitis referuntur ſententiæ.

Sectio 2. Traditur, & probatur vera ſententia.

Sectio 3. Solvuntur objectiones.

DISPVTATIO VI.

De Augmentatione, & diminutione

Sectio 1. Quid, & quotuplex ſit augmentatio?

Sec-

Digitized by Google

Sectio 2. De Nutritione, & augmentatione ſubſtantiali viventium.
Sectio 3. de Augmentatione quantitativa, ſeu accretione.

DISPVTATIO VII.

De Corporum rareſactione, & condenſatione.

Sectio 1. Propoſita ratione dubitandi, reijciuntur ſententiæ minus veræ.
Sectio 2. Eligitur, & explicatur verior ſententia.
Sectio 3. Solvuntur argumenta impugnantia noſtram ſententiam
Sectio 4. Solvuntur fundamenta aliarum ſententiarum.

LIBER

DE ELEMENTIS, & Cœlo.

DISPVTATIO I.

De Elementis, eorumque affectionibus, & mixtione.

Sectio 1. de Elementis, & metheoris in genere, & de primis qualitatibus.
Sectio 2. de Igne, & metheoris Ignis.
Sectio 3. de Aère, & eius metheoris.
Sectio 4. de Terra, & aqua eorumque metheoris.
Sectio 5. de Mixtis, & mixtione.
Sectio 6. Vtrum elementa maneant formaliter in mixto?
Sectio 7. de Temperamento mixtorum.

DISPVTATIO II.

de Cœlorum natura, & proprietatibus.

Sectio 1. Explicatur Sphæra cœleſtis, & cœlorum numerus.
Sectio 2. de Natura Cœli.
Sectio 3. de Soliditate, aut fluiditate Cœli.
Sectio 4. de Motu Cœlorum.
Sectio 5. de Luce Cœlorum, & Aſtrorum.
Sectio 6. de Influxu Aſtrorum in ſublunaria.

LAVS DEO.

ERRATA SIC CORRIGE.

FOl. 60. col. 1. lin. 26. poneſt, leg. poteſt. Ibidem col. 1. lin. 34. ſupponi, lege ſupponit. Fol. 64. col. 1. lin. 26. paritate lege paritate. Fol. 65. col. 1. lin. 27. imitente, lege emitente. Ibidem lin. 34. obſiſteute leg. obſiſtente. Fol. 81. col. 1. lin. 15. proportionata, lege proportionatæ. Fol. 96. col. 1. lin. 23. gradum, lege graduum.

Ex Commiſsione Supremi Caſtellæ Senatus, vidi Librum inſcriptum Tractatus de Generatione, & Anima hiſque erroribus correptis ſuo prototypo convenit. Matriti die 1. Iunij, Anno 1698.

Lic. D. Ioſeph. de Olivares & Valcazar.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

etiam cum evidentia intuitiva, modo fides præcedat intuitionem. 5. Dicere poteſt, fidem coniungi poſſe etiam cum evidentia intuitiva ſive fides præcedat, ſivè non intuitionem. Hanc ſententiam illuſtrant Nobiles RR. Ciſtercienſes, qui abſolutè, & ſine diſtinctione dicunt, fidem coniungi poſſe ex natura rei cum ſcientia abſtractiva: & cum viſione intuitiva corporea: & cum viſione intuitiva Dei.

18 Ante reſolutionem fatendum eſt D. Thom. clare dicere fidem non poſſe coniungi cum ſcientia. Ità 2. 2. quæſt. 1. artic. 4. *Manifeſtum eſt, quod nec fides, nec oppinio poteſt eſſe de viſis, aut ſecundum ſenſum, aut ſecundum intellectum;* & ibi artic. 5. *Non autem eſt poſſibile quod idem ab eodem ſit viſum, & creditum.* Et ibi ad quæſt. inquirentem, *Utrùm obiectum fidei poſſit eſſe aliquid viſum? Reſpondet fidei obiectum impoſſibile eſt eſſe aliquod viſum.* Et quæſt. 5. artic. 1. quæſt. *An Angelus, & homo in prima ſui conditione in gratia habuerint fidem?* Reſpondet affirmativè, & ſenmper recurrit ad id, quod in eis erat aliqua obſcuritas: & quod licèt aliqua cognoſcebant manifeſtè, quæ nunc non poſſumus cognoſcere niſi per fidem;

fidem; non tamèn omnia. Ideò meo iudicio mens Div. Thom. eſt fidem non poſſe coniungi cum ſcientia.

19 Nihil ominus plures dubitant, an ſit hæc mens Div. Thom. tàm abſolutè: quià D. Thom. ſolùm videtur dicero fidem non poſſe coniungi cum viſione intuitiva Dei, & quidem hac quæſt. 5. refert verba Hugo de Sancto Vict. *Novit homo in primo ſtatu creatorem ſuum, non ea cognitione, qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur; ſed ea, quæ per præſentiam contemplationis manifeſtius cernebatur.* De quibus verbis ait ibi, *ad primum dicta Hugo, Magiſtralia ſunt, & robur authoritatis habent; dici tamèn poteſt quod contemplatio, quæ tollit neceſſitatem fidei eſt contemplatio Patriæ.* Hanc autem non habuit Angelus ante confirmationem, nec homo ante peccatum. En vbi ſatis inſinuat fidem non poſſe coniungi cùm cognitione intuitiva Dei. Et nota illa verba, *quæ tollit neceſſitatem fidei*, quæ inſinuant ideò ſolùm in Patria non dari fidem: quià data viſione Dei fides non eſt neceſſaria; quod verò ſuperabundanter, & ſine neceſſitate detur, videtur permittere. Et ibi ad ſecundum. *Inerat intellectui Angelico quædam obſcuritas naturalis ſecun-*

dum

dum quod omnis creatura ... ta Divino lumini, & talis obſcuritas ſufficit ad fidei rationem. Vbi obſcuritatem valde latam dicit ſufficere ad fidem: & hac quæſt. 5. artic. 1. *Cum Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum non habuerint beatitudinem, qua Deus per eſſentiam videtur, manifeſtum eſt, quod non habuit ſic manifeſtam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei*, & nota ly *manifeſtum eſt* quo denotat, clarum, & ſine dubio eſſe, nullam aliam cognitionem excludere fidem. Et in 3. diſt. 31. quæſt. 2. artic. 1. ad 4. *Opinio, & ſcientia, quamvis ſint de eodem, non tamen ſecundum idem medium, & ideò poſſunt eſſe ſimul.* Et eadem eſt ratio de ſcientia, & fide. Et 3. part. quæſt. 9. artic. 3. ad 2. Ideò venia Div. Thom, & eius dictis muniti, quamvis in concluſione revera ſit oppoſitus tenemus 59. ſententiam.

§. I.

20 Dico. Fides coniungi poteſt cum ſcientia ſivè abſtractiva, ſivè intuitiva, ſivè fides præcedat, ſivè ſequatur intuitionem. Prob. Homo, & Angelus ante lapſum habuerunt fidem

Dei

petente medium ... 3. Coniungi poſſunt pro diverſis ſignis in eadem voluntate indifferentia, & determinatio.

17 His ſuppoſitis 1. Sententia dicit non poſſe coniungi actum ſcientiæ cum actu fidei circà idem obiectum. Ità communitèr Thomiſtæ, quos ſequitur Gonet. diſp. 1. cap. 6. Palanc. diſp. 4. quæſt. 5. Doctor Rios, diſp. 3. de Fide loquendo de fide obſequioſa. Scotiſtæ, Sendin, controv. 8. ſect. 1. de Fide lata, id eſt non obſequioſa ait ſect. 4. coniungi poſſe cum ſcientia naturali, non verò cum ſcientia ſupernaturali. Ex noſtris Antonius Perez, Eſparza, & alij. Secunda Sententia dicit actum fidei coniungi poſſe cum actu ſcientię abſtractivæ. Ità Suarez, diſp. 3. ſect. 9. Choninc, diſp. 11. dub. 15. Lugo, diſp. 2. ſect. 2. Muniella, diſp. 1. ſect. 3. Tertia dicit fidem nec Divinitus coniungi poſſe cum evidentia quidditativa, aut intuitiva. Ità Vazquez, 3. part. diſp. 53. Torres diſp. 8. Suarez, verò, Lugo, Granaos, diſp. 7. Choninc, Petrus Hurtado, dicunt connaturalitèr non poſſe coniungi; ſecus de potentia abſoluta. 4. Dicit actum fidei poſſe coniungi de potentia ordinaria,

 etiam

apparentium, non eſt poſitivè obſcura; ſed poſitivè clara. Sed fides eſt lux, quæ eſt oſtenſio rerum non aliunde apparentium: ergo. Prob. min. Ex Theophilo in Hæbr. 11. *Argumentum non apparentium*, ait, *Fides eſt oſtenſio rerum in conſpectum non venientium.*

13 Si hæc ità ſint, cum per actum fidei non reddatur obiectum poſitivè obſcurum adhuc per medium fidei; & multo minus privativè obſcurum, ſeu carens omni claritate; ſed clarum claritate moralitèr evidenti: etſi non tàm clarum, quàm redderetur claritate phyſicè, aut metaphyſicè evidenti: ſi coniungatur ſcientia, & fides circà idem obiectum, non redditur obiectum clarum, & obſcurum adhuc per diverſa media; ſed clarum vt duo, v. g. per fidem, ſeu luce, & claritate remiſſa: & clarum vt quatuor per ſcientiam, ſeu luce, & claritate intenſa: ſicut ſolet cubile per vnam feneſtram habere lucem remiſſam, & per aliam lucem intenſam.

14 Obiectiones quæ contra hanc concluſionem poni poſſunt, ſolvemus Deo auſpice, dum ſalvavimus obiectiones contra concluſionem ſequentem: vbi magis conſtabit, quæ nam eſt obſcu-

ritas

elevatum: taliæ videntia noverunt, quali novimus, audivimus, & videmus, vt conſtat, & dicitur act. 4. *Non enim poſſumus, quæ audivimus, & vidimus non loqui.* Ioann. 13. *Qui vidit teſtimonium perib[et].* 1. Ioann. 1. *Quod vidimus occulis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt teſtamur.* Sed B. V. & Apoſtoli de his habuerunt fidem: ergo. Prob. min. Quià aliàs illa evidentia faceret eos peioris conditionis; quià faceret eos carere certiori, & vtiliori cognitione: cum fides ſit certior, vtilior, & fructuoſior, ea evidentia præcipuè naturali.

24 3. Deus poſſet infundere Viatori cognitionem claram myſteriorum. Sed hic poſſet credere myſteria: ergo. Mai. videtur vera: quià quo iure negabitur Deo hæc poteſtas: imò forte habuit eam cognitionem B. V. Prob. min. Quià aliàs eo ſingulari beneficio fieret peioris conditionis: cum careret vtiliori cognitione: & fortè ſalvari non poſſet: quià non haberet fidem requiſitam ad ſalutem.

25 4. Dum credimus revelatis, quià Deus dicit, aſſentimur aſſenſu fidei veracitati Dei, & alijs perfectionibus conſtituentibus authoritatem; vel

ſaltem